

CLYPEUS
SCOTICÆ THEOLOGIÆ
Contra novos ejus Impugnatores,

AUTHORE P. F.

BARTHOLOMÆO DURAND
Antipolensi, Ordinis Minorum Regularis Observantiæ, Provinciæ Sancti Ludovici, sacræ Theologiæ Lectore Jubilato.

TOMUS QUARTUS

Continens Tractatus de Incarnatione Verbi Divini, & de Sacramentis in communi.

EDITIO TERTIA



Auctior, & Correctior.





VENETIIS,
Apud PAULUM BALLEONIUM.

M. DCCIX.

Superiorum Permissu, ac Privilegiis.





INDEX
DISPUTATIONUM
ET QUÆSTIONUM

Quæ in hoc quarto Tomo continentur.

TRACTATUS I. *De Incarnatione Verbi divini.* pag. 11.
Diſputatio I. *De poſſibilitate Incarnationis.* ibid.
Quæſtio I. *An Incarnatio ſit poſſibilis.* 12.
II. *An poſſibilitas Incarnationis, naturali lumine ab intellectu creato evidenter cognoſci poſſit.* 18.
Diſputatio II. *De convenientia Incarnationis.* 23.
Quæſtio I. *An conveniens fuerit Deum incarnari.* 24.
II. *An fuerit magis conveniens Filium incarnari, quàm Patrem vel Spiritum ſanctum; & naturam humanam potius quàm Angelicam ab illo aſſumi.* 27.
Diſputatio III. *De neceſſitate Incarnationis.* 30.
Quæſtio I. *An homo purus ſit impotens ad ſatisfaciendum de condigno, pro ſuo vel alieno peccato mortali.* 31.
II. *An ſatisfactio Chriſti fuerit de ſe ſufficiens & ſuperabundans, pro omnium hominum peccatis.* 39.

III. *An satisfactio Christi sit valoris simpliciter infiniti.* 47.
IV. *An satisfactio Christi fuerit de rigore justitiæ.* 61.
V. *A qua virtute satisfactio Christi processerit.* 69.
Disputatio IV. *De motivo Incarnationis.* 74.
Quæstio I. *An Deus ex vi decreti quod habuit, carnem sumpsisset, Adamo non peccante.* ibid.
II. *An solo existente peccato originali, & èconstra solis existentibus actualibus, futura esset Incarnatio ex vi præsentis decreti.* 92.
Disputatio V. *De quidditate Incarnationis.* 95.
Quæstio I. *An unio Verbi incarnati sit facta in natura vel persona.* ibid.
II. *An persona Christi verè & propriè possit dici composita ex natura divina & humana, & ex humanitate & subsistentia Verbi.* 100.
III. *An inter Verbum & humanitatem mediet quidam modus substantialis, per quem natura humana formaliter conjungatur personalitati Verbi.* 101.
IV. *Quisnam sit terminus totalis & formalis actionis unitivæ Dei, seu assumptionis humanitatis ad Verbum.* 112.
V. *An unio hypostatica in ratione unionis sit omnium maxima.* 116.
Disputatio VI. *De causa physica & morali Incarnationis.* 117.
Quæstio I. *An aliqua creatura possit esse causa physica unionis hypostaticæ, saltem instrumentaliter, & an reipsa beata Virgo fuerit causa instrumentalis illius.* 118.
II. *An Christus per opera, prioritate temporis vel naturæ præcedentia unionem hypostaticam, eam promeruerit, vel saltem mereri potuerit.* 119.
III. *An Christus per opera subsequentia Incarnatio-*

nationem, eam mereri potuerit. 127.
IV. *An SS. Patres meruerint, aut saltem mereri potuerint Incarnationem, ejusque circunstantias decongruo.* 131.
Disputatio VII. *De persona assumente* 136.
Quæstio I. *An persona verbi immediatè & proximè terminaverit humanitatem assumptam, ratione subsistentiæ absolutæ & communis, vel ratione subsistentiæ relativæ & personalis.* ibid.
II. *An Verbum assumendo humanitatem, non solùm ejus subsistentiam, sed etiam illius existentiam suppleverit.* 140.
III. *An Deus, ut communis tribus personis, ratione subsistentiæ absolutæ possit alienam naturam assumere.* 150.
IV. *An plures personæ divinæ possint terminare immediatè eamdem numero humanitatem, & plures humanitates ab eadem persona assumi.* 153.
V. *An in casu quo una persona divina plures humanitates assumeret, vel ècontra, essent tunc unus homo, vel plures.* 161.
VI. *An persona creata, de potentia Dei absoluta, possit terminare naturam alienam.* 164.
Disputatio VIII. *De natura assumptibili & assumpta.* 175.
Quæstio I. *An quælibet natura substantialis completa, sit assumptibilis à divina persona.* ibid.
II. *An etiam substantia incompleta & partialis, sit assumptibilis à divina persona.* 178.
III. *An accidentia immediatè à Deo assumptibilia sint.* 181.
IV. *An humanitas Christi, ut actu conjuncta Verbo divino, ejusque personalitate terminata, appetitu innato, subsistentiam propriam & sibi connaturalem appetat.* 186.

V. *An Verbum divinum ad suam subsistentiam, sanguinem, aliosque humores corporis Christi assumpserit.* 193.
Disputatio IX. *De ordine assumptionis.* 198.
Quæstio I. *An prius fuerint assumptæ partes humanitatis, quàm tota humanitas, & anima Christi prius fuerit unita verbo, quàm corpus.* ibid.
II. *An gratia habitualis habuerit rationem medii, seu dispositionis physicæ aut moralis, ad unionem hypostaticam.* 204.
Disputatio X. *De gratia Christi.* 206.
Quæstio I. *An humanitas Christi sanctificetur formaliter per aliquod donum substantiale, à gratia habituali distinctum.* ibid.
II. *Ad quid in Christo gratia habitualis necessaria fuerit.* 216.
III. *An omnes virtutes fuerint in Christo.* 218.
IV. *An in Christo fuerint dona Spiritus sancti, & gratiæ gratis datæ.* 222.
Disputatio XI. *De perfectione gratiæ Christi.* 224.
Quæstio I. *An gratia Christi habitualis infinita sit.* 225.
II. *An in Christo sit gratiæ plenitudo, subindeque gratia tam intensa, ut omnem gratiam Angelorum & hominum collectivè sumptam excedat.* 229.
III. *An gratia habitualis Christi, de potentia Dei absoluta augeri possit.* 233.
Disputatio XII. *De gratia Christi capitali.* 236.
Quæstio I. *An Christus sit actu caput hominum viatorum, in statu peccati vel infidelitatis existentium.* ibid.
II. *An Christus ut homo sit ita caput Angelorum, quòd ipsis gratiam & gloriam essentialem meruerit.* 240.

III. *Per quam gratiam Christus in ratione capitis Ecclesiæ constituatur.* 253.

Disputatio XIII. *De scientia beata animæ Christi.* 256.

Quæstio I. *An Christus, dum esset viator & in terris degens, scientiam beatam habuerit, illamque à primo conceptionis instanti receperit.* 257.

II. *An anima Christi per scientiam beatam omnes creaturas possibiles in essentia divina cognoscat.* 259.

Disputatio XIV. *De scientia infusa animæ Christi.* 263.

Quæstio I. *An omnia objecta naturalia, ab anima Christi per scientiam infusam supernaturalem, distinctè & in particulari cognita fuerint.* 264.

II. *An anima Christi per scientiam infusam supernaturalem, cogitationes cordium occultas, & futura contingentia cognoverit.* 268

III. *An Christi anima per scientiam infusam, evidenter cognoverit mysterium Trinitatis, quoad an est.* 271.

Disputatio XV. *De scientia Christi acquisita.* 273.

Quæstio I. *An præter scientiam beatam & infusam, constituenda sit in anima Christi Domini scientia per se acquisibilis.* ibid.

II. *An Christus scientias per se acquisibiles propriis actibus sibi comparaverit, vel eas à Deo per infusionem receperit.* 275.

Disputatio XVI. *De potentia animæ Christi.* 282.

Quæstio unica, *An humanitas Christi, seu Christus ut homo, instrumentaliter physicè, vel solùm moraliter ad productionem gratiæ & miraculorum, aliorumque effectuum supernaturalium concurrat.* ibid.

Disputatio XVII. *De impeccabilitate & merito Christi.* 290.

Quæstio I. *An Christus de potentia absoluta peccare potuerit.* ibid.
II. *An Christus meruerit adimplendo præceptum Patris, de subeunda morte pro salute generis humani.* 302.
III. *An Christus gloriam sui corporis, suique nominis exaltationem sibi meruerit.* 310.
Disputatio XVIII. *De servitute, oratione, & sacerdotio Christi.* 312.
Quæstio unica, *An Christus ut homo sit verè servus Dei? an oraverit? an sit Sacerdos? & an potestatem regiam, non solùm spiritualem, sed etiam temporalem habuerit?* 313.
Disputatio XIX. *De adoptione & prædestinatione Christi,* 315.
Quæstio I. *An Christus in quantùm homo, sit filius adoptivus Dei.* ibid.
II. *Quisnam sit terminus primarius & principalis prædestinationis Christi.* 320.
III. *An Christus meruerit prædestinationem nostram, ut est comparativa, & electio unius præ alio.* 323.
TRACTATUS II. *De Sacramentis in communi.* 328.
Disputatio I. *De essentia Sacramenti.* ibid.
Quæstio I. *An solùm in genere signi, vel etiam in genere causæ, Sacramentum in communi debeat constitui.* 329.
II. *Cujus rei sacræ Sacramentum sit signum, & an sit signum unius rei tantùm.* 333.
III. *An Sacramentum sit semper res aliqua sensibilis, & hoc sit illi ita essentiale, ut de potentia Dei absoluta non possit institui Sacramentum in aliqua re spirituali & insensibili.* 337.
IV. *An res sensibiles quibus in Sacramentis utimur, debeant esse determinatæ à Deo.* 340.

V. *An omnia Sacramenta novæ legis componantur ex rebus & verbis, sicut ex materia & forma, tamquam ex partibus essentialibus.* 345.
VI *Quæ mutatio ex parte materiæ vel formæ, reddat Sacramentum invalidum.* 358.
Disputatio II. *De existentia Sacramentorum.* 364.
Quæstio I. *An aliqua Sacramenta fuerint de facto in statu innocentiæ, vel futura fuissent Adamo non peccante, supposito saltem quòd posteri ejus peccassent.* ibid.
II. *An in statu legis naturæ fuerint vera Sacramenta, tam pro adultis, quàm pro parvulis, eaque immediatè à Deo determinata fuerint, & necessaria necessitate medii ad salutem.* 373.
III. *An in lege Mosaica, præter circumcisionem, alia fuerint vera Sacramenta, & quot.* 380.
Disputatio III. *De gratia Sacramentali.* 383.
Quæstio I. *An Sacramenta novæ legis sint causæ gratiæ, eamque conferant ex opere operato non ponentibus obicem.* ibid.
II. *Quomodo Sacramenta producant gratiam, an instrumentaliter physicè, vel solùm moraliter.* 387.
III. *Quam gratiam causent Sacramenta novæ legis, an primam, vel secundam.* 407.
IV. *Quid addat gratia Sacramentalis supra gratiam habitualem.* 415.
Disputatio IV. *De charactere Sacramentali.* 419.
Quæstio I. *An & quæ Sacramenta novæ legis imprimant characterem.* ibid.
II. *Quid sit character Sacramentalis.* 423.
III. *Quodnam sit subjectum proximum & immediatum characteris Sacramentalis.* 428.
Disputatio V. *De Sacramentorum institutore, ministro, numero, & ordine.* 435.
Quæstio I. *An potestas ministerialis instituendi*

Sacramenta, & potestas excellentiæ quæ fuit in Christo, homini puro communicari potuerit. 436.

II. *Quinam sint Sacramentorum ministri.* 442.

III. *An ad valorem Sacramenti requiratur intentio ministri qua intendat Sacramentum perficere.* 446.

IV. *An per malos ministros validè possint Sacramenta conferri.* 455.

V. *An ministri Sacramenta in peccato mortali ministrantes, semper peccent mortaliter.* 458.

VI. *De numero & ordine Sacramentorum.* 462.



TRA-



TRACTATUS I.

De Incarnatione Verbi divini ;



UM Christus sit totius gratiæ & virtutis fons, visis omnibus quæ ad gratiam sanctificantem & ad virtutes, tum Theologicas, tum Cardinales spectant, modò ad ipsius Christi cognitionem occupanda est Theologia nostra; imò utinam unusquisque diceret cum Apost. 1. Cor. 2. *Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum & hunc crucifixum :* ut ergo in quantùm patitur humana fragilitas, de ineffabili incarnationis mysterio notitiam habeamus, sit



DISPUTATIO. I.

De possibilitate Incarnationis.

OMitto disputationem proœmialem, in qua Gonetus refert hæreticorum errores qui circa incarnationis mysterium fuerunt. Tum quia videri possunt apud ipsum & alios Theologos. Tum quia in propriis locis in quibus agitanda erit difficultas, aut potiùs erit dicenda veritas quam hæretici impugnaverunt, nominabuntur; ideò sit

QUÆSTIO I.

An Incarnatio sit possibilis?

SUppono tamquam certissimum apud omnes qui nomine Christiano gloriantur, Messiam jam venisse. Tum quia constat in sacra Scriptura: nam Joan. 4. legitur Samaritanam dixisse, *Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus*; cui Jesus respondens dixit, *Ego sum qui loquor tecum.* Et Joan. 1. *Verbum caro factum est*. Tum quia authoritas Judæorum, quæ in adventu Messiæ auferenda erat, juxta illud Genes. 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*; penitùs extincta est, ut patet. Unde examinandum est, an incarnatio illa sit possibilis, vel non?

Dico igitur, quòd incarnatio Verbi est possibilis. Hæc conclusio est evidens, quia de actu ad posse valet consequentia; sed incarnatio facta est, ut suadet illud Joan. 1. *Verbum caro factum est*: ergo est in se possibilis. Prob. tamen ex Scoto in 3. dist. 1. quæst. 1. Incarnatio est quædam unio naturæ humanæ cum Verbo in unitate suppositi divini; sed hæc unio est possibilis: ergo. Prob. minor: Ut unio illa sit possibilis, sufficit, quòd divina voluntas possit separare à natura humana proprium suppositum, & quòd suppositum Verbi divini possit ejus munus, & officium supplere, quoniam hoc supposito, natura humana erit unita cum Verbo in unitate suppositi divini; sed voluntas divina auferre potest à natura humana proprium suppositum. Tum quia natura est prior subsistentia seu personalitate; ideòque de potentia Dei, natura potest privari subsistentia propria. Tum quia natura realiter distingui-

tur

tur à personalitate. Tum quia suppositum creatum consistit in duplici negatione: nam natura est ex se communicabilis; unde hæc negatio communicationis convenit ei contingenter & extrinsecè, id est, per defectum causæ extrinsecæ assumentis, & quia non assumitur in illo instanti in quo producitur, per negationem illam in se personatur; subindeque proprium suppositum potest auferri à Deo. *Deinde*, suppositum Verbi supplere potest officium & munus suppositi humani: nam persona divina continet in se perfectiones & virtutes suppositi creati, sicut divina voluntas continet perfectiones voluntatis creatæ; ideòque terminare & personare potest naturam creatam, ipsamque incommunicabilem reddere, sicuti suppositum proprium, cùm sit infinita & independens; & independens, dependens terminare valeat: ergo possibilis est unio naturæ humanæ cum Verbo in unitate suppositi divini.

Dices 1. Essentia divina est infinita & perfecta sicut persona divina; tamen impossibile est, quòd sit essentia alicujus creaturæ: ergo etiam impossibile est, quòd una persona divina sit persona alicujus naturæ creatæ. Resp. negando consequentiam: Ratio est, quia essentia naturæ creatæ, est tota ipsa natura; & divina, totus Deus; unde cùm implicet Deum esse essentialiter creaturam, & creaturam esse essentialiter Deum, implicat etiam essentiam Dei, esse essentiam creaturæ, & implicat etiam creaturam habere essentiam Dei. At subsistentia aut personalitas, est modus naturæ constitutæ in proprio esse, terminans naturam & reddens ipsam incommunicabilem ut *quod* & ut *quo*; unde ut natura humana fiat incommunicabilis, sufficit, quòd sustentetur personalitate Verbi quæ est incommunicabilis, quod fit absque ulla mutatione in Verbi personalitate sustentante & terminante dependentiam natu-

ræ: nam personalitas Verbi non fit formaliter natura humana, nec natura humana fit formaliter personalitas Verbi; sed fieri non posset sine mutatione intrinseca, si essentia Dei esset essentia creaturæ, cùm tale sit constitutivum, quale est constitutum; & personalitas, non sit talis, qualis est natura personata; aliàs personalitas Patris esset communis sicut natura, quod est falsum: ergo non valet paritas.

Dices 2. Ratio terminandi quam habet personalitas Verbi, exhauritur & completur terminando naturam divinam infinito modo: ergo personalitas Verbi nequit terminare nec reddere incommunicabilem naturam humanam. Resp. distingnendo antecedens: Ratio terminandi quam personalitas divina habet, exhauritur & completur ad intra, & in ordine ad actum primarium & adæquatum, concedo; ad extra & in ordine ad actum secundarium, nego antecedens & consequentiam. Nam divina voluntas quæ est principium productivum Spiritus sancti & creaturarum, in productione Spiritus sancti exhauritur ad intra, & habet terminum adæquatum, sed non exhauritur ad extra, aliàs non esset causa rerum, quod est falsum: ergo licèt personalitas exhauriatur ad intra, terminando naturam divinam; tamen non exhauritur ad extra, ideoque terminare potest naturam creatam, eamque personare, licèt personet etiam divinam naturam.

Instabis: Personalitas creata, dum terminat naturam humanam, non potest terminare divinam: ergo nec divina humanam naturam, dum terminat naturam divinam. Resp. negando instantiam. Tum quia natura divina non potest sustentari in personalitate creata, cum sit ens in se infinitum per se & à se, humana verò sustentari potest in divina personalitate, cùm sit dependens & finita. Tum quia divina est indistincta à natura divina, humana verò est distincta realiter.

Insta-

Instabis: ergo si personalitas creata nequeat terminare naturam divinam, quia est finita & natura divina infinita; Divina quæ est infinita nequit personare naturam humanam, quæ est finita. Resp. negando paritatem, quia persona divina licèt infinita sit, personat naturam humanam modo finito & convenienti: At persona finita nequit personare modo infinito naturam divinam. Nec hoc implicat infinito; nam essentia divina est infinita, tamen perficit intellectum beati modo finito, nempè per finitam & limitatam terminationem: non enim implicat, quòd infinitum, finitum attingat & producat: At implicat, quòd finitum, infinitum attingat & terminet. Intellectio divina terminatur ad creaturas quæ finitæ sunt, sed intellectio creata non terminatur ex se ad Deum qui infinitus est.

Dices 3. Nulla est proportio inter personalitatem Verbi divini & naturam humanam, ut manifestum est, cùm nulla sit major distantia, quàm illa quæ est inter Deum & hominem: ergo unio naturæ humanæ cum Verbo in unitate suppositi, non est possibilis. Resp. negando antecedens: Nam inter personam divinam & naturam humanam, datur proportio habitudinis & dependentiæ; qualis est illa quam terminabile dicit ad terminativum, & creatura in ratione effectus ad Deum quatenùs est causa; aliàs creatura non esset producta à Deo, cùm nulla esset proportio inter Deum & creaturam.

Instabis, Duo contraria non possunt esse simul: ergo nec Deus & creatura in incarnatione uniri possunt. Resp. negando consequentiam: quia duo contraria non se expellunt ratione distantiæ aut contrarietatis entitativæ, seu entis ad ens, sed ratione oppositionis aut repugnantiæ quam habent ratione qualitatum oppositarum, ut patet in nigredine & albedine:

nem non mutatur sicut humanitas, quamvis ipsi humanitati uniatur. Præterea, natura humana completur & perficitur, Verbum verò perficit & complet: ergo non se habet respectu humanitatis, sicut humanitas se habet respectu Verbi, quamvis sit homo, sicut homo est Deus.

Instabis, Verbum divinum non potest esse compars respectu humanitatis: ergo nequit eam complere, nec perficere. Resp. negando consequentiam, quia complere & perficere spectat etiam ad terminum alicujus dependentiæ. *Instabis* iterum: Implicat, quòd Verbum divinum compleat dependentiam naturæ humanæ, in ratione termini, cùm terminare, ad entitatem spectet, & omnia quæ in Deo sunt, sint una & eadem entitas. Resp. negando instantiam. Tum quia formalitas potest esse terminus, sed Verbum terminat naturam humanam, formalitate relativa sibi propria, & formaliter distincta à natura. Tum quia in divinis sunt tres subsistentiæ realiter distinctæ: ergo non implicat, quòd una terminet dependentiam naturæ humanæ, cùm subsistentia divina munus subsistentiæ creatæ gerere valeat, & consequenter non implicat, quòd Verbum incarnetur.

QUÆSTIO I.

An possibilitas Incarnationis, naturali lumine ab intellectu creato evidenter cognosci possit?

DICO 1. quòd solo lumine naturæ non potest possibilitas incarnationis, seu unionis subsistentiæ divinæ cum aliqua natura creata, evidenter cognosci. Ita omnes Theologi, Patres, & Scriptura. Ad Ephes. 3. dicitur: *Sacramentum*

ab-

absconditum à sæculis in Deo. Et Cyril. Alexandr. ad reginas: *Ænigma sacratissimum, quod nulla mens creata potest intelligere.*

Prob. 1. Rationis naturalis lumen attingit & demonstrat dumtaxat omne quod est naturale; quia nullum medium tendere potest extra suum finem, nec potentia agere extra sphæram activitatis suæ, ut manifestum est apud omnes: sed incarnatio est extra finem & limites luminis naturæ. Tum quia est in ordine supernaturali. Tum quia est extra sphæram activitatis nostræ: nam cùm Deus sit artifex infinitus, ipsi concedendus est effectus aliquis activitatem totius naturæ excedens, ut ait August. epist. 3. ad Volusianum: *Demus ergo aliquid Deum posse, quod nos fateamur investigare non posse: nam in rebus tota ratio facti, est potentia facientis:* Qui quidem effectus est incarnatio Verbi divini, seu unio qua Deus fit homo, & homo Deus; idcircò incarnatio excedit activitatem naturæ: ergo lumen naturale nequit demonstrare incarnationis mysterium. 2. Ut intellectus proprio lumine cognoscat incarnationem esse possibilem; oportet, quòd cognoscat naturam creatam privari posse propria subsistentia, cùm ratio naturalis demonstret evidenter naturam subsistentem esse inassumptibilem: sed lumine naturali intellectus non cognoscit subsistentiam separari posse à propria subsistentia, cùm hanc separabilitatem probet solùm incarnationis mysterium: ergo &c. 3. Nullum est medium in rebus creatis, ex cujus cognitione cognosci possit incarnationis possibilitas, quia incarnatio nullam connexionem habet cum creaturis, quæ omnem perfectionem & naturaliter debitam haberent, etiamsi incarnatio impossibilis esset: ergo intellectus nequit naturaliter, secluso auxilio, aut medio fidei, cognoscere incarnationis possibilitatem, cùm ut cognoscat, tali medio inducente indigeat.


Dices 1. Lumen naturale evidenter demonſtrat myſterium incarnationis non eſſe impoſſibile, ut eſt manifeſtum: ergo demonſtrat, quòd eſt poſſibile; cùm ex repugnantia impoſſibilitatis, ſequatur neceſſariò evidentia poſſibilitatis. Reſp. diſtinguendo antecedens: Lumen naturale evidenter demonſtrat negativè myſterium incarnationis non eſſe impoſſibile, id eſt, non probat eſſe impoſſibile, concedo; Demonſtrat poſitivè non eſſe impoſſibile, id eſt, probat eſſe poſſibile, nego antecedens & conſequentiam: quia poſſibilitas non ſequitur ex non repugnantia negativè, ſed poſitivè probata: multa enim ſunt quæ non cognoſcimus impoſſibilia, quia nullam rationem habemus, unde probari poſſit eorum impoſſibilitas; quæ tamen non cognoſcimus poſſibilia, quoniam nullam rationem habemus, unde à nobis probari poſſit eorum poſſibilitas.

Inſtabis: Ratio naturalis probat poſitivè myſterium incarnationis eſſe credibile, probando negativè non eſſe impoſſibile: ergo probat poſitivè, quòd eſt poſſibile. Reſp. negando conſequentiam: quia credibilitas ſumitur ex authoritate dicentis, poſſibilitas verò ex principiis intrinſecis rei; idcircò licèt cognoſcamus myſterium incarnationis eſſe, propter authoritatem revelantis; non cognoſcimus tamen ipſum myſterium eſſe poſſibile, cùm non cognoſcamus naturali lumine ejus principia intrinſeca.

Dices 2. Ratio naturalis evidenter cognoſcit omnipotentiam Dei: ergo cognoſcit incarnationis poſſibilitatem. Prob. conſequentia: Omnipotentia non poteſt verè cognoſci, quin cognoſcantur ejus opera; ſed incarnatio eſt opus omnipotentiæ: ergo. Reſp. negando conſequentiam, ad cujus prob 1. diſtinguo majorem: Omnipotentia non poteſt verè cognoſci, ut cauſa naturalis, quin cognoſcantur omnia ejus opera naturalia, concedo; quin cognoſcantur

omnia

omnia ejus opera absolutè, seu tam supernaturalia, quàm naturalia, nego majorem & consequentiam: quia incarnatio est opus supernaturale & gratiæ, quod omnipotentia producit, ut causa supernaturalis & gratiæ, quam ratio naturalis non cognoscit seclusa fide, aut gratiæ auxilio.



Dices 3. Ratio naturalis evidenter cognoscere potest, quod Deus ut author naturæ cognoscit, quia nobis communicat cognitiones naturales: sed ut author naturæ cognoscit incarnationem; ergo homo potest illam cognoscere lumine naturali. Resp. negando minorem; Deus enim consideratus ut author naturæ, nihil cognoscit nec facit quod non sit intra ordinem naturæ, & consequenter sic non cognoscit incarnationem, nec eam in hoc sensu velle potest. Nam Deus ut author naturæ nequit esse nostra perfecta beatitudo, nec unire humanitatem Verbo divino in unitate suppositi, cùm sit opus supernaturale.

Dico 2. quòd etiam supposita fide & revelatione incarnationis, non potest ejus possibilitas naturali ratione demonstrari: sed solùm ratione probabili suaderi. Prob. Fides est obscura, ut dictum est in tract. præcedenti: ergo impossibile est, quòd ex fide, intellectus habeat evidentem notitiam de incarnationis mysterio quod fides docet. *Deinde*, supposita fide aut revelatione incarnationis, incarnatio est semper effectus supernaturalis, & intellectus est potentia naturalis: ergo nequit cognoscere incarnationis possibilitatem. Verum est, quòd eam suadere potest ratione probabili ex certitudine fidei deducta.

Dices 4. Supposita fide, Angelus potest cognoscere naturaliter subsistentiam Christi non esse humanam, sed divinam; cognoscit enim per revelationem, illam non esse humanam: ergo inferre debet illam subsistentiam esse divi-

vinam; cùm certus ſit lumine naturali omnem perſonam eſſe increatam vel creatam. Reſp. negando conſequentiam, quia licèt Angelus naturaliter cognoſcat ſubſiſtentiam Chriſti non eſſe humanam, tamen neſcit, an ſit divina: ſcimus enim, inquit Aug. Deum non eſſe corpus, nec materiam, &c. neſcimus tamen *quid ſit Deus*.


Inſtabis: Inter perſonalitatem divinam & creatam non datur medium: ergo ſi Angelus evidenter cognoſcat perſonam Chriſti non eſſe humanam, certus eſt & evidenter cognoſcit, quòd eſt divina; ſubindeque non valet paritas. Reſp. negando conſequentiam, quia Angelus, licèt evidenter cognoſcat perſonam humanam non eſſe in Chriſto; tamen non cognoſcit evidenter in Chriſto eſſe unam perſonam; rationabiliter enim dubitare poteſt, an Deus utendo ſua potentia abſoluta, conſervet humanitatem abſque ulla ſubſiſtentia; vel an creaverit aliquid ordinis ſupernaturalis gerens vices ſubſiſtentiæ humanæ: ergo licèt certus ſit perſonam humanam non eſſe in Chriſto, non infert evidenter humanitatem ſubſiſtere ſubſiſtentia Verbi.

Dices iterum: Dæmon de facto cognovit ſubſiſtentiam Chriſti eſſe divinam, & ipſum Chriſtum eſſe Deum: nam Luc. 4. dicebat illi, *Scio quod ſis ſanctus Dei*; & alibi, *Exibant autem dæmonia à multis clamantia & dicentia, quia tu es filius Dei*: ergo de facto cognoverunt incarnationis myſterium, non ſupernaturaliter nec per revelationem, cùm ſint incapaces omnis divini beneficii; ſed naturali cognitione, ut inſinuare videtur Scotus pluribus in locis, ubi docet angelum poſſe naturaliter intelligere myſteria gratiæ jam exiſtentia.

Reſpondeo negando antecedens: ad cujus probationem, dico, quòd dæmones ob mirabilia Chriſti virtute effecta quamdam Chriſti notitiam habuerunt, quæ non eſt evidens, ſed conjecturalis, ſicut ea quam habuit mulier Samarita-

na

na dicens, *Scio quia Messias venit*; nec certa, sed dubia, quia non obstantibus plurimis divinæ virtutis signis in Christo elucescentibus, dæmones dubitabant, quia in eo conspiciebant etiam humanæ infirmitatis exempla: Unde ad eum accessit Tentator dicens: *Si Filius Dei es &c.* Math. 4. Neganda est igitur consequentia; ad cujus probationem, dico Doctorem subtilem loqui de mysteriis gratiæ supernaturalibus, quæ nullum dicunt ordinem ad aliquid increatum, & quæ in ente naturali subsistunt, ut sunt v. g. habitus infusi, ut in Tractatu de Angelis dictum est cum eodem Doctore: quod de mysterio Incarnationis verificari minimè potest, cùm involvat ordinem ad Verbum increatum, & iidem non possunt illud cognoscere naturali lumine, supposita etiam divina revelatione de eodem mysterio: alioquin Angelus non dixisset Mariæ: *Non erit impossibile apud Deum*, sed dixisset, *Erit possibile*, ut observat Paulus Aresius Episcopus Dertonensis, quia cognovisset illud evidenter: quod implicat ratione fidei, quæ cùm necessariò obscura sit, notitiam evidentem parere non potest: quamvis ipsa mediante, naturalis ratio possit conjecturis & exemplis suadere Incarnationis possibilitatem.



DISPUTATIO II.

De convenientia Incarnationis.

CUm aliud sit aliquid esse possibile, & aliud esse conveniens (plura enim sunt possibilia quæ non conveniunt) visa disputatione de possibilitate, examinanda est hæc de convenientia.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An conveniens fuerit Deum incarnari?

DIco 1. Mysterium Incarnationis esse conveniens Deo. Illud opus est maximè Deo conveniens, in quo specialiter resplendent omnipotentia, misericordia, bonitas Dei &c. sed incarnatio est opus in quo omnipotentia plus facere non potuit, misericordia plus dare non potuit, & bonitas plus communicare nescivit, ut est manifestum: ergo incarnatio est opus Deo conveniens. *Deinde*, creatio universi est Deo conveniens, cùm cedat in gloriam Dei, ut docet Scriptura: ergo à fortiori restauratio universi, seu incarnatio Verbi quæ cedit in majorem gloriam Dei, debet esse Deo conveniens.

Dices 1. Incarnatio est punitio justi pro injustis; ergo non convenit Deo, cui non convenit puniri, nec punire innocentem. Resp. distinguendo antecedens, Incarnatio est punitio per modum vindictæ & castigationis, nego antecedens; per modum satisfactionis & reparationis, concedo antecedens, & negò consequentiam. Quia licèt non conveniat Deo puniri, nec punire innocentem per modum vindictæ & castigationis, quæ peccatum proprium supponunt & vindicant sub spe emendationis; convenit tamen ipsi puniri, ut fidejussor in natura innocente, & punire innocentem per modum reparationis & satisfactionis, quoniam gloriosum est Christo reparare homines lapsos & pro ipsis satisfacere, nec dedecet summam Dei majestatem assumere carnem non relinquendo divinitatem, ut homo fiat Deus.

Dico 2. quòd Incarnatio est conveniens natu-

ræ humanæ. Prob. Quod eſt bonum naturæ humanæ, commodum, utile & glorioſum, eſt ipſi conveniens: ſed incarnatio Verbi eſt ſummum bonum: quid enim melius, utilius, commodius, & glorioſius accidere poteſt naturæ humanæ quàm unio hypoſtatica, inviolabilis conjunctio, & admirabile commercium cum divinitate? ergo eſt conveniens ipſi. *Deinde*, per incarnationem homo fit Deus, caput Angelorum &c. Ergo incarnatio eſt conveniens naturæ humanæ.

Dices: Proprii boni privatio non eſt conveniens naturæ; ſed incarnatio privat naturam bono proprio & naturaliter debito, nimirum ſubſiſtentia: ergo non eſt ipſi conveniens. Reſp. diſtinguendo majorem: Proprii boni privatio non eſt conveniens naturæ, ſi per privationem illam remaneat nuda & privata ſimpliciter proprio bono, concedo; Si privatio ſit ordinata ad melius bonum, nego majorem. Et diſtincta ſimiliter minori, nego conſequentiam, quia privatio propriæ ſubſiſtentiæ ordinatur ad meliorem, nempe ad ſubſiſtentiam Verbi. *Inſtabis*: Melius eſt naturæ habere propriam ſubſiſtentiam, quàm ſubſiſtentiam Verbi: ergo. Reſp. diſtinguendo inſtantiam: Melius eſt naturæ ſecundùm appetitum innatum, concedo; ſecundùm appetitum elicitum, nego.

Dico 3. Incarnationis myſterium fuiſſe conveniens toti univerſo: nam omnes res creatæ in homine continentur: ergo ſi incarnatio ſit perfectio, & conveniat homini, convenit omni creaturæ, cùm homo ſit omnis creatura, ut colligunt Patres ex illo Luc. 16. *Prædicate Euangelium omni creaturæ*. Deinde, omnes creaturæ invitantur ad hoc myſterium perficiendum, his verbis, *Rorate cæli deſuper & nubes pluant juſtum, aperiatur terra & germinet Salvatorem*: ſicut per peccatum Adæ, omnis creatura fuit læſa, & peccatum fuit diſconveniens

toti universo; ita incarnatio fuit gaudium conveniens toti universo. Prætereà, per incarnationem datur in universo perfectissimus gradus entis & gratiæ in generationis ordine, dum fœmina genuit sine viro, quod est miraculosum: ergo incarnatio est perfectio universi, subindeque fuit ipsi conveniens. *Tandem*, major diversitas est universo conveniens, cùm ejus pulchritudo in varietate consistat: sed per incarnationem est major varietas: nam in universo quælibet substantia habet suum suppositum; at per incarnationem habetur diversus modus, cùm una natura humana careat proprio supposito, & subsistat in supposito increato; ergo est conveniens toti universo.

Dices: In Incarnatione plura dantur humanitati assumptæ dona, quàm in universo mundo, cum in ipsa inhabitet plenitudo divinitatis, ut monet Apostolus: ergo incarnatio non fuit universo conveniens, quia non convenit toti minus habere, imò incongruum videtur plus dare parti quàm toti. *Nego* consequentiam, quia ex eo quod datur parti, illustratur totum cujus est pars. Undè cùm humanitas assumpta intra creaturarum ambitum includatur, ut est manifestum, & in ipsa Deus proposuerit instaurare omnia, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt, sequitur, quòd ex donis humanitati assumptæ exhibitis, ens creatum pervenit ad apicem gloriæ, & summam obtinuit perfectionem, sicque incarnatio fuit conveniens universo mundo.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An fuerit magis conveniens Filium incarnari, quàm Patrem vel Spiritum sanctum; & naturam humanam, potius quàm Angelicam, ab illo assumi?

DIco 1. Quòd convenientius fuit Filium incarnari, quàm Patrem, & Spiritum sanctum. Prob. Peccatum Adæ, licèt sit offensa contra Deum ut unum & ut trinum, tamen specialiter est contra Patrem, cui attribuuntur potestas & imperium: ergo convenientius fuit Filium incarnari & pro homine satisfacere, quàm Patrem satisfacere sibi, Filio & Spiritui sancto: nam Pater ex D. August. est principium totius divinitatis: ergo ad ipsum fieri debet omnis satisfactio, & ipsi offerri debet omne sacrificium; subindeque convenientius fuit Filium incarnari, quàm Patrem, etiam quàm Spiritum sanctum: nam conveniεntius erat reparare hominem per id, per quod factus fuerat; sed factus fuerat per Verbum, in quo facta sunt omnia: ergo magis conveniens fuit Filium, seu Verbum incarnari, quàm Spiritum sanctum. *Deinde*, per incarnationem homo debebat fieri Filius Dei: ergo potiùs per Filium, quàm per Spiritum sanctum. Tum quia nõ est Filius Dei; & ille per quem homo debebat fieri Filius Dei, debebat esse caput & primogenitus, subindeque Filius. Tum quia Spiritus sanctus non est imago Dei: ergo non conveniret nobiscum in omnibus (absque peccato) sicut Filius: ergo fuit magis conveniens Filium incarnari. Prætereà, magis conveniens fuit Virginem concipere, Spiritu sancto cooperante, quàm Filio, cùm Spiritus sanctus sit fons totius doni & gratiæ ad extra: ergo ma-

gis conveniens fuit Filium incarnari, quàm Spiritu sanctum.

Dices 1. Magis conveniens est hominem dependere à Patre, quàm à Filio: ergo magis conveniens fuit Patrem incarnari, quàm Filium, cùm homo dependeat à persona incarnata. Resp. Magis conveniens est hominem dependere à Patre quàm à Filio, principaliter & imperativè, concedo; Ministerialiter & obedientialiter, nego antecedens & consequentiam: Quia homo non dependet à persona incarnata, principaliter & imperativè, sed tantùm ministerialiter, quia Pater præcepit Filio, & misit ipsum, & Filius fuit missus, juxta illud ad Gal. 4. *Misit Deus Filium suum &c. Instabis*: tres personæ habent easdem perfectiones: ergo non est magis conveniens unam incarnari, quàm aliam. Resp. negando consequentiam, quia major convenientia non fundatur in perfectione, sed in proprietate notionali.

Dico 2. Magis conveniens fuisse naturam humanam assumi à Verbo, quàm Angelicam. Prob. 1. Verbum assumendo naturam humanam, adoptavit omnes homines, & fuit cohæres & confrater omnium hominum; at si assumpsisset naturam Angelicam, non adoptasset omnes Angelos, nec fuisset confrater omnium; cùm quilibet Angelus speciem suam constituat: ergo &c. 2. Adamo peccante, nullus homo remansit innocens: Lucifero verò peccante, plures Angeli remanserunt in gratia: ergo magis conveniens fuit assumere naturam humanam, quàm Angelicam. 3. Si assumpsisset naturam Angelicam, ille Angelus Deus fuisset invisibilis hominibus, & homo Deus est visibilis Angelis: ergo fuit magis conveniens. 4. Homo erat minùs indignus, & erat capax pœnitentiæ: ergo magis conveniens fuit medicum esse hominem quàm Angelum. 5. Convenientius fuit satisfacere Deo læso per effusionem sanguinis & mor-

mortem: ergo magis conveniens fuit naturam humanam assumi, quàm Angelicam, quæ est mortis incapax. *Tandem*, magis conveniens fuit deificare totum universum, quàm unam partem dumtaxat: sed Verbum assumendo naturam humanam deificavit totum universum, & assumendo Angelicam deificasset tantùm Angelum, qui non est omnis creatura, sicut homo: ergo magis conveniens fuit naturam humanam assumi, quàm Angelicam.

Dices 2. Natura Angelica est perfectior: ergo magis decebat Deũ assumere naturam Angelicã. Resp. negando consequentiam, quia magis decet medicum, infirmiores, quàm digniores visitare; at homines erant infirmiores: nullus enim post peccatum Adæ, sanus permansit. Præterea, homo erat magis capax remedii & medicinæ, quia Angelus erat inflexibilis: ergo Verbum potiùs assumere debuit naturam humanam. *Tandem*, Christus mortuus est ex motivo humilitatis: ergo magis conveniens fuit naturam humanam assumere, quæ est humilior, quàm Angelicam.

Quæres, An incarnatio convenienti tempore facta fuerit? Resp. affirmativè. Prob. Convenientius fuit, ut incarnatio non fieret ab initio mundi, nec differretur ad ejus finem: ergo facta fuit tempore convenienti. Prob. 1. pars: Verbum incarnatum est medicus, sacerdos & victima; & peccator est infirmus, reus & debitor: ergo convenientius fuit, medicum venire rogatum, & diù desideratum: Et infirmum, quia reus erat, pati, ut culpam cognosceret: ergo non debuit venire statim post peccatum. Nec post finem sæculorum; aliàs post mortem venisset medicus. *Deinde*, venit ut glorificator & pater: ergo incarnatio facta fuit tempore convenienti, quia in principio mundi & post ejusdem finem, non erant homines, in quorum conspectu, & ad quorum instructionem & salutem, Deum Patrem exaltare potuisset.

Dices: Si Christus venisset statim post peccatum, majorem amoris significationem exhibuisset, & suis plures illustrasset exemplis & doctrina, quos non illustrasse certum est; & si venisset in fine mundi, fecisset id quod fecit in medio sęculorum: ergo non venit convenientiori tempore. *Nego* consequentiam, quia convenientius est differre usque ad plenitudinem temporis, quod est plenum & maximum beneficium, quàm illud dare in principio temporum, ut notat D. Bonaventura; & in hoc exhibetur major amoris significatio, cùm commune bonum privato præponatur & prosit pluribus: sicut enim sol in medio planetarum positus, superiores & inferiores illuminat, & in meridie magis lucet & ardet quàm in principio & in fine diei; sic Christus sol justitiæ veniens in plenitudine temporum, illuminavit anteriora sæcula per fidem & spem adventus sui, & sequentia per Euangelium; quod non fecisset, si venisset statim post peccatum Adæ, cùm nullus habuisset fidem nec spem de adventu ipsius, nec si venisset in fine sæculorum, cùm nulli reliquisset Euangelium & Sacramenta, subindeque in principio temporum, nec in fine eorumdem fecisset omne id quod fecit in medio.



DISPUTATIO III.

De necessitate Incarnationis.

QUoniam aliquid conveniens esse potest quin simul sit necessarium, visa & examinata incarnationis convenientia, inquirenda est ejus necessitas.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An homo purus sit impotens ad satisfaciendum de condigno pro suo vel alieno peccato mortali?

ADvertendum est, quæstionem non procedere de homine in statu puræ naturæ, quia per *Ly purus*, excludimus tantùm unionem hypostaticam cum divinitate, non autem gratiam sanctificantem, dona supernaturalia &c. Unde difficultas est, an homo, quin sit Deus ut Christus, licèt sit sine peccato originali conceptus, & habeat tantam gratiam, quantam Christus habuit, possit condignè satisfacere pro peccatis hominum, eosque redimere, supposito decreto de condigna satisfactione exhibenda?

Dico igitur, quòd purus homo potuisset de potentia Dei extraordinaria, pro peccatis totius generis humani condignam satisfactionem exhibere. Ita Scotus in 3. dist. 20. §. *contra illud*, ubi ait, *Unus purus homo potuisset satisfacere pro omnibus, si fuisset conceptus sine peccato, & habuisset summam gratiam quam Christus habuit, sicut potuisset fieri de possibili.* Prob. Ut homo satisfacere valeat de condigno, sufficit, quòd eliciat opus, quod sit tantæ dignitatis, quantæ indignitatis est peccatum; sed homo constitutus caput totius generis humani, gratia summa, aliisque donis supernaturalibus præditus, potuit elicere actum charitatis & obedientiæ, tantæ dignitatis, quantæ indignitatis fuit peccatum Adæ: ergo &c. Prob. minor: Ille charitatis actus haberet omnia principia, unde sic dignificari posset, opposita principiis quibus indignificatum & malum fuit peccatum Adæ: ergo esset condignus & æqualis.

Consequentia patet, quia tota peccati gravitas provenit à principiis, & motivis, & circunstantiis. Prob. antecedens: Peccatum fuit tantæ gravitatis, vel ratione personæ peccantis, vel ratione Dei offensi, vel ex ipsa natura actus peccaminosi; sed hæc omnia essent in actu charitatis illius hominis puri: ergo &c. Prob. minor 1. Adamus qui est persona peccans, non erat dignior isto homine puro, quem supponimus sine peccato originali conceptum, omni gratia præditum. 2. Deus propter quem eliceretur charitatis actus, esset idem Deus quem peccatum Adæ offenderat; at Actus charitatis est magis gratus Deo, quàm peccatum displicens & dissonum. Tum quia Deus est pronior ad bonum quàm ad malum: ergo opus malum non tam displicet Deo, quàm opus bonum & sanctum placet. Tum quia actus malus non est magis oppositus Deo, quàm actus bonus est ipsi conformis. Tum quia actus ex se malus non specificatur ab objecto, nempè Deo, intentiori modo quàm actus ex se bonus, qui fit propter Deum: ergo nec ex parte personæ offendentis, nec ex parte personæ offensæ, peccatum esset majus in indignitate, quàm opus illius puri hominis in dignitate: Nec ex natura peccati, nam ut expresse probatum est in 2. tom. tract. de peccatis, disput. 9. quæst. 4. peccatum non est infinitum in ratione offensæ & injuriæ: ergo non implicat de potentia absoluta, actum charitatis intendi usque ad gradum correspondentem ultimo gradui malitiæ peccati.

Confir. 1. Sicut peccatum Adæ est infinitæ gravitatis ex eo quòd fit contra Deum prohibentem comestionem esus vetiti, ita posset opus illius puri hominis esse infinitæ perfectionis, ex eo quòd respiceret Deum infinitæ perfectionis, talem actum præcipientem & volentem, elicitum cum tanta obedientia & humilitate, quanta fuit malitia, inobedientia & superbia Adæ. Ratio

tio hujus rei est, quia sicut malitia crescit ex dignitate personæ offensæ; ita etiam crescit perfectio amoris, & reverentiæ, & obedientiæ ex dignitate personæ amatæ & honoratæ, cùm tam desumat ac specificetur amor ab objecto, quàm odium, & tantus sit amor Dei in linea boni, quantum est odium in linea mali.

Confirm. 2. Sicut per peccatum aufertur à Deo ratio ultimi finis, ita per actum charitatis restituitur; ut est evidens: ergo ille homo purus sine peccato originali conceptus, constitutus caput totius generis humani & omnibus donis supernaturalibus præditus, condignè satisfecisset pro peccatis hominum: nam ille qui centum abstulit, dum centum reddit, condignè & perfecta æqualitate satisfacit.

Resp. Gonet. quòd eliciens actum charitatis, reddit Deo totum, quod peccatum abstulerat, actu non adæquante in valore gravitatem offensæ, non verò actu illam adæquante; & explicat solutionem: duplex (inquit) datur satisfactio, una pro re ablata, quæ vocatur restitutio; altera pro injuria illata, quæ dicitur propriè satisfactio: ad illam sufficit restitutio æquivalentis, ad hanc verò requiritur æqualitas valoris obsequii cum gravitate injuriæ; unde si plebeus aliquid à Rege auferret per rapinam, & æquivalens restitueret, satisfaceret quidem pro re ablata, non tamen pro injuria illi irrogata, quantumcumque Regi se subiiceret, eo quòd illius humiliatio in ratione satisfactionis non adæquaret injuriæ gravitatem: quia ergo actus charitatis in ratione satisfactionis & obsequii, non est æqualis in valore cum gravitate offensæ, Deo per peccatum mortale irrogatæ: nam ista in genere moris est infinita simpliciter; ille verò habet valorem & bonitatem infinitam tantùm objectivè & secundùm quid; hinc fit, quòd licet actus charitatis affectivè reddat Deo totum quod peccator

affectivè illi abstulit per peccatum, non potest tamen dici sufficiens satisfactio, sed duntaxat sufficiens restitutio.

Contra, & probo, quòd reddat Deo actu adæquante in valore gravitatem offensæ, quod peccatum abstulerat. Restitutio rei ablatæ æquivalentis, est condigna satisfactio pro re ablata, ut fatetur Gonet. unde qui abstulit centum, & centum reddit, plenè satisfacit pro re ablata; at dum satisfactio non debet fundari in rebus datis & acceptis, nec in rebus ablatis & restituendis, sed tantùm in actibus honorificis humiliationis & obedientiæ, restitutio plena est etiam plena satisfactio: v. g. si persona vilis verbis contumeliosis personam digniorem afficeret, restituere non posset nisi per retractationem, & dicendo se esse mentitum, & exponendo se manifesto vitæ periculo pro persona illa digniori, à morte aut captivitate liberanda, quæ quidem restitutio sanè esset satisfactio; & si hæc omnia faceret, non satisfaceret, si aliquam rem abstulisset, nisi eam redderet; hinc fit, quòd in actibus honorificis humiliationis aut obedientiæ, restitutio est satisfactio, & satisfactio est restitutio, non verò in rebus datis & acceptis, ablatis & restitutis: at satisfactio de qua loquimur, fundatur in actibus honorificis & obedientię, cùm nulla sit res Deo restituenda, & ab ipsomet Deo accipienda, sed tantùm actus humiliationis, obedientiæ & honoris Deo exhibendus: ergo non valet distinctio de restitutione & satisfactione, cùm in hoc casu restitutio sit satisfactio, & consequenter si actus charitatis affectivè redderet Deo totum, quod peccator affectivè illi abstulerat per peccatum, nedùm debet dici sufficiens restitutio, sed etiam sufficiens satisfactio, & præsertim cùm ex dictis constet gravitatem offensæ non esse simpliciter infinitam, sed tantùm secundùm quid & objectivè, sicut actus charitatis infinitus est.

Prob.

Prob. denique; Ille purus homo satisfaceret ex justitia: ergo exhiberet condignam satisfactionem. Consequentia patet, antecedens prob. Ille satisfacit ex justitia, qui reddit quantum reddi potest, & quantum debitum exigit; sed ille homo de quo est quæstio, redderet Deo quantum reddi potest à peccatoribus, cùm esset caput omnium, & summa gratia præditus: Nec peccatum exigeret majorem satisfactionem, quia major est impossibilis apud homines, & ideò peccatum non exigeret aliam, cùm impossibile non exigatur. Tum quia peccatores non tenerentur ad aliam satisfactionem exhibendam, cùm ad impossibile nemo teneatur. Tum quia persona offensa non potest exigere satisfactionem, nisi à persona offendente; ideòque non potest exigere aliam satisfactionem, nisi illam quam peccator exhibere potest, vel quæ ex ipso extrahere potest persona offensa: ergo purus homo de quo est quæstio, exhibuisset condignam satisfactionem pro peccatis nostris.

Obj. Gonetus ex Vasquesio & Suario, sed omitto argumenta, licèt contra nostram conclusionem militent; quia ipse Gonetus ea reiicit & solvit; idcircò omittenda sunt, cùm soluta sint apud ipsum. Omitto etiam primum argumentum, quod contra Scotum proponit, quia desumit illud ex infinitate offensæ peccati mortalis, & finitate valoris satisfactorii cujusuis puræ creaturæ; hinc fit, quòd cùm constet ex dictis, peccatum esse formaliter finitum in ratione offensæ, sicut actum charitatis in ratione obsequii & satisfactionis, superfluum est hic ponere argumentum de verbo ad verbum, illudque solvere. Ponendum est igitur secundum.

Obj. 1. Pœnitentia non est vera & stricta justitia, sed dumtaxat pars potentialis illius: at pœnitentia non deficit à ratione strictæ & veræ justitiæ, propter defectum stricti debi-

ti, ut patet: ergo solùm propter inæqualitatem satisfactionis, quam pœnitens Deo exhibet pro peccatis propriis, & impotentiam offerendi Deo illis æqualem & condignam satisfactionem: Sicut religio non deficit à ratione strictæ justitiæ, & constituitur pars potentialis illius, ob carentiam stricti debiti ad exhibendum Deo cultum & honorem ipsi debitum, & infinitati majestatis ejus æqualem; sed propter insufficientiam & impotentiam, quæ est in homine puro ad talem cultum & honorem reddendum.

Resp. 1. Pœnitentiam esse veram & strictam justitiam, cùm ad virtutem justitiæ reducatur; & peccatum, rationem propriæ & strictæ injustitiæ, essentialiter includat. Tum quia peccator in Scriptura dicitur injustus. Tum quia peccatum est contra legem, quæ justitia est. Resp. 2. argumentum valere secundùm præsentem justitiam & providentiam: pœnitens enim per actus contritionis multiplicatos, & in gratia sanctificante elicitos, potest de potentia Dei absoluta, ad æqualitatem satisfacere pro peccatis suis; quia si pœnitentia non sit æqualis, hoc non provenit ex natura pœnitentiæ, nec ex impotentia intrinsecà pœnitentis, nec ex infinitate peccati. Tum quia pœnitentia est actus intrinsecè bonus, ideòque potest esse tantæ dignitatis, quantæ indignitatis est peccatum. Tum quia pœnitens divina gratia adjutus, non habet minorem virtutem in linea boni, quàm peccator in linea mali. Tum quia peccatum non est simpliciter infinitum, nec crescit juxta dignitatem personæ offensæ, arithmeticè, sed tantùm geometricè, ut dicunt omnes Scotistæ.

Obj. 2. & probat nullam puram creaturam posse condignè satisfacere pro culpa mortali etiam aliena, ex SS. Patribus qui peccati gravitatem eò usque extollunt, ut affirment non potuis-

tuisse nisi personam aliquam divinam pro eo satisfacere; sic Ambros. in cap. 9. ad Heb. dicens, *Tantum fuit peccatum nostrum, ut salvari non possimus aliquando, nisi unigenitus Filius Dei mereretur pro nobis*. Leo Pap. serm. 1. de Nat. *Nisi esset verus Deus, non afferret remedium, & nisi esset homo verus, non præberet exemplum*. Idem sentiunt August. Cyril. Alexandr. Basil. & D. Thom. ergo juxta doctrinam SS. Patrum, purus homo non potest Deo satisfacere ad æqualitatem pro peccatis aliorum, sed ad talem satisfactionem exhibendam requiritur necessariò homo Deus, seu persona divina, in natura creata subsistens.

Resp. 1. negando consequentiam, quia SS. Patres loquuntur de homine puro, prout excludit gratiam sanctificantem & alia dona supernaturalia, seu de homine existente in peccato originali; non verò de homine puro, prout excludit dumtaxat unionem cum Deo, seu de homine justo & sine peccato originali; aliàs sequeretur, quòd Christus non potuisset homines redimere nisi per mortem, quod est contra Gonetum. Resp. 2. SS. Patres loqui de necessitate conditionata, seu ex suppositione quòd Deus voluerit, ut superabundaret gratia aut medicina, ubi abundaverat delictum aut infirmitas. Resp. 3. SS. Patres loqui ad suadendam bonitatem Dei erga homines, id est, supposita divina bonitate quæ voluit hominem redimi per Creatorem, ut majoris beneficii vinculo ei devinciretur; non verò ad ostendendam impossibilitatem satisfactionis, ita ut absolutè nullus homo satisfacere valeat: ergo SS. Patres non militant contra nos. Omitto aliud argumentum, quod probat ex infinitate offensæ, nullum hominem posse satisfacere pro peccato alieno; quia, ut patet ex dictis, peccatum non est formaliter infinitum.

Ex dictis, inferes, incarnationem non esse

absq-

absolutè & simpliciter necessariam ad salvandos homines. Tum quia purus homo potuit divinitùs satisfacere. Tum quia Deus potuit salvare homines absque morte Christi. Tum quia Deus potuit relinquere homines, sicut malos Angelos: ergo incarnatio Verbi fuit necessaria ex suppositione decreti de hominibus redimendis per mortem justi, non verò absolutè & simpliciter.

Primum patet ex dictis, quibus addo cum Doctore subtili, quòd *Sicut Christus innocens homo, non debitor satisfecit, sic si placuisset Deo, potuit unus bonus Angelus satisfecisse, offerendo aliquid placitum Deo pro nobis, quod ipse acceptasset pro omnibus peccatis: quia tantùm valet omne creatum oblatum, pro quanto acceptat Deus, & non plus;* ita Scotus loco laudato: ergo purus homo in sensu supposito constitutus, potuisset de condigno satisfacere. Secundum etiam patet, quia Deus salvavit nos liberè, juxta illud Sap. 12. vers. 12. *Quis enim dicet tibi, quid fecisti? aut quis stabit contra judicium tuum? aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit, si perierint nationes quas tu fecisti?* ergo liberè salvavit nos per mortem Christi, ex quo sequitur tertium, scilicet Deum potuisse relinquere homines sicut malos Angelos, vel salvare eos alio medio, videlicet condonando delicta.

Dices: Si Deus condonasset delicta sine debita satisfactione à Christo dumtaxat exhibenda, fecisset contra justitiam, ut inquit D. Anselmus lib. 1. *Cur Deus homo?* cap. 12. quia justitia vult peccatum puniri, & ablatum Deo honorem rependi: sed Deus non potest facere contra justitiam: ergo nec salvare nos nisi per mortem Christi. *Respondeo*, argumentum valere secundùm præsentem dispositionem & ordinationem rerum, seu supposito decreto quo decrevit nullum fore peccatum impunitum, nec remitten-

dum absque satisfactione: falsum verò secundùm ordinationem quam Deus statuere poterat, si altero medio voluisset nos liberare à peccato; cùm omnia tum physica, tum moralia à divina ordinatione pendeant, ut ait Scriptura Sap. 12. vers. 18. dicens, *Cum magna reverentia disponis nos; subest enim tibi, cùm volueris, posse*: quibus suadetur punitionem peccati pendere à Deo, & ipsum potuisse nos salvare alio medio, si voluisset.

QUÆSTIO II.

An satisfactio Christi fuerit de se sufficiens & superabundans pro omnium hominum peccatis?

ADvertendum est condignitatem satisfactionis Christi dupliciter sumi posse. 1. In ordine ad debitum & ad offensam. 2. In ordine ad Deum offensum aut ad Deum creditorem. Unde dum Doctor subtilis, ejusque discipuli dicunt satisfactionem Christi fuisse sufficientem, imò & superabundantem pro omnium hominum peccatis, solùm ex acceptatione Dei qui tali satisfactione fuit contentus, non loquuntur de satisfactione Christi in ordine ad debitum: certum enim est, quòd ex intrinseca dignitate, & ratione Christi operantis, secluso quocumque pacto aut acceptatione, fuit superabundans & excedens pro peccatis hominum; sed loquuntur de satisfactione Christi in ordine ad Deum satisfaciendum, & obligandum ad offensæ remissionem, in quo sensu nullus Theologorum concedere potest satisfactionem Christi ex sua dignitate intrinsecæ obli-

obligare Deum ad remissionem offensæ, seclusa divina acceptatione: ergo Gonetus non impugnat Scotum in hac quæst.

Dico 1. Quòd Christi satisfactio sumpta in ordine ad debitum aut ad offensam, & in ordine ad præmium, ex sua intrinseca dignitate & valore, seclusa acceptatione seu extrinseco Dei favore, fuit non solùm condigna & sufficiens; sed etiam superabundans & excedens pro omnibus peccatis generis humani. Ita Scotus in 3. dist. 19. §. *in ista quæst.* lit. B. ubi ait, *Si autem illud meritum fuisset alterius personæ, tunc nec ratione operis, nec ratione operantis fuisset congruitas acceptationis illius pro infinitis.* Mastrius, Frassen, Delgadillo & alii.

Prob. 1. Satisfactio Christi Domini in ratione operis, & ex sola intrinseca dignitate personæ satisfacientis & operantis, est major quàm gravitas offensæ primi hominis: ergo si satisfactio Christi sumatur in ordine ad debitum & peccatum, non solùm est condigna, sed etiam superabundans & excedens. Consequentia patet. Prob. antecedens 1. Tota offensæ gravitas oritur ex persona offendente, vel ex persona offensa; & dignitas satisfactionis ex persona satisfaciente, vel satisfacta; sed persona Christi est major persona hominum, ideòque est potentior ad influendum valorem in actum satisfactorium, quàm homo ad influendam malitiam in actum peccaminosum. *Deinde*, satisfactio fuit ordinata in Deum, sicut offensa; idcircò persona satisfacta tam influit in actum satisfactorium, quàm persona offensa in actum peccaminosum: ergo satisfactio Christi comparata cum peccato hominum & cum remissione peccati, est major ex natura sua & ratione operantis.

Prob. 2. Christus Dominus est dignior & ex se persona perfectior cæteris hominibus: ergo opera ejus sunt majora operibus hominum,

num, id est, dignior actio Christi est major in linea bonitatis, quàm indignior actio hominum in linea malitiæ, & ejus bonitas excedit hominum malitiam; sed satisfactio Christi est ejus actio dignior, & peccatum est actio indignior hominum: ergo satisfactio Christi comparata cum peccato, est ex se superabundans & excedens; peccatum verò est quædam actio purè humana,& satisfactio Christi est theandrica: ergo est major & excedit peccatum. 4. Opera Christi ex se excedunt opera illius puri hominis de quo agit quæst. præcedens; sed opera illius hominis, ex Scoto,essent condigna: ergo opera Christi sunt superabundantia pro peccatis hominum.

Confir. Deus acceptavit satisfactionem Christi Domini, quia erat condigna pro peccatis hominum, vel non? Si primum: ergo antecedenter ad acceptationem, opera Christi sunt condigna. Si secundum: ergo supposita acceptatione Dei, remissio peccatorum esset mera gratia, & Christus non esset verè redemptor. Prob. Ut debitor ex justitia solvat debitum, & redemptor verè redimat & à captivitate liberet, oportet, quòd exhibeat creditori aliquid proportionatum debito: nam si accipiat valorem aliquem à creditore, ut fiat condignum, valor ille à creditore acceptus, minuit justitiam operis personæ satisfacientis, & opus satisfactorium denominat etiam creditorem & acceptantem, satisfacientem; ideòque redempti & liberati, possent considerare creditorem, ut redemptorem, cùm exibuisset pretium aut valorem pro eorum redemptione: ergo ut Christus sit solus redemptor, dicendum est, quòd exhibuit Deo opus, quod secundùm se & ratione Christi consideratum antecedenter ad acceptationem, erat condignum pro peccatis hominum, & dignum acceptari, ut probat illud Pauli, *Exauditus est pro sua reverentia.*

Prob. 2.

Prob. 2. Opera hominis justi, præcisè quia proveniunt à gratia sanctificante, sunt de condigno meritoria vitæ æternæ: nam actus contritionis quem peccator elicit gratia actuali adjuvante, licèt acceptetur à Deo, non est tamen de condigno meritorius ex defectu gratiæ sanctificantis: ergo opera Christi, præcisè quia proveniunt à persona infinita & ab omnium gratiarum fonte, debent esse de condigno meritoria & satisfactoria pro peccatis, & digna acceptari, sicut opera hominis justi. Prob. consequentia 1. Homo justus non est sanctior Christo, qui est omnium sanctorum princeps: ergo si opus ab homine justo elicitum & ad Deum per charitatem ordinatum, antecedenter ad acceptationem habeat valorem condignum & æqualem cum vita æterna, licèt non habeat jus ad illam (quod provenit ex pacto & acceptatione) opera Christi sunt etiam condigna, præcisè quia sunt opera Christi. 2. Una gutta sanguinis propter unionem ad Verbum pro redemptione totius generis humani sufficisset, ait Clemens V. in extravaganti *Vnigenitus*: ergo sanguis Christi propter unionem ad Verbum & ex se, est tanti pretii & valoris, quanti sunt lacrymæ hominis justi, & habet tantam dignitatem, quantam indignitatem habebant peccata hominum. 3. ad Cor. 6. dicitur: *Empti estis pretio magno*, & Psal. 129. redemptio dicitur, *copiosa*: ergo sanguis Christi ex se & ratione Christi morientis, habet tantum valorem, quantum peccatum ex se exigit, ut solvatur; imò & superexcedentem & copiosum.

Dices: Hæc argumenta esse vera, supposita divina acceptatione, quæ etiam ad meritum condignum justi requiritur.

Contra: Si redemptio Christi esset copiosa, & pretium esset magnum ex vi acceptationis, sequeretur 1. quòd res in se minima posset hoc modo

do dici pretium magnum, quod est falsum. 2. Quòd contritio peccatoris quam Deus acceptat, esset copiosa & pretium magnum, & consequenter condigna & æqualis gratiæ ad quam acceptatur, quod est falsum, cùm gratia sanctificans gratis detur. 3. Quòd opera puri hominis justi, supposito decreto de satisfactione exhibenda, potuissent de via ordinaria satisfacere de condigno, quia Deus de potentia ordinaria potuisset ea acceptare: sed hoc est contra Scotum judicantem, hoc esse impossibile de via ordinaria: ergo verba Scripturæ intelligenda sunt de operibus Christi secundùm se sumptis. 4. Opera Christi habebant valorem pro debito malorum Angelorum, juxta illud Joan. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi*; sed non fuerunt acceptata pro malis: ergo habent valorem sine acceptatione.

Confirm. Sacrificia veteris legis erant ex intrinseca ratione insufficientia ad delenda peccata, ut ait Apost. ad Hebr. 10. *Impossibile enim est* (inquit) *sanguine taurorum & hircorum auferri peccata*. Et ex eodem Apost. sacrificium corporis Christi fuit sufficiens; ait enim, *Ideò ingrediens mundum dicit; hostiam & oblationem* (id est in veteri lege) *noluisti, corpus autem aptasti mihi*: Noluit igitur hostias & oblationes in veteri lege, & voluit sacrificium Christi, quia istud erat condignum, illæ verò non: nam si sacrificium Christi esset ex natura sua & ratione Christi insufficiens, sicut sacrificium antiquorum, Apostolus non dixisset, *Impossibile est &c.* cùm acceptari potuisset, & ratione acceptationis esse sufficiens, sicut sacrificium Christi: ergo ex Apost. satisfactio Christi est ex se condigna.

Dico 2. Quòd satisfactio Christi, si sumatur in ordine ad Deum creditorem, non est con-

condigna pro omnibus peccatis ex ſua intrinſeca dignitate & valore, ſecluſa acceptatione divina. Ita Scotus ſupra citatus. Prob. Ut ſatisfactio Christi ſit condigna pro peccatis in ordine ad Deum offenſum & creditorem, oportet, quòd ipſa poſita, Deus teneatur remittere offenſam, & ſatisfaciens habeat jus in præmium, ut patet; ſed Deus non poteſt ſtrictè obligari ad aliquid præſtandum, nullumque opus poteſt habere jus in præmium cœleſte. Tum quia Deus eſt ſupremus Dominus, & nulla creatura poteſt eum obligare ad remittendam offenſam, niſi ipſe velit. Tum quia opera Christi ſunt Deo débita diverſis titulis: ergo non poſſunt obligare Deum, niſi ipſe velit, ad delenda peccata. Tum quia ſi opera Christi ſine acceptatione aut pacto obligarent Deum ad remittendam offenſam, ſequeretur Christum ſatisfeciſſe pro malis Angelis, quia habebant ex ſe valorem ad hoc condignum, quod eſt tamen falſum: ergo ſatisfactio Christi, ſi ſumatur in ordine ad Deum offenſum & creditorem, non eſt condigna, id eſt, non eſt ſufficiens ad obligandum Deum, ut teneatur remittere offenſam, ſecluſa acceptatione vel pacto Dei, cujus mentio habetur Iſa. cap. 53. *Si poſuerit animam ſuam pro peccato, videbit ſemen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur.*

Obj. contra 1. concluſionem: Peccatum eſt infinitum in ratione offenſæ & malitiæ, cùm ſit contra Deum qui eſt infinitus, & offenſa creſcat juxta dignitatem perſonæ offenſæ: ſed ſatisfactio Christi eſt finita in ratione pretii & meriti, ut dicemus quæſt. ſequenti: ergo ſatisfactio Christi ex ſua intrinſeca dignitate, ſecluſa acceptatione Dei, non eſt ſufficiens pro peccatis hominum, nec ſuperabundans, cùm finitum nequeat excedere infinitum.

Reſp. negando majorem, ut patet ex dictis. Ad 1. prob. dico, quòd licèt peccatum ſit contra

Deum

:um qui est infinitus; tamen non valet infer- peccatum esse etiam infinitum. Tum quia ccatum veniale est contra Deum, tamen est itum. Tum quia actus charitatis est propter eum, tamen est finitus. Ad 2. Dico offen- m crescere juxta dignitatem personæ, geo- etricè, id est, ita ut offensa contra personam igniorem, sit major illa quæ fit contra perso- am minùs dignam; non verò arithmeticè, ita it crescat ad proportionem & æqualitatem di- gnitatis personæ offensæ: ergo licèt Deus sit in- initus, offensa contra ipsum non debet esse in- finita sicut Deus, sed tantùm major ea quæ fit contra personam creatam: nam quemadmodum amor quo Deum diligimus, non est infinitus si- cut Deus, nec crescit arithmeticè juxta digni- tatem Dei, sed tantùm geometricè, id est, est ma- jor amore quo diligimus creaturam, quia Deus est major creatura; ita similiter peccatum quo offendimus Deum infinitum, non debet esse infi- nitum; sed tantùm majus peccato quo offendi- mus creaturam, quia Deus est major.

Dices: Peccatum est magis vitandum quàm quodcumque aliud malum, imò quàm omnia mala simul sumpta: ergo est infinitum in linea mali. Resp. negando consequentiam: Tum quia peccatum veniale est magis vitandum quàm omnia mala physica; tamen peccatum veniale non est infinitum in linea mali & offen- sæ, ut fatentur adversarii. Tum quia pecca- tum est malum in genere moris, cætera verò mala sunt mala in genere physico: ergo ut peccatum sit magis vitandum quàm omnia mala physica, non requiritur, quòd sit infi- nitum, quamvis excedat infinita mala diversi generis: nam actus charitatis est major quàm omnes actus aliarum virtutum, & excedit omnia accidentia, tum supernaturalia, tum naturalia, quorum numerus infinitus est; tamen habitus aut actus charitatis non est infinitus: Actus vi-

talis

talis est major cęteris accidentibus naturalibus, tamen non est infinitus: ergo &c.

Obj. 2. Si satisfactio Christi fuisset ex se superabundantis valoris pro peccatis omnium hominum secluso pacto aut acceptatione, sequetur, quòd opera nostra essent superflua, nihilque addendum esset passioni Christi Domini; sed hoc est falsum: ergo. Prob. sequela: Posita satisfactione æquali, nulla alia pro debito exigenda est: ergo si satisfactio Christi esset ex se æqualis, imò & superabundans, nostra esset superflua.

Resp. negando sequelam: Nam ut satisfactio Christi sit nobis meritoria, oportet, quòd nobis applicetur, & quòd de fontibus Salvatoris hauriamus aquas per Sacramenta, aut per contritionis & dilectionis actus, aut per opera pœnalia; ergo licèt posita Christi satisfactione, ponatur æquale pretium pro peccatis nostris, non valet inferre opera nostra esse superflua, cùm per ipsa nobis applicemus opera Christi, ejusque merita, quemadmodum causa particularis per suum consortium sibi applicat influxum causæ universalis.

Obj. 3. Christus non satisfecit de condigno pro beneficiis acceptis in humanitate, ut patet apud omnes: ergo non satisfecit de condigno pro debito. Resp. negando consequentiam. Tum quia beneficia quæ Christus accepit, in linea boni & virtutis, sunt majora quàm peccata hominum in linea mali. Tum quia beneficia sunt id quo satisfecit pro peccatis; unde ut pro istis satisfaceret, indigeret aliis, & sic in infinitum; beneficia enim sunt principium satisfaciendi & merendi, sicque sub merito aut satisfactione cadere non possunt: ergo licèt Christus non satisfecerit pro beneficiis quæ à Deo recepit, potuit tamen pro peccatis satisfacere.

Obj. 4. Christus non meruit unionem hypostaticam: ergo non meruit nec satisfecit pro omni-

nibus peccatis. Prob. consequentia: Per ccatum, contractum fuit debitum carendi mo decreto de incarnatione, seu unione humanitatis cum Verbo. Resp. negando consequentiam, ad cujus prob. nego antecedens: Quia imum decretum de incarnatione, præcedit ævisionem peccati, & hominum redemptionem, ut dicemus infra: ergo carentia hujus ecreti non debebatur naturæ peccato infectæ, ec peccatum eam meruit; aliàs meruisset etiam destructionem omnium entium existentium, & omnium quæ Deus creare decreverat propter gloriam suam.

Obj. 5. contra 2. conclusionem: Offensa secluso pacto habet condignitatem in ordine ad Deum punientem: ergo satisfactio Christi habet etiam condignitatem in ordine ad Deum satisfaciendum, secluso pacto; alioquin peccatum esset validius quàm opera Christi. Resp. negando antecedens, quia Deus non habet jus, ut tali vel tali pœna peccatum puniat, independenter à lege divina qua statuit & ordinavit peccatum tali pœna esse puniendum; unde quamvis peccatum ex se habeat condignitatem ad pœnam seclusa lege Dei, non habet tamen condignitatem ad talem pœnam, nec obligat Deum ad puniendum tali pœna, independenter à divina voluntate.

QUÆSTIO III.

An satisfactio Christi sit valoris simpliciter infiniti?

CErtum est apud omnes, meritum Christi esse extensivè infinitum, cùm sufficientem valorem habeat pro peccatis numero infini-

finitis, & sit infinitus Ecclesiæ thesaurus. Unde difficultas est, an sit intensivè, formaliter & simpliciter infinitum, non in ratione entis vel operis, seu secundum entitatem physicam, sed in ratione meriti & pretii, seu secundùm moralem æstimationem quam recipit à persona Verbi ?

Dico igitur satisfactionem Christi non esse valoris simpliciter & intrinsecè infiniti, sed tantùm extensivè & objectivè. Ita Scotus in 3. dist. 19. quem sequuntur Scotistæ omnes. Prob. 1. ratione: Velle animæ Christi non est tanti valoris, nec pretii, nec acceptabilitatis aut æstimationis apud Deum Patrem, nec apud homines, quanti valoris aut pretii est velle Verbi divini: ergo velle animæ Christi, seu actus voluntatis humanæ Christi, quibus meruit, non sunt valoris simpliciter & intrinsecè infiniti, sed tantùm extrinsecè & secundùm quid. Consequentia patet, nam opus quod est infinitæ æstimationis, aut valoris simpliciter, non potest excedi in valore, cùm nullum opus majorem valorem habere valeat quàm infinitum. Prob. antecedens 1. Velle animæ Christi est physicè finitum, creatum & dependens sicut voluntas humana; velle autem Verbi divini est substantialiter infinitum, independens & increatum : ergo istud velle verbi, *Ecce ego, mitte me*, est majoris pretii & valoris, quàm istud velle animæ Christi, *Pater ignosce illis*, apud Deum Patrem & apud homines, cùm valor rei in genere moris, à valore ejusdem in genere physico proveniat. 2. Velle aut opus animæ Christi non est tam gratum Deo & acceptum, quàm velle Verbi: ergo non est tanti valoris, nec tanti pretii. 3. Velle aut opus voluntatis humane Christi est theandricum, & velle Verbi est merè divinum: ergo velle Verbi, *Ecce ego, mitte me*, excedit in valore, & æstimatione, & acceptabilitate apud Deum Patrem, velle & opus animæ

Chri-

risti, *Pater ingnosce illis*, & consequenter
era Christi non sunt intrinsecè & simpliciter
initi valoris, sed tantùm extrinsecè & secun-
m quid.

Confirm. Si Spiritus sanctus humanitatem as-
neret, opera quæ in humanitate eliceret, es-
it tanti valoris, pretii aut æstimationis, quan-
valoris sunt opera Christi: ergo opera Chri-
non sunt intrinsecè & simpliciter infiniti valo-
, sed tantùm extrinsecè. Prob. consequentia:
on possunt dari duo simpliciter infinita realiter
stincta, cùm de ratione infiniti sit non habere
perius, nec æquale, & sibi indentificare om-
aliud ejusdem ordinis & perfectionis: ergo
m meritum Spiritus sancti, si carnem assu-
eret, esset æquale merito Christi, & ex utriusq-
ue meritis resultaret majus meritum, certum
t, quòd meritum Christi non est intrinsecè &
mpliciter infinitum.

Resp. Gonet. n. 77. quòd licèt infinitum phy-
cè, & in genere entis non possit esse nisi unum,
nfinitum tamen in aliquo genere, multiplicari
otest, ut docet S. Doctor; cùm ergo satisfa-
tio Christi (inquit) sit infinita solùm in aliquo
enere, nimirum in genere moris & in ratione
tisfactionis, non verò physicè & in genere en-
s, non repugnat posse dari aliam satisfactionem
bi æqualem, qualis esset satisfactio alterius per-
onæ divinæ subsistentis in aliena natura, vel
næqualem, qualis est satisfactio Angeli, vel
uri hominis.

Contra 1. Si infinitum physicè non possit
sse nisi unum, hoc provenit ex natura infini-
atis, ratione cujus includit omnem perfectio-
em illius generis: ergo si satisfactio Christi sit
nfinita in genere moris & in ratione satisfa-
ctionis, ut vult Gonet. oportet, quòd infini-
as illius satisfactionis includat omnem perfe-
ctionem ejusdem generis, moris scilicet & sa-
tisfactionis; alias non esset infinita simpliciter

in linea satisfactionis; unde si infinitum physicè & in genere entis, non possit esse nisi unum, quia oportet, quòd includat omnes perfectiones quæ competunt enti Physico, oportet etiam, quòd infinitum in genere moris & satisfactionis, nequeat esse nisi unum, cùm includere debeat omnes perfectiones satisfactioni morali convenientes. 2. Infinitum debet excedere cætera quæ sunt in linea, in qua est infinitum: v. g. si domus aliqua esset pretii infiniti, nulla alia domus posset esse majoris pretii, nec æqualis. Tum quia infinitum est incomparabile. Tum quia summum positivè, est illud quod in sua linea non exceditur, nec habet æquale, licèt illud habere possit: ergo infinitum in sua linea nequit habere æquale, & consequenter tam implicat dari duo infinita in genere moris, quàm in genere entis. 3. De ratione intrinseca infiniti est excludere rationem partis: sed si darentur duo infinita in genere moris, haberent rationem partis; cùm simul in unum copulari possent, & unam satisfactionem aut unum pretium efficere: ergo non essent duo infinita, sed unum, quod est contra suppositum. *Tandem*, omnes repugnantiæ quæ dicuntur de illis, de istis etiam dicuntur: ergo, &c.

Prob. 2. Christus non satisfecit Deo pro peccatis hominum in quantùm Deus, sed in quantùm homo. Tum quia satisfecit per mortem & passionem, & mortuus est in quantùm homo. Tum quia persona satisfaciens, ut talis, est inferior & subdita illi cui fit satisfactio. Tum quia si satisfecisset ut Deus & secundùm divinitatem, Pater & Spiritus sanctus pro nobis satisfecissent, sicut Filius: sed Christus in quantùm homo non potuit operationibus suis satisfactoriis communicare valorem infinitum. Tum quia ut homo, est agens finitum, licèt cæteris dignius. Tum quia non potest communicare tantum valorem, quantum communicasset, si ut Deus satis-

atisfecisset: ergo satisfactio Christi non potuit sse valoris infiniti simpliciter & intrinsecè.

Resp. Gonet. quòd si *Ly in qu: ntùm* reduplicet supra principium *quo* & formale satisfactionis, Christus satisfecit in quantùm homo; verò reduplicet supra principium *quod*, icit ipsum satisfecisse ut Deum; subindeque otuisse communicare valorem infinitum simpliciter suis operationibus satisfactoriis, cùm alor satisfactionis præcipuè à principio *quod* esumatur.

Contra 1. Gonetus tom. 1. disp. procem. art. . ait, quòd virtus causæ remotæ & radicalis modificatur, determinatur & veluti deprimitur per nfluxum & operationem causæ proximæ & immediatæ: sed Verbum divinum influit aut ommunicat valorem operationibus satisfactoriis mediante humanitate quæ est principium *quo*, proximum & formale satisfactionis, ut fatetur Gonet. ergo oportet, quòd influxus aut communicatio Dei modificetur, determinetur & veluti deprimatur per influxum aut communicationem humanitatis; subindeque valor communicatus non est infinitus. 2. Principium *quod* agit juxta mensuram & virtutem principii *quo* & formalis; v. g. dum Christus intelligit intellectu humano, intellectio non est infinita ut principium *quod*, nempè ut persona intelligens, sed finita ut principium *quo*, nimirum intellectus humanus. Si Deus ageret per potentiam creatam & limitatam, effectus esset naturalis & limitatus: Aqua calida ut sex, nō potest influere in aquam, calorem ut octo: ergo valor operum Christi non desumitur à principio *quod*, nempè à Deo, sed à principio *quo*, seu humanitate.

Contra 3. Si natura divina subsisteret subsistentia humana, sicuti natura humana subsistit in Christo subsistentia Verbi, certum est quòd operum valor non desumeretur à supposito, seu à principio *quod*, sed à natura, nec

esset finitus, sed infinitus: ergo à pari opera Christi non desumunt valorem à persona aut à principio *quod*, sed à principio *quo* & formali. 4. Id quod Deus communicat operibus Christi, nequit esse intentius, nec majus communicatione, aut unione Dei cum homine, quia communicat ratione unionis: sed Deus communicatur aut unitur homini modo finito, hominique conveniente, cùm Deus se habeat per modum termini, ut dictum est: ergo valor communicatus, aut influxus à Deo derivatus, nequit esse intensivè & formaliter infinitus.

Prob. 3. Christus non potuit plus mereri, quàm Deus potuit præmiare: ergo meritum Christi non est intrinsecè & formaliter infiniti valoris. Antecedens patet. Tum quia ex possibilitate præmii sequitur possibilitas meriti. Tum quia inter præmium & meritum est necessaria proportio. Tum quia Christus non est Deo major. Prob. conseq. 1. Deus non potest conferre gratiam vel gloriam intrinsecè & formaliter infinitam, ut advertit Mastrius hic n. 317. quia quidquid Deus producet tanquam præmium creaturæ conferendum, erit intrinsecè finitum; aliàs sequeretur, quòd ille qui præmiaretur tali gloria, frueretur tanta gloria aut mercede, quanta Deus fruitur: ergo si Deus nequeat dare præmium infinitum, certum est, quòd Christi meritum non est intrinsecè infinitum, vel quòd Christus plus meruit quàm Deus præmiare potuit, cùm infinitum sit majus finito: sed hoc est falsum: ergo Christi meritum est formaliter finitum sicut præmium. 2. Si Deus conferre posset creaturæ præmium intrinsecè infinitum, exhauriret potentiam præmiandi: ergo ex impossibilitate præmii infiniti simpliciter, infertur meritum Christi non esse simpliciter infinitum, sed tantùm extrinsecè. 1. ratione suppositi divini. 2. ratione peccati quod est extrinsecè infinitum. 3. tandem,

parte divinæ acceptationis, scilicet quia Deus
ceptat illa Christi merita pro salvandis infini-
hominibus, si tot occurrerent salvandi. *Pre-
ca*, Deus potuit plus præmiare, quàm Chri-
s potuit mereri. Tum quia opera Christi
it revera theandrica, sed opera Dei sunt divi-
. Tum quia major perfectio est tribuenda
o, quàm Christo: ergo opera Christi non
it simpliciter infinita in ratione meriti & satis-
tionis. Prob. consequentia: Nullum potest
i præmium excedens meritum infinitum: er-
ex excessu Dei in ratione præmiantis, seu
emii ex parte Dei acceptantis opera merito-
, infertur finitas Christi merentis aut satisfa-
ntis, seu meriti Christi, cùm infinitum sim-
citer excedi nequeat.

Obj. 1. Gonetus ex Clemente VI. in extrava-
nti, *Unigenitus*, *de pœnitentiis & remissioni-
s*, ubi affirmat unicam sanguinis Christi gut-
n propter unionem humanitatis cum Verbo,
o totius generis humani redemptione suffice-
potuisse, ubi nota verba illa *propter unionem*,
æ apertè declarant merita & satisfactiones
hristi fuisse infiniti valoris ab intrinseco, &
n propter acceptationem Dei extrinsecam.
ota etiam, Pontificem ibidem asserere, ob ta-
n infinitatem meritorum & satisfactionum
hristi, non esse metuendum, ut peccatorum
ultitudine exhauriantur: verba ejus sunt, *De
us consumptione* (scilicet thesauri Ecclesiæ)
*diminutione, non est aliquatenus formidandum
pter infinita merita Christi*: Si autem illa non
nt valoris simpliciter & ab intrinseco infini-
posset formidari, ne peccatorum multitudi-
tandem extinguerentur aut consumerentur:
go, &c.

Resp. Authoritatem Clementis VI. probare
hristi meritum esse infinitum & infiniti valo-
, non quidem intrinsecè & simpliciter, seu ex
& ex vi personæ infinitæ, licèt addat *propter*

 unio-

unionem ad Verbum; sed extrinsecè, quia persona infinita influit in merita Christi, juxta mensuram humanitatis, quæ est principium *quo*. Unde quamvis persona sit simpliciter infinita, cùm natura humana sit intrinsecè finita; sequitur, quòd merita Christi sunt intrinsecè finita: Et propter unionem ad Verbum sunt infinita solùm extrinsecè, suntque sufficientissima pro solvendis omnibus hominibus: idcircò non abs re Clemens VI. recurrit ad unionem, ut suadeat præstantissimum fuisse Christi meritum, & sufficientissimum pro peccatis omnium hominum. *Præterea*, Christi merita, propter unionem, à Deo acceptantur tanquam pretium ad remittendam pœnam omnibus peccatis debitam: ergo *non est aliquatenus formidandum propter infinita Christi merita*. Omitto secundum argumentum probans conclusionem esse Doctoris Angelici.

Obj. 2. Satisfactioni quæ in valore non est simpliciter infinita, vis satisfactoria pro culpis syncategorematicè infinitis competere nequit; at satisfactio Christi gaudet vi satisfactoria sufficiente pro peccatis syncategorematicè infinitis: ergo in ratione valoris satisfactorii est infinita simpliciter. Minor est certa, quia si satisfactio Christi talem vim non haberet, ejus sufficientia in determinato numero peccatorum terminaretur, & consequenter posset formidari, ne in tantùm multiplicarentur peccata, ut terminum præfixum excederent, & satisfactio Christi extingueretur, quod repugnat verbis Clementis VI. supra relatis. Major verò sic ostenditur: Vis effectiva physica effectuum inæqualis perfectionis usque in infinitum syncategorematicè, non potest causæ non infinitæ physicè convenire; unde omnipotentiæ Dei infinitatem ex eo colligunt Theologi, quòd ad effectus syncategorematicè infinitos inæqualis perfectionis extenditur: ergo pariter vis effectiva moralis effectuum inæqualium sine termino, convenire nequit actio-

ctioni quæ in genere moris simpliciter infinita non est.

Confirm. Effectus nequit causæ perfectionem excedere: ergo effectus infinitus nequit in causa finita contineri, & consequenter ut aliqua causa habeat vim causativam effectuum in infinitum multiplicabilium, debet habere infinitatem physicam, si continentia sit physica; moralem verò, si continentia sit moralis; subindeque si satisfactio Christi gaudeat vi satisfactoria sufficiente pro culpis syncategorematicè infinitis, continebit valorem moralem simpliciter infinitum: Sicut si esset pecunia tanti valoris quæ sola sufficeret ad emendum quascumque res, quantumvis in valore & pretio crescerent, illa requireret infinitum valorem; & charitas quæ immutata manens, potens esset elicere actus intentiores & intentiores in infinitum, esset actu infinitè intensa.

Resp. negando majorem; quia sufficientia extrinsecè & extensivè infinita, non est terminabilis nec reducibilis ad terminum, neque ad determinatum numerum, cùm determinatus numerus sit extrinsecè & extensivè finitus, & consequenter non posset formidari, ne in tantùm multiplicarentur peccata, ut terminum præfixum excederent, & satisfactio extingueretur; inextinguibile siquidem & interminabile est pretium satisfactionis extensivè & extrinsecè infinitæ: ergo ut satisfactio Christi sit sufficiens pro culpis syncategorematicè infinitis; non debet esse simpliciter & intrinsecè infinita; sed sufficit, quòd ut infiniti valoris extensivè & extrinsecè; seu quòd ratione alicujus circunstantiæ, seu personæ divinæ, aut pacti, careat fine & termino in solvendis culpis. Ad prob. majoris, nego consequentiam & paritatem: Quia vis effectiva physica effectuum continet in se & ex natura sua ipsos effectus; at vis effectiva moralis non eos continet in se & ex natura sua, ut

patet in moneta quæ non continet ex natura sua effectus quos causat ex voluntate Principis; idcircò licèt Theologi inserant omnipotentiam divinam esse infinitam, quia extenditur ad effectus syncategorematicè infinitos inæqualis perfectionis, non valet tamen inferre merita Christi esse intensivè infinita, quia ad effectus syncategorematicè infinitos extenduntur, quia omnipotentia est causa physica, physicè effectiva effectuum; merita verò sunt causa moralis & ex divina ordinatione, & consequenter cùm non contineant actu & physicè remissionem peccatorum, sicut omnipotentia continet creaturas, non debent esse intrinsecè infinita sicut omnipotentia, sed tantùm extrinsecè & extensivè, quoniam infinitum syncategorematicum exceditur, extensivè & extrinsecè infinito.

Ad confirm. distinguo consequentiam: Effectus infinitus actu & simpliciter, nequit in causa simpliciter finita contineri, concedo; Effectus infinitus potentialiter & secundùm quid, nequit in causa extensivè infinita moraliter contineri, nego: Unde ut satisfactio Christi gaudeat vi satisfactoria sufficiente pro culpis syncategorematicè infinitis, non requiritur, quòd contineat valorem simpliciter infinitum, sed sufficit, quòd valor ejus sit extensivè & extrinsecè infinitus, id est, quòd ratione alicujus circunstantiæ, careat termino & limitatione, sicut v.g. ut pecunia sufficiat ad emendum quascumque res, quantumvis in valore & pretio crescerent, non requiritur, quòd valor ejus sit simpliciter infinitus, sed sufficit, quòd ratione alicujus circunstantiæ, scilicet personæ ementis vel pacti, sit infinitus, & extensivè in infinitum.

Resp. 2. cum aliis Scotistis, ut satisfactio Christi sit sufficiens pro culpis syncategorematicè infinitis, sufficere, quòd sit superioris ordinis ad offensam, cùm res inferioris ordinis, quamvis infi-

nfinita, adæquare nequeat id quod in superiori ordine existit, ut patet in omnibus speciebus & individuis materialibus, quæ non adæquant perfectionem naturæ humanæ.

Resp. 1. Gonet. responsionem esse falsam in moralibus, ut constat (inquit) in actibus misericordiæ vel justitiæ, qui specificè inferiores sunt actui charitatis; & tamen plures actus repetiti misericordiæ & justitiæ, vel actus magnæ intentionis, adæquare & excedere possunt in valore meritorio unum actum charitatis. Peccatum etiam charitati oppositum, est gravius specificè peccatis oppositis aliis virtutibus; & tamen peccata aliis virtutibus opposita, sæpiùs repetita, vel intensissimo conatu patrata, excedere possunt in gravitate unum peccatum contra charitatem commissum: ergo si valor satisfactionis Christi non sit infinitus simpliciter, quamvis sit superioris ordinis ad offensas ab hominibus commissas, poterit tamen offensarum multitudine adæquari, & consequenter extingui. *Secundò*, esto (inquit) infinita ordinis inferioris nequeant physicè adæquare rem ordinis superioris, in illa tamen, nisi physicè sit infinita, efficienter contineri non possunt; aliàs ex continentia effectuum sine termino in divina omnipotentia, non colligeretur ejus infinitas; sed solùm quòd esset in ordine superiori ad res omnes creabiles constituta: ergo pariter esto infinita ordinis inferioris in genere moris, adæquare nequeant id quod existit in ordine superiori, in illo tamen moraliter effectivè contineri non poterunt, nisi in illo ordine illud infinitum sit; unde cùm satisfactio condigna pro culpis mortalibus syncategorematicè infinitis, contineat effectivè moraliter remissionem peccatorum sine termino, non solùm est ordinis superioris, sed etiam in genere moris simpliciter infinita.

Contra: Responsio non valet, quia plures

actus misericoricordiæ & justitiæ sunt inferiores actui charitatis, secundùm excessum intensivum, suntque in eodem supremo ordine & genere virtutis. Peccata etiam sunt graviora secundùm excessum intensivum; & sunt in eodem ordine & genere malitiæ, & diversificantur per magis & minùs intensum; ideòque possibile est quòd actus inferiores intendantur actuum multiplicatione, vel intensissimo conatu, usque ad gradum superioris: At peccata hominum & satisfactio Christi sunt in diversis lineis oppositis, & genericè diversis; satisfactio enim non est superior ex excessu intensivo dumtaxat, sed ex ordine generico & oppositionis. Unde sicut impossibile est, quòd actus spei naturalis, aut fidei humanæ adæquent in valore meritorio unum actum spei supernaturalis aut fidei infusæ, nec quòd omnes actus visionis ocularis adæquent in laude & valore visionem intellectualem; ita similiter impossibile est, quòd peccata syncategorematicè infinita adæquent satisfactionem Christi, quæ est superioris ordinis secundùm genus & secundùm ordinem oppositionis ad offensas hominum; nam ex Goneto tom. 1. tract. de visione disput. 3. num. 26. ideò intellectus non potest videre Deum sine lumine gloriæ per assistentiam specialem, quia (inquit) improportio quæ est inter intellectum & visionem, non provenit ex excessu velut intensivo, sed ex eo, quòd visio beata sit operatio ordinis altioris & divini: ergo cùm improportio quæ est inter peccata & satisfactionem Christi, non proveniat ex solo excessu intensivo, ut patet; sed ex eo quòd satisfactio sit in ordine superiori & altiori, & theandrico, sequitur, quòd peccata per multiplicationem nequeunt eam adæquare in valore meritorio. Quantùm ad 2. responsionem nihil dico, quia rejicitur ex dictis suprà in nostra responsione ad confirmationem.

Obj. denique. Tantò major est valor satisfac-

factionis, quantò major est dignitas personæ satisfacientis; sed dignitas personæ satisfacientis est simpliciter infinita: ergo &c. Minor est certa de fide: Major verò sic ostenditur: Satisfactio pro offensa seu injuria, de qua hic est sermo, fit per exhibitionem honoris & reverentiæ; sed honor est major, quò dignior est persona honorans, qua de causa honorari à Rege, magis æstimatur quàm honorari ab equite, & magis ab hoc, quàm à plebejo, quia honor est in honorante: ergo tantò major est valor satisfactionis, quantò major est dignitas personæ satisfacientis.

Resp. Majorem esse veram secundùm proportionem Geometricam, non autem secundùm gradum, nec secundùm proportionem Arithmeticam, hoc est, æqualem dignitatem cum persona satisfaciente participando; unde licèt persona Christi sit dignitatis simpliciter infinitæ, cùm satisfactio non crescat arithmeticè, seu secundùm gradus dignitatis personæ satisfacientis, sed tantùm geometricè, id est, taliter, quòd si persona satisfaciens sit superior, illius etiam satisfactio satisfactionem personæ inferioris excedat, sequitur, quòd non est infinita simpliciter sicut persona, sed tantùm quòd est major satisfactionibus aliarum personarum, sicut satisfactio regis est major satisfactione aliorum hominum; non verò tantæ dignitatis, quantæ dignitatis est persona Regis.

Resp. Gonet. contra sic: Si satisfactio non crescit arithmeticè, sed tantùm geometricè ad incrementum dignitatis personæ satisfacientis; poterit adeò crescere satisfactio puræ creaturæ, ut in valore & dignitate, Christi satisfactionem adæquet; sed hoc dici nequit: ergo. Sequela majoris prob. argumento ad hominem, desumpto ex principiis adversariorum (inquit) qui docent, quòd offensa non crescit arithmeticè ad incrementum personæ offensæ, sed solùm geometricè, ex quo inferunt offen-

ſam contra Deum commiſſam, tantæ gravitatis non eſſe, ut pro illa à pura creatura, condigna ſatisfactio exhiberi non poſſit. Prob. ſequela: Si enim diſtantia perſonæ divinæ offenſæ à perſona creata ſatisfaciente, non obſtat, quominùs ſatisfactio adæquare poſſit offenſam, quia perſona cui irrogatur, non dat illi infinitatem, etiam diſtantia perſonæ Chriſti ſatisfacientis à perſona ſatisfaciente creata, impedire non poterit, quin ſatisfactio creaturæ adæquare valeat Chriſti ſatisfactionem; quandoquidem perſona infinita ſatisfaciens, juxta adverſarios, non dat ſatisfactioni ſuæ valorem infinitum.

Contra: Nam ſequela eſt falſa, quia cùm perſona Chriſti à qua merita aliquam denominationem deſumunt & dignitatem tanquam à principio *quod*, ſit dignior perſona creata, ſequitur, quòd nulla ſatisfactio puræ creaturæ poteſt in valore adæquare ſatisfactionem Chriſti. Ad prob. nego paritatem; nam perſona Chriſti ſatisfacientis ſe habet reſpectu operis ſatisfactorii ut principium *quod*, ſicuti perſona creata ſe habet reſpectu ſui operis; unde cùm perſona Chriſti ſit dignior quàm perſona creata, & exiſtat in ordine altiori & ſuperiori ad perſonam creatam, certum eſt, quòd nullum opus puræ creaturæ poteſt in valore adæquare opus Chriſti, quia nulla perſona creata poteſt tam influere in opus ſuum, nec illud tam dignificare, quàm perſona Verbi influit & dignificat opera Chriſti; licèt tam diſtet perſona Chriſti à perſona creata, quàm perſona divina offenſa diſtat à perſona creata ſatisfaciente; cùm exceſſus non proveniat ex objecto, ſed ex principio *quod*, non arithmeticè, ut dixi ſuprà, ſed geometricè.

Confirmatur: Valor operationis non debet magis creſcere ex dignitate perſonæ, quàm valor viſionis ex dignitate objecti; hæc quippè accipit nobilitatem ab objecto *quod*, ſicut illa ſeu ope-

operatio, à persona quæ est principium *quod* : alioquin visio objecti perfectioris non esset præstantior visione objecti imperfectioris, quod est falsum; sed visio licèt crescat ex dignitate objecti, ita ut visio objecti perfectioris sit perfectior visione objecti imperfectioris, tamen non crescit arithmeticè, ita ut visio objecti infiniti sit intensivè & simpliciter infinita sicut objectum, & infinitè perfecta, ut patet in actu visionis beatificæ, qui non est in eodem gradu perfectionis in quo est ejus objectum, utpotè Deus visus : ergo opera satisfactoria Christi, licèt crescant ex dignitate suppositi divini, tamen non crescunt arithmeticè, ita ut sint simpliciter & intensivè infinita sicut suppositum, sed solùm geometricè, ita ut sint perfectiora operibus puri hominis; quin indè sequatur, satisfactionem puræ creaturæ posse adæquare satisfactionem Christi, quia persona Christi semper remanet dignior persona creata.

QUÆSTIO IV.

An satisfactio Christi fuerit de rigore justitiæ?

Dico, satisfactionem Christi fuisse de toto rigore justitiæ. Hæc conclusio est Poncii, Frassen & aliorum Scotistarum, & videtur conformior principiis Scoti. Prob. Nam ex Doctore, opera satisfactoria Christi fuerunt talia in ordine ad debitum, ut eisdem justitia divina contenta esse debeat, nec possit aliquid ampliùs in rigore exigere pro sui juris læsi reparatione, etiam posito decreto de satisfactione de condigno exhibenda. Tum quia sunt superabun-

bundantia. Tum quia nullum opus majus potest Deo exhiberi pro peccati reparatione: ergo Christus, juxta Doctoris principia, satisfecit de toto rigore juris. Prob. consequentia: Satisfactio rigorosa est illa quæ est æqualis debito, & quæ est tanta ex se, quanta exigi potest à creditore, secundùm totum justitiæ rigorem; debitor enim dicere potest, Solvi debitum secundùm leges strictæ & rigorosæ æquitatis aut justitiæ, dum tantum solvit, quantum debebat, nec debuit plus exhibere secundùm leges; sed Christus dum pro peccatis nostris satisfecit, tantum solvit, quantum exigere poterat Deus creditor, secundùm justitiæ rigorem: exhibuit enim pretium ex se æquale, condignum, imò superabundans, ut ait Doctor Proclus Cizicenus orat. de nat. cap. 7. *Pro nostris peccatis ejusmodi impensum fuit pretium, quod exactum debitum ad justitiæ amussim exæquaret*. Et Paulus ad Rom. 3. ait, *Quem proposuit Deus ad ostensionem justitiæ*: ergo satisfecit de toto rigore justitiæ; plus enim dare non potuit, nec Deus plus exigere debuit secundùm justitiam, peccatorem ad satisfactionem deputantem: non erat enim, unde Deus eum recusaret, quia satisfactio Christi excedebat debitum, & fuit exhibita secundùm justitiam commutativam, quæ dicitur rigorosa, ut patet in emptione & venditione.

Prob. 2. Satisfactio Christi Domini habuit omnes conditiones ad rigorosam satisfactionem requisitas: ergo fuit de toto rigore justitiæ & ad strictos juris apices exhibita. Consequentia patet, nec meliùs, nec aliter probari potest, ut ait Gonet. quàm examinando seorsim & in particulari singulas conditiones, & solvendo argumenta quæ adducuntur ad ostendendum aliquam ex illis satisfactioni Christi non competere.

Obj. 1. Ut satisfactio sit de toto rigore justitiæ, & ad strictos juris apices exhibeatur, oportet,

tet, quòd sit ad alterum; qua ratione ait Arist. inter Patrem & Filium, Dominum & Servum, non potest esse rigorosa justitia, quia perfecta justitia perfectam jurium alteritatem includere debet; sed satisfactio Christi non fuit ad alterum; nam satisfecit Deo, & ipse est Deus: ergo, &c.

Resp. distinguendo majorem: Ut satisfactio sit rigorosa, oportet, quòd sit ad alterum, alteritate personæ, nego majorem; Alteritate naturæ, concedo majorem: Distinguo similiter minorem: Satisfactio Christi non est ad alterum alteritate personæ, concedo; Alteritate naturæ, nego minorem, & consequentiam. Quòd autem ad satisfactionem rigorosam sufficiat, quòd sit ad alterum alteritate naturæ, sic evinco. 1. Distinctio duarum naturarum existentium, sufficit, ut sit vera & rigorosa injuria aut offensa: ergo cùm Christus ut homo & secundùm naturam humanam sit alter & distinctus à Deo offenso, potuit satisfacere de toto rigore juris. Consequentia patet, nam non potest requiri major alteritas ad injuriam, quàm ad satisfactionem. Prob. antecedens 1. Si Verbum assumpsisset in unitate suppositi duas numero naturas humanas, certum est, quòd una potuisset injuriam inferre alteri: ergo naturarum alteritas in eodem supposito, sufficit, ut sit vera & rigorosa injuria. 2. Christus ut homo erat propriè servus, ut constat ex Apost. & minor Patre & Deo: ergo potuit verè & rigorosè satisfacere Deo, cujus erat servus, & quo erat minor, cùm non requiratur major distinctio ad servitutem & ad minoritatem, quàm ad satisfactionem. 3. Obedientia & religio debent esse ad alterum, sicut justitia: sed Christus fuit verè obediens: ergo potuit etiam esse verè & propriè satisfaciens. 4. Si duæ personæ essent in una natura, certum est, quòd una non posset alteri rigorosè satisfacere. Ratio

est,

est, quia ibi esset unica voluntas, unica libertas, unicum agens formale: ergo cùm duarum naturarum in una persona, sint duæ voluntates, duæ libertates, duo agentia formaliter, sequitur, quòd alteritas naturarum sufficit ad rigorosam satisfactionem. Unde Aristoteles loquebatur de justitia quæ inter homines reperitur, ubi datur semper distinctio personarum, non verò de justitia in proprio conceptu & in propria exigentia considerata; sic enim diversitatem naturarum personarum postulat.

Obj. 2. Satisfactio rigorosa non fundatur in gratia creditoris; quando enim aliquis dat alteri, unde debitum sibi solvat, tunc illa solutio non potest censeri ex rigore justitiæ, quia gratia minuit justitiam; sed satisfactio Christi fundatur in gratia Dei creditoris, scilicet in unione hypostatica, quæ est gratia, ex qua nascitur valor satisfactionis Christi: ergo satisfactio Christi non est de rigore justitiæ.

Resp. distinguo majorem: Satisfactio rigorosa non fundatur in gratia creditoris supplente defectum valoris satisfactionis, vel gratia indistincta à satisfactione, concedo; verum enim est, quòd quando aliquis dat alteri, unde debitum sibi solvat, & per hoc solvit, tunc illa solutio non censetur rigorosa, quia dat creditori, quod ab ipso gratis accepit: Satisfactio rigorosa non fundatur in gratia creditoris, antecedente & concurrente in ratione principii ad satisfactionem, aut ad rem pro satisfactione exhibendam, nego majorem; nam si Petrus v. g. deberet Paulo viginti nummos, Paulus autem videns Petrum impotentem ad solvendum, daret ipsi gratis viginti nummos, ut lucrando posset mutuum & debitum solvere, certò Petrus posset inter negotiandum, quinquaginta lucrari, & deinde dare Paulo quadraginta, & sic solveret ad rigorem juris, quia non solveret ex gratia, id est, non daret viginti

ginti nummos, quos gratis accepit, pro solutione debiti, seu pro viginti nummis debitis; sed daret suum, in quo nulla est gratia, licèt principium & medium quibus acquisivit, sint ex gratia; nec Paulus posset ex toto rigore justitiæ aliam satisfactionem exigere. Unde distincta pariter minori, nego consequentiam: Quia licèt unio hypostatica, auxiliorumque adjumenta ex gratia collata sint humanitati pro solutione debitorum nostrorum; tamen cùm hæc gratia non ingrediatur formaliter solutionem, nec Christus eam exhibuerit pro satisfactione, sed eam sibi retinuerit, & per merita aut opera quæ ipsa mediante lucratus est, satisfecerit, satisfactio est rigorosa, non obstante illa gratia unionis.

Obj. 3. Satisfactio rigorosa debet esse ex bonis propriis satisfacientis, seu debitoris, non verò ex bonis ipsius creditoris, quia oportet quòd creditor acquirat rem seu opus satisfactorium; sed Christus satisfecit per operationes creatas, quæ erant sub dominio & potestate Dei: ergo &c.

Resp. distinguendo majorem: Debet esse ex bonis propriis debitoris, absolutè, id est, tam secundùm jus commune quàm particulare, nego; aliàs nulla fieri posset satisfactio rigorosa, cùm nulla detur quæ sit in sola potestate, dependentia & dominio debitoris; nihil enim est in potestate subditorum, in quod rex non habeat aliquod jus; tamen subditi satisfaciunt regi de rigore juris, dum solvunt, quod ipsi debent: Debet esse ex bonis propriis secundùm aliquod jus particulare & sibi proprium, concedo majorem; unde similiter distincta minori, nego consequentiam: Quia Christus non exhibuit Deo opera satisfactoria, secundùm jus & dominium, quod Deus habet super omnia entia creata, sed secundùm jus sibi proprium & particulare; non enim solvit

dando Deo quod erat solius Dei, sed dando quod suum erat, nimirum actus liberos; aliàs Christus nullatenùs satisfecisset pro nobis, nec esset verus redemptor, quod est hæreticum.

Obj. 4. Satisfactio rigorosa debet fieri ex bonis solius justitiæ titulo debitis; qui enim debet Paulo viginti nummos titulo venditionis v. g. & viginti titulo furti, dum reddit viginti pro furto, non satisfacit rigorosè, sed debet adhuc viginti; unde si Paulus fit satisfactus, hoc non est de rigore juris: sed opera Christi erant Deo exhibenda, & ipsi à Christo debita aliis titulis, gratitudinis scilicet, religionis, obedientiæ, &c. ergo Deus non est satisfactus operibus Christi juxta rigorem juris.

Resp. negando majorem, modò alii tituli quibus materia aut bonum debetur, non multiplicent ipsam materiam debitam; nam qui deberet Petro centum nummos titulo justitiæ ratione contractus, satisfaceret de toto rigore juris, reddendo ipsi centum nummos, etiamsi teneretur eos reddere titulo obedientiæ, quia judex præciperet hujusmodi solutionem, & ex titulo misericordiæ, si ipse Petrus esset pauper propter defectum hujus solutionis, quia illi tituli non multiplicant materiam debitam; unde concessa minori, nego consequentiam, quia tituli obedientiæ, gratitudinis, misericordiæ, &c. non multiplicant materiam debitam in Christo. Ad prob. majoris, dico, quòd supponit materiam titulis multiplicatam; qui enim debet Paulo viginti nummos titulo venditionis, & viginti titulo furti, multiplicat debita; ideòque ut de rigore solvat, oportet, quòd exsolvat quadraginta; at ea quæ Christus debuit titulis gratitudinis, religionis, obedientiæ, misericordiæ, sunt ea quæ debuit titulo justitiæ: ergo dum ad æqualitatem ex justitia solvit, perfectè & rigorosè solvit, & ita perfectè solvit, ac si ex solo titulo justitiæ debuisset.

Obj.

Obj. 5. Satisfactio rigorosa obligat creditorem ad illam acceptandam; sed satisfactio Christi non obligabat Deum ad acceptationem operis satisfactorii: ergo non fuit de toto rigore juris. Resp. distinguendo majorem: Satisfactio rigorosa obligat creditorem ad eam acceptandam, absolutè & ex se, nego; facta suppositione, quòd creditor satisfactionem postulet, concedo; satisfactio enim ex se liberat debitorem, sed non ligat creditorem, nisi ipse velit satisfactionem, & cum ipso debitor conveniat, quia conventio ligat utrumque: hinc est, quòd satisfactio Christi fuit de toto rigore juris, quoniam Deus qui liberè incarnationem operatus est, & qui alia via mundum reparare potuisset, promisit acceptare opera Christi, quæ ex natura sua sunt condigna & superabundantia, ut docet Scotus.

Dices: Justitia rigorosa obligat personam quæ debet, Christus enim non erat persona rea: ergo non satisfecit de toto rigore juris. Resp. quòd justitia rigorosa ex se non obligat personam ream ad satisfaciendum, sed tantùm exigit satisfactionem: nam si Petrus deberet Paulo centum nummos, certum est, quòd satisfactio esset ad strictos juris apices, si Petro & Paulo consentientibus & convenientibus, Joannes solveret & daret centum nummos; unde licèt Christus non sit persona rea, tamen de rigore juris satisfecit, quia Deus voluit satisfactionem Christi acceptare, & Christus ut fidejussor satisfacere voluit pro redimendis hominibus.

Obj. ultimò: Satisfactio rigorosa abdicat à persona satisfaciente dominium, quod habet in rem, qua fit satisfactio, & tribuit illud creditori; sed hæ conditiones non reperiuntur in satisfactione Christi: ipse enim habet idem dominium, & Deus nihil de novo accepit: ergo non est secundùm rigorosos juris apices. Resp. majorem esse veram, quando satisfactio fit in re-

bus

bus datis & acceptis; falsam verò, quando fit in materia honoris, & per actus honorificos quibus fama & honor personæ offensæ restituuntur: tunc enim debitor nihil à se abdicat, & creditor nihil in se recipit: ergo satisfactio Christi fuit de toto rigore juris, licèt deficiant ipsi hæ conditiones, quia facta fuit in materia honoris & per actus honorificos.

Vel respondeo negando minorem; abdicavit à se aliquo modo voluntatem suam, dum dixit Deo Patri offenso; *Non mea, sed tua voluntas fiat*, & Deus Pater voluntatem Filii acceptavit: sed Christus satisfecit per actus voluntatis oppositos actibus voluntatis Adæ qui Deum offenderat: ergo Christus à se abdicavit dominium rei, qua facta fuit satisfactio, & tribuit illud Deo Patri, cui factus est obediens usque ad mortem, teste Apostolo. Omne id suadetur testimonio ipsiusmet Christi dicentis Joan. 10. vers. 17. *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam; nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam; hoc mandatum accepi à Patre meo*: Quæ omnia apertè significant Christum à se abdicasse moraliter animam suam, & Deum eam acceptasse pro satisfactione primi hominis delicto debita. Unde Ecclesiasticus unicuique nostrum ait cap. 29. vers. 18. *Gratiam fidejussoris ne obliviscaris, dedit pro te animam suam*; & ideò satisfecit de rigore juris, & omnem justitiæ rationem explevit, ut inquit D. Basilius Seleuciensis Homil. 1. de Incarnat.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

A qua virtute satisfactio Christi processerit?

DIco 1. Satisfactionem Christi non fuisse elicitam ab aliqua virtute speciali, sed à pluribus. Prob. Satisfactio Christi fuit elicita ab omnibus illis virtutibus, quarum motiva Christo proponebantur tempore satisfactionis, & quæ ad ipsius objectum spectabant; sed Christo, tempore satisfactionis, proposita fuerunt plura motiva, obedientiæ scilicet, religionis, misericordiæ & justitiæ, quæ ad objectum spectabant: ergo elicita fuit à pluribus virtutibus. Major patet. Prob. minor: Christo propositum fuit præceptum aut pactum de morte subeunda; aspiciebat etiam Deum honorandum satisfactione, hominem sublevandum, sicuti respiciebat Deum satisfaciendum, aut injuriam compensandam: ergo motiva obedientiæ, religionis & misericordiæ, proposita fuerunt Christo tempore satisfactionis, sicut motivum justitiæ. *Deinde*, satisfactionis Christi objectum, utpotè compensatio injuriæ, præter rationem justitiȩ, includit rationem actuum obedientiæ, religionis & misericordiæ. Tum quia Christus in hac compensatione fuit obediens Deo Patri, glorificavit ipsum, & homines lapsos liberè redemit, ut constat. Tum quia in ipsa relucebant bonitas præcepti, bonitas cultus divini, & bonitas humanæ salutis: ergo Christus, dum satisfecit, hæc omnia motiva sibi proposuit, & ex motivo harum virtutum mori voluit.

Confirm. 1. Ex hoc nullum sequitur inconveniens, nullaque imperfectio, imò major perfectio in satisfactione & morte Christi; nam cùm perfectio actus ex nobilitate motivi & finis

finis desumatur, ubi sunt plura motiva, majorem perfectionem desumit actus. 2. Satisfactio Christi nedum est debita, nec Christus est tantùm fidejussor noster; sed etiam servus, *formam* enim *servi accepit*, ait Paulus; sacerdos & victima pro peccatis nostris: ergo mortuus est nedum ex motivo justitiæ correspondentis debitori, sed etiam ex motivo obedientiæ correspondentis servo Dei, religionis correspondentis sacerdoti, & misericordiæ correspondentis hostiæ pacis & amoris; aliarumque virtutum, quarum motiva sibi proposuit.

Dico 2. quòd satisfactio Christi elicita fuit ex motivo justitiæ commutativæ. Ita plures Scotistæ. Prob. 1. Justitia ex qua Christus satisfecit, ex pacto & contractu quo se obligavit reddere Deo tantum honorem, quantum homo per peccatum abstulerat, & Deus obligavit se acceptare satisfactionem à Christo exhibitam, processit: ergo est commutativa. Tum quia obligatio ex pacto dandi & recipiendi juxta æqualitatem proveniens, semper sequitur justitiam commutativam. Tum quia injuriarum reparatio & pro illis æqualis restitutio, ad justitiam commutativam spectant. 2. Satisfactio ex justitia rigorosa seu juxta strictos juris apices, spectat ad justitiam commutativam; sed Christi satisfactio talis fuit: ergo. 3. Actus emptionis, venditionis & pretii solutionis, sunt actus justitiæ commutativæ; sed satisfactio Christi pro peccatis nostris est actus emptionis & venditionis & pretii solutionis, ut patet ex illo 1. Cor. 6. *Empti estis pretio magno.* Et 1. Petr. 1. *Non corruptibilibus auro & argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati.* Et Psal. 88. vers. 52. *Quod exprobraverunt inimici tui Domine, quod exprobraverunt commutationem Christi tui*: ergo satisfactio Christi est actus justitiæ commutativæ. 4. Dum aliquis tenetur solvere ad æqualitatem, & sic solvit, solvit ex justi-

justitia commutativa, ut patet; sed Christus solvit ad æqualitatem, *copiosa* enim *fuit apud eum redemptio*: ergo solvit ex justitia commutativa.

Dices 1. Christi satisfactio non supponit læsionem justitiæ commutativæ ratione peccati; aliàs in quolibet peccato præter malitiam quam habet ex objecto, daretur specialis malitia contra iustitiam Dei: ergo satisfactio pro peccatis nostris non fuit ex justitia commutativa. Resp. negando antecedens; nam quodlibet peccatum est injuria contra Deum facta: ergo habet specialem malitiam contra justitiam; aliàs peccatum non esset injustitia, nec injustum.

Dices 2. Patris ad Filium, & Domini ad Servum non potest esse vera obligatio ex justitia: ergó nec Christi ad Deum, cujus est Filius. Resp. antecedens esse verum de Filio non emancipato, & quatenùs est Filius; falsum verò de Filio emancipato, & quatenùs satisfacit ut fidejussor aliorum; unde cùm Christus satisfecerit Deo non pro se, sed pro nobis; nec ut Filius reus, sed ut fidejussor noster; potuit satisfacere Deo Patri ex justitia commutativa, licèt sit Filius ejus.

Dices 3. Homo non tenebatur satisfacere ex justitia commutativa: ergo nec Christus, cùm fidejussor non sit magis obligatus, quàm debitor. Resp. distinguendo antecedens: Non tenebatur satisfacere ex justitia commutativa ex se & secundum propriam virtutem, concedo quia non poterat exhibere satisfactionem condignam, & cùm ad impossibile nemo teneatur, sequitur, quòd homo ex se non tenebatur satisfacere ex justitia commutativa: Secundùm exigentiam debiti, & secundùm satisfactionem convenientem peccato, nego antecedens & consequentiam, quia Christus non satisfecit secundùm virtutem quam homo habet ad satisfaciendum; alioquin satisfactio ejus non fuisset condi-

gna

gna, nec superabundans: sed secundùm exigentiam debiti, & condignitatem satisfactionis peccato correspondentem; ideòque satisfecit ex justitia commutativa, cùm satisfecerit, ut potuit, ut debuit, & ut oportuit.

Obj. 1. Gonetus contra 1. conclusionem: Actus qui versatur circa objectum honestum, quod à pluribus virtutibus non respicitur, non elicitur à pluribus virtutibus, sed ab aliqua speciali quæ circa tale objectum versatur; atqui satisfactio Christi versatur circa objectum honestum, quod à pluribus virtutibus non respicitur; ergo non à pluribus virtutibus, sed ab aliqua speciali fuit elicita. Major est certa; nulla enim virtus potest elicere aliquem actum, in quo non reluceat ratio formalis sui objecti. Minor verò sic ostenditur: Objectum satisfactionis Christi est compensare injuriam Deo illatam per peccatum, & inter Deum offensum & homines peccatores perfectam constituere æqualitatem; at hoc, ut per se constat, ad omnes virtutes non spectat, sed ad aliquam specialem: ergo &c.

Confirm. Quotiescumque in aliquo actu reperitur speciale bonum habens difficultatem objectivam, debet poni specialis virtus ad illum eliciendum; virtutes enim non ponuntur in anima nisi ad vincendas difficultates, quæ reperiuntur in prosecutione honesti; sed in satisfactione Christi reperitur speciale bonum, specialem habens difficultatem objectivam, scilicet compensationem divinæ injuriæ ad æqualitatem: ergo debet poni specialis virtus ad illam eliciendam.

Confirm. ampliùs: In nobis satisfactio imperfecta quam Deo exhibemus pro peccatis nostris, non procedit à pluribus virtutibus, sed ab aliqua speciali & determinata, scilicet à pœnitentia: ergo etiam satisfactio perfecta & cōdigna quam Christus Deo obtulit pro peccatis nostris, debuit ab aliqua virtute determinata procedere.


Resp.

Resp. negando minorem. Ad prob. nego minorem; quia, ut probat argumentum nostrum, in compensatione injuriæ Deo illatæ, relucent bonitas præcepti, bonitas cultus Deo exhibendi, bonitas sublevationis in homine & ejusdem reparationis: satisfactio enim Christi est actus obedientiæ, actus religionis, misericordiæ & justitiæ. Ad 1. confirm. concessa majori, distinguo minorem: In satisfactione Christi reperitur speciale bonum, specialem, id est, unicam difficultatem habens, nego; Specialem, id est, sibi propriam, concedo: Nam compensatio injuriæ divinæ ad æqualitatem, est specialis difficultas satisfactioni Christi conveniens, cùm nulla alia fuisset sufficiens nec condigna: At in illa compensatione plures sunt speciales difficultates objectivæ, nempè præceptum observandum, honor Deo exhibendus, homo à miseria sublevandus, peccatum vindicandum, debitum solvendum: ergo in compensatione illa plures sunt difficultates vincendæ, subindeque exhibita fuit ex motivo plurium virtutum. Ad 2. confirm. 1. nego antecedens, quia satisfactio nostra procedit etiam à virtute justitiæ, ut patet suprà. 2. nego conseq. 1. quia licèt satisfactio nostra à virtute pœnitentiæ tantùm procedat, cùm etiam ab alia virtute procedere possit, ut est manifestum, & esset perfectior, si ab aliis procederet, non valet inferre Christi satisfactionem procedere etiam ab una virtute dumtaxat. 2. quia Christus non tenebatur satisfacere secundùm virtutem, ex cujus motivo homo satisfacere potuisset, sed tenebatur satisfacere absolutè: ergo potuit satisfacere ex motivo plurium virtutum, licèt homo ex motivo unius satisfecisset, & nos satisfaciamus.

Obj. 2. Ad religionem pertinet exhibere debitum honorem Deo, in quantùm est primum principium creationis & gubernationis rerum, & per hoc distinguitur ab aliis virtutibus; at

Christi satisfactio non ordinabatur formaliter ad exhibendam reverentiam Deo ut primo rerum principio, sed potiùs ut offenso per peccata hominum: ergo non procedebat à virtute religionis.

Resp. nego majorem absolutè: nam exhibere etiam debitum honorem Deo in quantùm est author gratiæ & gloriæ, pertinet ad virtutem religionis, cujus objectum est exhibere Deo honorem debitum absolutè; unde satisfactio Christi debet esse actus religionis, sicut est actus justitiæ, quia ordinabatur formaliter ab ipsomet Christo Domino ad exhibendam Deo reverentiam debitam, sicuti ad restituendum honorem ablatum.



DISPUTATIO IV.

De motivo Incarnationis.

PRiusquàm de Incarnationis substantia agamus, ejus causa motiva & finalis investiganda est, cùm finis in qualibet re executionem & existentiam in intentione præcedat.

QUÆSTIO I.

An Deus ex vi decreti, quod habuit, carnem sumpsisset, Adamo non peccante?

NOt. est incarnationem Verbi posse dupliciter sumi. 1. Secundùm substantiam, seu prout

prout dicit præcisè unionem divinitatis cum humanitate in unitate personæ. 2. Secundùm circunstantias, seu secundùm mortem, passionem, generis humani redemptionem &c. Unde Christus simpliciter sumptus, & Christus ut redemptor arguunt diversa decreta in Deo; in primo signo Filius decretus fuit homo ante prævisionem peccati hominum, & in signo sequenti ad prævisionem peccati, decretus fuit peccatorum redemptor: hinc est, quòd si Adam non peccasset, Christus ex vi primi decreti fuisset, cùm redemptio non sit finis nec motivum primi decreti; reverà non fuisset redemptor, quoniam salus hominum est motivum incarnationis quantùm ad circunstantias, sed fuisset glorificator, ut docet Scotus, cum quo

Dico, quòd ex vi præsentis decreti, Verbum divinum carnem humanam assumpsisset, si homo non peccasset. Ita omnes Scotistæ. Prob. 1. Si Christus non venisset Adamo non peccante, vel quia Deus non potuisset, vel quia non voluisset? sed utrumque falsum est: ergo venisset. Prob. minor quoad secundum, quoniam primum est certum apud Gonetum: Potuisset enim mittere Verbum Adamo non peccante: si non voluisset, maximè quia nulla fuisset necessitas, ut est evidens; sed fuisset necessitas, etiamsi Adam non peccasset: ergo venire voluisset, & de facto venisset. Prob. minor 1. Si Adam non peccasset, Deus fuisset semper summè glorificandus, sicut Deus offensus erat de condigno satisfaciendus, & homo peccator erat redimendus; sed non potuisset summè glorificari, nisi per Christum: sicut Deus offensus non potuit de condigno satisfieri, nec homo peccator redimi, nisi per Christum: ergo fuisset necessitas & sufficiens motivum. 2. Ecclesia (quæ fuisset, etiamsi Adam non peccasset, quoad sanctitatem & gratiam) indiguisset capite visibili & sanctiore membris: sed nulla creatura

fuisset Adamo sanctior, nisi fuisset Deus & homo simul: ergo fuisset necessitas. 3. Amor non minùs movet & excitat amantem, ut se communicet amato, ut in ipso subsistat, dum possibile est, quàm ut ipsi adjuvet, quit est evidens; sed amor Dei misit Verbum, juxta illud Joan. 3. *Ita dilexit mundum, ut Filium suum daret*, ut redimeret hominem: nec fuit alia necessitas, nullumque motivum præter illud, ex Goneto: ergo amor invenisset necessitatem subsistendi substantialiter in homine amato, imò urgentiorem, juxta illud Proverb. 8. *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum*. 4. Natura humana fuisset dignificanda per unionem hypostaticam, sicuti fuit post peccatum Adæ, cùm non fuisset deterioris conditionis: ergo venisset ex amore aut necessitate dignificandi per personalitatem divinam, humanam naturam, ut insinuare videtur Apost. ad Rom. 5. dicens, *Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multò magis jam reconciliati, salvi erimus in vita ipsius*. Et 1. Cor. 2. ubi ait de Incarn. *Quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram*. Tandem, si Adam non peccasset, Deus prosecutus fuisset homines beneficiis: sed tribuit Christum peccatoribus tanquam summum beneficium: ergo dedisset illum etiam justis, si perseverassent; ideòque si Adam non peccasset, non defuisset motivum nec necessitas veniendi in mundum.

Instare posset Gonet. hæc omnia non fuisse necessaria. 1. Quia Deus potuisset alia via glorificari, Ecclesia habere aliud caput, amor Dei satiari, & humana natura dignificari. 2. Quia non fuisset incongruum, nec indecens relinquere hominem in prædictis necessitatibus, sicuti fuisset relinquere ipsum in peccato, & consequenter nulla fuisset necessitas veniendi in mundum, si Adam non peccasset. At hæ rationes non infirmant argumentum: nam potuit, ut

ut fatetur Gonet. redimere genus humanum, alia via & sine incarnatione, tamen venit & fuit necessitas veniendi: ergo venisset. Deinde, magis incongruum fuisset & indecens relinquere hominem in prædictis necessitatibus, quàm in peccato. Tum quia peccatum exigebat punitionem, & pœna æterna dignum erat. Tum quia congruum & decens est, relinquere peccatorem in reatu, dum liberè & malitiosè peccare voluit; at Deus exigebat summè glorificari; congruum, & decens erat dare Ecclesiæ caput, visitare justos & dilectos, dignificare naturam humanam per unionem hypostaticam &c. ergo si Adam non peccasset, Christus venisset propter motiva assignata, cùm ut ex dictis constat, sint sufficientia.

Prob. 2. Christus Dominus est volitus & prædestinatus ante præscientiam peccati hominum: ergo venisset ex vi præsentis decreti, etiamsi homo non peccasset. Consequentia patet: Nam si sit à Deo volitus independenter à peccato, executioni etiam mandatus fuisset, licèt homo non peccasset. Prob. antecedens *Primò:* Deus voluit & prædestinavit Christum antecedenter ad decretum aut intentionem producendi homines, quis intentio producendi hominem, fuit producendi illum ad instar & exemplar Christi, ut docet D. Athanas. serm. de Deipara, his verbis: *Potiùs loquendum est, quòd Deus fecerit hominem secundùm imaginem Dei; secundùm imaginem enim, & similitudinem istius modi incarnationis & acceptæ humanitatis, hominem Deus fecit.* Ejusdem sententiæ est Tertul. lib. de resurrectione carnis: ergo Christus fuit volitus ante decretum producendi homines, cùm exemplar sit prius exemplato. Tum quia ex vi unionis est Filius naturalis Dei & primogenitus: ergo intentio prædestinandi Christum est prior decreto producēdi homines; hinc est, quòd prædestinatus fuit ante præscientiā peccati, &

consequenter quòd venisset ex vi præsentis decreti, licèt homo non peccasset.

Secundò: Adam fuit prædestinatus ad gloriam ante prævisionem peccati. Ratio est, quia fuit priùs prædestinatus ad gloriam quàm ad gratiam, cùm gloria sit finis, qui in intentione est semper prior mediis; sed fuit prædestinatus ad gratiã ante prævisionem peccati originalis: quod ex Goneto consistit in privatione gratiæ, quæ non potest in cognitione præcedere formam, cujus est privatio; sed decretum prædestinandi Christum ad gloriam, est prius decreto prædestinandi hominem: ergo si homo non peccasset, Christus prædestinatus fuisset. Prob. minor: Deus prædestinavit homines in Christo: ergo priùs prædestinavit Christum ad gloriam, quàm homines. Consequentia patet. Prob. antecedens: Ad Ephes. 1. dicitur, *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*: ergo homo fuit prædestinatus ad gloriã in Christo, subindeque venisset ex vi prædestinationis suæ, si Adam non peccasset, vel vana fuisset Christi prædestinatio, quod est falsum.

Tertiò: Ordinatè volens, priùs vult finem, & ex mediis illa quæ sunt fini propinquiora: sed ad manifestationem bonitatis divinæ, quæ est finis intentus à Deo in creatione omnium rerum, propinquiùs se habet incarnatio Verbi quàm omnes aliæ creaturæ, ut patet: ergo in intentione producendi creaturas, Deus qui est ordinatè volens, priùs voluit Christum quàm homines: & consequenter venisset ex vi illius intentionis & decreti.

Huic argumento triplex solutio adhibetur à Thomistis apud Gonetum. *Prima*, concesso antecedente, negat consequentiam; quia (inquiunt) etsi Christi prædestinatio antecedat in intentione Dei, præscientiam peccati & decretum homines redimendi, eo ipso tamen quòd non alio

modo,

modo, neque alio medio, voluit Deus illam exequi, nisi media permissione peccati, fit inde quòd si homo non peccasset, Christus non venisset: Eo proportionali modo quo licèt intentio quam habet Deus dandi suam gloriam electis, sit prior decreto de bonis operibus ipsorum, atque adeò prævisionem ejusdem operum antecedat, nihilominùs quia Deus non aliter statuit voluntatem illam sive intentionem adimplere, quàm per bona opera, verum est dicere quòd nullus electorum absque bonis operibus salvabitur. Hanc solutionem probabilem judicat Gonetus, & illustrat alio exemplo, putà ex orationibus Sanctorum; quod omitto, quoniam est simile exemplo adducto.

Contra 1. Ad quid enim Deus priùs decrevisset Christum, quàm permittere peccatum & redimere homines, si noluisset decretum illud exequi, nisi medio decreto permittendi peccatum & redimendi homines? nulla certè esset necessitas; conformius siquidem fuisset rectæ rationi, priùs videre homines lapsos & velle redimere ipsos, quàm decernere aut velle remedium, cùm volitio medici supponat cognitionem mali & volitionem sanitatis. 2. Qua revelatione novere Thomistæ, Deum voluisse prædestinationem Christi (quæ ex concessis præcedit in intentione Dei decretum homines redimendi) exequi non alio modo, nec alio medio, nisi media permissione peccati, cùm hoc colligi non possit ex sacra Scriptura; imò ex locis apud ipsos adductis, infertur Christum fuisse prævisum post præscientiam peccati: ergo si antecedat peccati præscientiam, cùm sit prædestinatio absoluta & perfectissima, antecedit nedùm secundùm rem, sed etiam secundùm modum & medium. *Ad exemplum* (quod tamen apud nos, ut patet in tract. de prædest. non valet) nego paritatem; quia intentio dandi gloriam includit essentialiter intentionem merito-

rum, quia gloria est præmium, quod necessariò respicit meritum; unde fit, quòd licè tintentio dandi gloriam præcedat præscientiam meritorum, nullus salvatur sine meritis, à quibus salus dependet; at intentio prædestinandi Christum, non includit necessariò nec essentialiter intentionem redimendi homines; nec peccatum est medium ad unionem hypostaticam requisitum; aliàs sequeretur, quòd Christus venire non potuisset, si homo non peccasset, sicut prædestinatus non potest habere præmium sine meritis; quod est contra Gonetum in principio quæst. ergo non valet paritas.

Secunda Thomist. solutio negat antecedens. Ad cujus 3. prob. respondent majorem esse veram de his quæ sunt fini propinquiora ordine causalitatis, falsum verò de his quæ sunt propinquiora illi tantùm ordine perfectionis: Christus autem licèt sit perfectior universo, & in ordine gratiæ; non tamen est propinquior fini à Deo intento, ordine causalitatis, ita ut res naturales, & ordinis gratiæ, in attingendo finem intentum à Deo, scilicet manifestationem bonitatis suæ, ab illo ut intermedio dependeant, sed seipsis immediatè ad talem finem conducunt; ac proinde potuit Deus decernere omnia simul, vel minùs perfectum ad perfectius ordinare, vel denique perfectius ordinare ad minùs perfectum; cumque hoc ex sola voluntate Dei dependeat, qualiter de facto contigerit, ex Scriptura, Conciliis & Patribus indagandum est, & quia ex illis constat Deum decrevisse mysterium incarnationis propter hominum salutem, asserendum est, non priùs prædestinasse Christum, quàm decreverit universum producere & peccatum permittere. Omitto modum disponendi decreta Dei, quem ex dictis deducunt, cùm ex dicendis alter deducendus sit.

Contra 1. Christus positus fuit in statu futu-

ritionis antecedenter ad omnes creaturas propter manifestationem bonitatis Dei creandas: ergo est fini propinquior in ordine causalitatis. Consequentia patet; nam causalitatis ordo non consistit in existendo, sed in futuritione decernenda. Prob. antecedens: In statu possibilitatis nulla creatura juxta exigentiam finis, nempè manifestationis bonitatis Dei, erat Christo aptior, nec divinæ voluntati ipso dignior, nec magis conducebat ad talem finem, nec proximiùs: ergo Deus priùs decrevit Christum, quàm alias creaturas. Vel saltem dicendum est, quòd decrevit ipsum eo modo quo decrevit alias creaturas, tum quia non erant media aptiora ad finem, nec digniora ad laudem Dei, nec perfectiora ad complementum operis: ergo sicuti in ordine causalitatis, homo fuit volitus independenter à Christo, Christus etiam fuit volitus independenter ab homine. 2. Verum est, quòd Deus potuit ordinare medium perfectius ad minùs perfectum; sed cùm nulla fuerit necessitas, quoniam redemisset mundum, sicut de facto redemit, servavit ordinem sapienter ordinantium. Ad Scripturam, Concilia & Patres dico, quòd loquebantur de dispositione decretorum in ordine reparationis, non verò in ordine naturæ: Et de bonitate Dei satisfacienda, non autem de bonitate Dei manifestanda, nec de omnipotentia exaltanda.

Tertia solutio est Goneti, dicentis, quòd ordine intentionis priùs fuit volitus Christus, quàm omnia alia, sive ordinis naturalis, sive ordinis supernaturalis, quàm permissio peccati in genere causæ finalis; posteriùs tamen in genere causæ materialis. Vel, ut alii dicunt, licèt Christus fuerit prævisus & intentus in ratione finis *qui*, quàm ordo naturæ & gratiæ, & quàm peccatum intelligatur esse permissum à Deo; tamen prioritate finis *cui*, priùs volitum fuit remedium peccati, seu genus humanum ut

D 5 redi-

redimendum, quàm fuerit prævisa & volita incarnatio. Quod ut magis declaretur, tradit definitionem finis *qui*, & finis *cui*, & utitur exemplo de medico; sed omitto hæc omnia brevitatis gratia, quoniam ex dictis ipsius satis constat Christum non venisse, si Adamus non peccasset, licèt fuisset prævisus, sicuti non daretur medicina, si nullus esset ægrotus, quamvis finis *qui*, nempè sanitas, esset.

Contra. 1. Quilibet finis, sive sit *qui*, sive *cui* est semper nobilior mediis, quorum est finis. Tum quia nobilitas mediorum desumitur ex nobilitate & bonitate finis *qui* & *cui*, ut patet in medicina, quæ est ignobilior sanitate, & homine cui desideratur. Tum quia media sunt propter finem *qui*, & propter finem *cui*, & non econverso: nam medicina est propter sanitatem, ratione cujus est, & propter hominem ægrotum cui datur, & non ècontra: ergo finis *cui* est nobilior mediis. Subsumo: sed homo redimendus non est nobilior Christo, nec incarnatione seu unione humanitatis cum Verbo, ut patet: ergo redemptio hominum non potest esse finis *cui* incarnationis, quatenùs est unio humanitatis cum Verbo. 2. Quilibet finis, sive sit *qui*, sive *cui*, magis diligitur & appetitur quàm media. Tum quia media diliguntur propter finem tam *cui* quàm *qui*, ut patet etiam in medicina. Tum quia in sola adeptione finis satiatur amans: sed salus aut redemptio hominum non magis diligitur à Deo quàm Christus, aut incarnatio quoad substantiam sumpta: ergo non voluit Christum fore propter amorem salutis, seu propter homines redimendos, sicut medicus vult medicinam & potiones propter ægrotum, & consequenter non est finis *cui* incarnationis primariò sumptæ. 3. Christus est glorificator & redemptor, finis *qui* Christi sub conceptu glorificatoris est manifestatio gloriæ aut bonitatis Dei, finis *cui* est Deus glorificandus.

Finis

Finis *qui* Christi redemptoris est manifestatio bonitatis Dei, & finis *cui* est homo redimendus: ergo si Adam non peccasset, Christus venisset, cùm habuisset finem *qui* & finem *cui*, reverà non ut redemptor, sed ut glorificator; idcircò solutio probat salutem esse finem redemptoris tantùm.

Prob. 3. Si Adamo non peccante, Christus non venisset, ut vult Gonet. sequeretur, quòd Adamo non peccante, Deus nihil creasset: sed hoc est falsum. Tum quia peccatum esset causa motiva creationis. Tum quia Deus non operatus fuisset omnia propter semetipsum, quod est inauditum: ergo venisset Adamo non peccante. Prob. sequela: Deus voluit & fecit omnia propter Christum: ergo si homine non peccante, Christus non venisset, nec ea quæ propter Christum facta sunt; unde si omnia propter Christum facta sint, tanquam propter finem *qui*, & Christus non fuisset; Adamo non peccante, nihil fuisset. Prob. antecedens: Paulus ad Cor. 3. ait, *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei*. Gonet. hìc §. 6. n. 55. habet, *Ubi D. Thomas ait significari, quòd quemadmodum omnia propter prædestinatos creata sunt, ita omnia creata, & ipsi prædestinati, sunt propter Christum, ut est homo, tanquam propter finem, sicut & illa omnia, & ipsemet Christus, sunt propter Deum ut ultimum finem*: hinc est, quòd Deus voluit & fecit omnia propter Christum: ergo si Deus non voluisset nec misisset Christum si Adam non peccasset, sequeretur, quòd nihil creasset: nam ex Goneto fecit omnia propter Christum tanquam propter finem *qui*, & Christum propter peccatum tanquam propter finem *cui*; unde sicuti pecca[to d]eficiente, non fuisset Christus, deficien[te] Christo, non fuissent omnia.

Prob. 4. Si Christus non venisset Adamo non peccante, sequeretur 1. quòd incarnatio non

esset simpliciter & absolutè bona, sed tantùm occasionaliter, sicut pœnitentia, quoniam esset ex occasione peccati, seu facta fuisset propter peccatum, sicut pœnitentia; sed hoc est falsum: ergo, &c. Major patet; Minor verò prob. Incarnatio seu unio humanitatis cum Verbo, est melior redemptione hominum: ergo non debet esse ex occasione peccati hominum, sed bona simpliciter & absolutè; nunquam etenim bonum simpliciter & absolutè nascitur ex occasione minoris boni: pœnitentia non est melior remissione peccatorum, nec justificatione, propter quam fit: at melior est unio hypostatica, quàm justitia originalis: ergo unio hypostatica non est præcisè & principaliter propter reparationem justitiæ originalis, nec ex occasione peccati, sed propter aliud motivum dignius & nobilius, & ab omni occasione independens.

Secundò sequeretur, quòd peccatum Adami utile fuisset. 1. Omnibus prædestinatis, quia si Adam non peccasset, Christus qui est eorum caput, non venisset. 2. Omnipotentiæ Dei, cùm non produxisset perfectissimum opus. 3. Christo, qui non haberet suam existentiam. 4. Beatæ Virgini, cùm non esset mater Dei; sed hæc omnia absurda sunt. Tum quia melius fuisset, si Adam non peccasset; aliàs in vanum Deus præcepisset primis parentibus, ne comederent de ligno vitæ. Tum quia peccatum est inutile: ergo si Adamo non peccante, Christus venisset, ratio est, quia gloriosius est prædestinatis habere Christum, Omnipotentiæ ipsum produxisse, Virgini genuisse, & ipsimet Christo existere, quàm esse in statu innocentiæ: ergo si Adam non peccasset, Christus venisset.

Obj. 1. Gonetus: Decretum incarnationis, cùm sit supra naturæ debitum, non nisi per revelationem nobis innotescere potest; at quotiescumque Scriptura sacra, Concilia, vel SS. Patres quibus Deus suam voluntatem revelavit,

de hujusmodi decreto faciunt mentionem, aliam ejus causam motivam non assignant, quàm liberationem à peccato, seu redemptionem hominis à servitute peccati: ergo ex vi decreti quod Deus habuit de facto, Verbum carnem non assumpsisset Adamo non peccante. Major est certissima, unde tota difficultas devolvitur ad minorem, quæ quoad singulas partes probatur.

In primis ergo plura extant Scripturæ testimonia, quibus apertè significatur Deum non venisse in mundum per incarnationem, nisi ut peccatores salvos faceret; Math. 18. & Luc. 19. *Venit Filius hominis quærere & salvum facere quod perierat*. Sunt aliæ authoritates Scripturæ, sed eas omitto brevitatis gratia, quia cùm omnes habeant eandem virtutem, ratione qua solvetur ista, solventur & aliæ. Eadem etiam & non alia assignatur ratio à Conciliis, præcipuè à Nicæno in Symbolo fidei, ubi dicitur, *Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu sancto, & homo factus est*. Accedunt testimonia SS. Patrum: Irænæus enim lib. 5. adversùs hæreses, cap. 14. sic ait, *Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset*. Athanas. orat. 3. contra Arrianos, *Quòd autem Filius Dei homo factus est, numquam accidisset, nisi hominum necessitas causam præbuisset*. Omitto authoritatem aliorum Patrum, quia habent eumdem sensum, & eadem ratione solvi possunt.

Resp. negando minorem: Colligitur enim ex pluribus sacræ Scripturæ locis, Christum fuisse decretum independenter à præscientia peccati; Proverb. 8. dicitur, *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequàm quidquam faceret à principio: ab æterno ordinata sum & ex antiquis, antequàm terra fieret: nondum erant abyssi & ego jam concepta eram*; quæ verba de

Chri-

Christo intelliguntur à SS. Patribus, & insinuant Christum fuisse prævisum independenter à peccato. *Nec valet* dicere cum Goneto, Christum esse priorem dignitate & excellentia, non verò causalitatis ordine, quia Paulus ad Coloss. 1. ait de Christo: *Qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens*. Adverte, quòd *Ly In omnibus primatum tenens*, indicat Christum esse primum in divina intentione. Joan. 17. Christus alloquens Patrem ait, *Ego te clarificavi super terram, opus consumavi, quod dedisti mihi ut faciam, & nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate quam habui, priusquàm mundus esset apud te: manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo*: Ex quo constat opus primarium & principalius Christi fuisse clarificare Patrem, non verò pro salute nostra mori: dixit enim, *Opus consummavi, quod dedisti mihi*. Et nondum redemerat nos passione aut morte, sed manifestaverat Trinitatem personarum & divina attributa: ergo ex Scriptura, primaria causa motiva incarnationis non est redemptio hominum.

Unde ad prob. minoris, dico, quòd sacra Scriptura in locis citatis, Patres & Concilia assignant motiva secundaria incarnationis, sed non assignant omnia, cùm non loquantur de motivis Christi, quatenùs venit ut glorificator, sed tantùm quatenùs venit ut redemptor: hinc est, quòd probant, quòd si Adamus non peccasset, non venisset ut redemptor, nec ut medicus, nec ut Salvator; sed non probant, quòd non venisset ut glorificator & ut amicus; ideòque Scriptura non est contra nos, cùm assignando reparationem hominum pro motivo incarnationis, excellentiam mysterii, manifestationem divinorum attributorum, glorificationem Dei & alia motiva non improbet.

Gonet. resp. Verùm hæc responsio (inquit) nul-

nullius est momenti, cùm ex illis quæ ex sola Dei voluntate dependent, non possimus aliam habere notitiam, nec aliter sentire, quàm secundùm quòd in Scriptura traduntur, & ex sola Dei voluntate pendeat ordinare incarnationem ad hunc aut illum finem, benè sequitur, quòd si alia non assignatur ratio à Scriptura & SS. Patribus, præter generis humani reparationem, nos aliam quoque assignare non possumus. Addo (inquit) quòd in rebus magni momenti, optimum est argumentum ex authoritate negativa; unde quia Scriptura sacra, ubi loquitur de mundi creatione, unius tantùm facit mentionem, per legitimam consequentiam deducimus esse tantùm unum mundum. Similiter quia facit tantùm mentionem de incarnatione secundæ personæ Trinitatis, credimus eam tantùm fuisse incarnatam. Item quia tres solùm personas in Deo nominat, nusquam verò quatuor, tres tantùm esse personas in Deo ut certissimum fide dogma recipitur. Addo etiam, quòd aliqui ex SS. Patribus, non solùm dicunt Verbum fuisse incarnatum ob reparationem generis humani, sed insuper etiam asserunt, quòd non fuisset incarnatum, peccato non existente; & sic hæc solutio eorum testimoniis applicari nequit.

Contra: Nam ut ait Mastr. Scriptura in locis in nostra responsione citatis, assignat aliud motivum incarnationis præter redemptionem. Zachar. in cant. ait, *Benedictus Dominus Deus Israel*, & ratio, ob quam laudat, est duplex, *quia* (inquit) *visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ*: aliud enim est visitare, & aliud redimere. Tum quia potuit visitare nos, & non redimere. Tum quia cùm impossibile sit redimere nos & non visitare, si visitatio & redemptio essent unum & idem motivum, aut si redimere esset motivum primarium, dixisset duntaxat, *Quia fecit redemptionem plebis suæ*; unde inferendum est, quòd si peccatum non fuisset, certò redemptionem non fecis-

fecisset, nihilominùs adhuc nos visitasset. Non venit tantùm propter peccatum, sed etiam propter nos, juxta illud Symboli, *Propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis, & homo factus est.* Ex quibus verbis assignatur aliud motivum præter reparationem generis humani. Et si liceat Thomistis ista verba interpretari, licebit etiam Scotistis interpretari alia.

Ad additum, dico, quòd authoritas Scripturæ, *Venit Filius hominis salvum facere, quod perierat, &c.* & Patrum, non est negativa positivè, ita ut excludat, aut neget aliud motivum; sed negativè, ita ut omittat aliud motivum. Unde licèt nemo inferat esse alium mundum, aliam personam esse incarnatam præter Filium, &c. valet tamen inferre esse aliud incarnationis motivum, præter redemptionem hominum. Tum quia authoritates Scripturæ de unius mundi creatione, incarnatione Verbi, & Trinitate personarum, sunt negativæ positivè, id est, excludunt & negant: at Authoritates de motivo incarnationis, sunt negativæ negativè, id est, omittunt aliud motivum: v. g. dum Abraham Genes. 22. ait de Sara, *Verè soror mea est*, hæc authoritas licèt sit negativa sicut illa, *Filius hominis &c.* tamen non excludit, nec negat Saram esse etiam uxorem Abrahæ; ita similiter quamvis authoritates Scripturæ asserant Christum venisse propter peccatum, tamen non negant, nec excludunt alia motiva, sicut Authoritates negativæ, seu negantes positivè, & excludentes aliud. Tum quia ratio convincit non esse alium mundum existentem præter istum; at ratio non suadet non esse aliud motivum incarnationis præter reparationem generis humani. Tum quia fides docet secundam Trinitatis personam dumtaxat assumpsisse carnem, & in Deo esse tātùm tres personas; sed fides non docet nullũ esse incarnationis motivum, prẹter redemptionẽ: ergo non valet paritas.

Obj.

Obj. 2. Cùm Deus incarnationem primò efficaciter decrevit, voluit Verbum incarnari in carne passibili; at decretum incarnationis in carne passibili pendet à præscientia peccati Adami: ergo si Adam non peccasset, Deus ex vi decreti, quod habuit sese hypostaticè communicandi naturæ humanæ, nullo modo incarnatus fuisset. Minor & consequentia patent: Major verò in qua est difficultas, sic ostenditur: Cùm primò Deus efficaciter voluit incarnationem, vel voluit Verbum incarnari in carne impassibili, vel in carne passibili, vel absolutè in communi & quoad substantiam, nihil in particulari decernendo de passibilitate, aut impassibilitate? Primum aut tertium dici nequeunt: ergo secundum necessariò asserendum est. Major patet ex sufficienti enumeratione omnium modorum, quibus potest intelligi Deum primò decrevisse incarnationem Verbi. Minor autem prob. Si Deus primò voluisset Verbum incarnari in carne impassibili, de facto assumpsisset carnem impassibilem; sed hoc est contra fidem passionis & resurrectionis Christi: ergo &c. Sequela patet. Omitto probationem sequelæ, quia est vera & concedenda, ideòque minimè adducenda est ejus probatio. Omitto etiam probationes secundæ partis, nempè Deum non decrevisse primò incarnationem, abstrahendo à carne passibili aut impassibili, quia concedimus Deum decrevisse incarnationem modo determinato.

Resp. distinguendo majorem: Cùm Deus primò incarnationem efficaciter decrevit, voluit Verbum incarnari in carne passibili, passibilitate intrinseca, qua quodlibet corpus constans quatuor qualitatibus contrariis, est passibile & mortale, concedo; Passibilitate extrinseca, seu inflicta propter peccatum, quæ est illa subjectio, quam habemus tanquam effectum peccati, ad mortem & ad miserias, qua mo-

modò caro nostra passibilis est propter peccatum, de qua Paulus ait, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors*, nego majorem. Distinguo similiter minorem; Decretum incarnationis in carne passibilitate intrinseca, pendet à præscientia peccati Adami, nego minorem: Passibilitate extrinseca, concedo minorem & nego consequentiam. Dupliciter igitur passibilis erat caro Christi; primò passibilitate proveniente ex quatuor qualitatibus & elementis contrariis quibus constabat, qua passibilis fuisset omnis caro, si status innocentiæ durasset; secundò passibilitate ex peccato hominum proveniente, quia fuit peccatorum fidejussor, quæ passibilitas tendit ad mortem, quatenùs est effectus & stipendium peccati; unde ex vi primi decreti venisset in carne passibili in primo sensu, & de facto sic venit, & propter redemptionem venit in carne passibili in secundo sensu.

Confirm. responsio, & quæro, an in illo signo antecedenti ad peccati prævisionem, in quo ex Goneto Deus determinavit producere Adamum, decreverit producere illum in carne impassibili, vel passibili, vel absolutè in communi & quoad substantiam, nihil in particulari decernendo de passibilitate, aut de impassibilitate? Non primum, quia si Deus decrevisset producere Adamum in carne impassibili, de facto produxisset illum in carne impassibili. Nec secundum, quia ex Goneto caro est passibilis propter peccatum dumtaxat: ergo cum ex Goneto, Deus decreverit Adamum producere ante præscientiam peccati, ex vi illius decreti Deus non voluit producere illum in carne passibili. Nec tertium propter easdem rationes, quibus Gonet. probat Deum non decrevisse Christum incarnari abstrahendo à carne passibili aut impassibili. Asserendum est igitur, quòd Deus decrevit producere Adamum in carne passibili passibilitate intrinseca suprà explicata, qua passibi-

sibilis fuisset, etiam si non peccasset; ita à pari dico, quòd Deus primò efficaciter decrevit & voluit Verbum incarnari in carne passibili, passibilitate intrinseca, & sic venisset Adamo non peccante in carne passibili, sicuti Adam fuisset in statu innocentiæ.

Instare posset Gonet. Ergo primum decretum fuit mutatum: decreverat enim Deus mittere Christum in carne impassibili passibilitate extrinseca; & in alio signo post præscientiam peccati, decrevit mittere illum in carne passibili passibilitate extrinseca. *Resp.* negando instantiam; quia ex vi primi decreti, Christus non fuit prævisus in carne impassibili passibilitate extrinseca, sed tantùm passibilis passibilitate intrinseca: ergo posterius decretum non mutavit primum, cùm ex vi primi sit in carne passibili passibilitate intrinseca, & ex vi secundi in carne passibili passibilitate extrinseca; quæ quidem passibilitates non opponuntur.

Instare posset Gonet. Incarnatio est unica actio: ergo circa ipsam non fuerunt in Deo duo decreta, nec facta fuit propter duo motiva, nec in duplici passibilitate. *Resp.* negando consequentiam quoad omnes partes, quia Christus includit diversos conceptus, & diversa munera, & varias operationes; est enim glorificator & redemptor: ergo non implicat, quòd incarnatio ordinetur ad diversa motiva, nec in duplici passibilitate, cùm una alteram non excludat; nec quòd de ipsa in Deo sint duo decreta, unum de glorificatione & aliud de redemptione, licèt sit unica actio.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An solo existente peccato originali, & econtrà solis existentibus actualibus, futura esset incarnatio ex vi præsentis decreti?

DIco 1. Quòd solo existente peccato originali, venisset Christus ex vi præsentis decreti, quia venit ut redemptor pro redemptione & salute hominum: *Venit* enim *quærere & salvum facere, quod perierat*. Luc. 19. sed existente solo peccato originali, homines essent salvandi & redimendi: ergo &c. *Deinde*, peccatum originale est origo cæterorum, & radix aut causa lapsus totius naturæ humanæ: ergo venisset Christus ex vi præsentis decreti, propter peccatum illud. *Tandem*, venit principaliter propter peccatum Adami (quod in nobis est originale) ut canit Ecclesia in benedictione cerei Paschalis, *O verè necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est; ò fœlix culpa quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem*: ergo venisset existente solo peccato originali.

Dices 1. Si Adam non peccasset, Christus venisset ut redemptor: ergo non venit ut redemptor ex vi præsentis decreti propter peccatum originale. Consequentia patet: Prob. antecedens: Ex vi præsentis decreti B. Virgo fuit præservata à peccato originali, ex morte Christi prævisa; subindeque in eodem signo, in quo Christus ex Scoto fuit prævisus ante præscientiam peccati, Virgo fuit præservata ab omni peccato ex morte Christi: ergo Christus ex vi primi decreti venisset in carne passibili, seu ut redemptor. Et cùm ex Scoto venisset, Adamo non peccante, secluso peccato originali, venisset etiam ut redemptor. Resp. negando antecedens,

ad

ad cujus prob. dico, quòd in Deo sunt duo decreta circa Virginem: per unum electa fuit in matrem Dei seu Christi glorificatoris, quia in eodem signo in quo Christus fuit volitus & prævisus, Virgo etiam fuit prævisa ut mater, propter merita Christi glorificatoris, nempè propter actus charitatis, religionis &c. per aliud præservata ab omni peccato ex morte Filii, in eodem signo in quo Christus fuit prævisus redemptor; unde si Adam non peccasset, Virgo fuisset mater Christi, sed non fuisset efficienter & in actu secundo præservata à peccato, quoniam nulla fuisset necessitas præservandi: ergo si Adam non peccasset, seu secluso peccato originali, Christus non venisset ut redemptor.

Dices 2. Congeries omnium peccatorum tam originalium, quàm personalium, fuit motivum incarnationis in carne passibili: *Sanguis* enim *Christi Domini emundat nos ab omni peccato*, ait Joan. 11. *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris & totius mundi*: ergo ex vi præsentis decreti non venit pro solo originali, sed etiam pro actualibus. Resp. distinguendo antecedens: Congeries omnium peccatorum virtualiter, & radicaliter, aut causativè, concedo; Formaliter, actu & effectivè, nego antecedens: Nam peccata actualia, à quibus emundavit nos sanguis Christi, fuerunt motivum incarnationis, quatenùs in originali tamquam in radice continebantur, & quatenùs ad ipsum reducenda sunt tanquam ad fontem & ad motivum primarium & principalius: ergo existente solo peccato originali venisset ex vi præsentis decreti.

Dico 2. Quòd solis peccatis actualibus existentibus, non venisset Christus ut redemptor ex vi præsentis decreti: nam D. Gregor. lib. 4. in Reg. cap. 1. ait, *Si Adam non peccaret, redemptorem nostrum carnem nostram suscipere non oporteret*: ergo ex D. Gregorio, si alii homines pec-

peccassent, modò Adam non peccasset, Christus non venisset ut redéptor ex vi præsentis decreti. *Deinde*, deficiente primario & principali motivo, cessat operatio; sed peccatum originale est primarium & principale motivum incarnationis in carne passibili, ut constat: ergo &c. *Tandem*, Christus ex vi præsentis decreti venit propter peccatum naturæ humanæ, juxta illud Isa. 53. *Propter scelus populi mei percussi eum*: at solum peccatum originale est peccatum illud quod dicitur peccatum naturæ humanæ, seu quo omnis homo est reus: ergo &c.

Dices 1. Christus venisset & mortuus fuisset pro uno solo peccatore, ut patet ex Apost. ad Galat. 2. *Dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*. 2. Venit vocare peccatores; sed solis peccatis actualibus existentibus, fuissent in mundo peccatores: ergo &c. Resp. Quòd si fuissent tantùm peccata actualia, Christus venisset ut redemptor, non ex vi præsentis decreti, sed ex vi alterius; dato, quòd divina justitia condignam satisfactionem postulasset, quoniam summus erat amor Christi erga homines salvandos.

Ex vi præsentis decreti, Christus venit tollere peccatum quod dicitur peccatum mundi, ut significat illud Joan. 1. *Agnus Dei qui tollit peccatum mundi*; ibi enim non dicit *peccata mundi*, sed *peccatum mundi*, vers. 29. Nec obstat, quòd vulgata habeat, *peccata mundi*; quia peccatū originale dici potest plura peccata, cùm sit fons & radix omnium peccatorum: qua de causa, Propheta Regius psal. 50. considerat illud ut multiplex, dicens, *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*, licèt conceptus fuerit in solo peccato originali: atqui peccatū mundi est peccatum originale, cùm sit commune, sitque totius mundi, ut notat glossa ordinaria desumpta ex venerabili Beda, & ab omnibus hominibus contrahatur, ut in proprio loco dictum est, cum Scriptura sacra, Patribus &

Con-

Conciliis: ergo si venisset pro uno solo, aut pro solis actualibus, non venisset ex vi præsentis decreti, sed ex vi alterius: quippè præsens decretum de Christo redemptore, Adæ peccatum respicit, ut suadet Ecclesia in benedictione cerei Pasch alis, his verbis, *O verè necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est: ò fælix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem*; quibus de solo originali fit mentio.



DISPUTATIO V.

De quidditate Incarnationis.

DEmonstrato divinæ incarnationis motivo, explicanda est ejus quidditas, nedùm in se, sed etiam quantum ad modum; unde sit

QUÆSTIO I.

An unio Verbi incarnati sit facta in natura, vel persona?

DIco 1. Quòd unio Verbi divini cum humanitate in Christo, non est facta in natura; ac proinde necessariò asserendum est, Christum duabus constare naturis, d vina scilicet & humana, in eadem persona Verbi unitis. Hæc conclusio est de fide contra Eutychem, qui asserebat unionem hypostaticam factam fuisse in unitate naturæ. Prob. Christus est verè Deus & verè homo, juxta illud Athanas. *Æqualis Patri secundùm divinitatem, & minor*

minor Patre secundùm humanitatem: ergo Christus constat natura divina, aliàs non esset verè Deus; & natura humana, alioquin non esset verè homo, ut suadet D. Leo epist. 11. *Non esset Dei hominumque mediator, nisi idem Deus idemque homo utroque & unus esset & verus*; sed est mediator, ut ait Paulus 2. ad Timoth. 2. ergo Christus est verè Deus & verè homo; subindeque constat natura humana & natura divina.

Dices 1. Athanas. in Symb. ait, *Sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus*; sed anima & caro constituunt unam naturam: ergo similiter in Christo, Deus & homo efficiunt unam naturam, quæ non est divina nec humana; quod verum esse probat authoritas D. Cyrilli, quæ refertur in Concilio Calcedon. actione 1. *Non oportet intelligere duas naturas, sed unam naturam Verbi Dei incarnatam*: ergo incarnatio facta est in unitate naturæ, & consequenter Christus non constat duabus naturis.

Resp. Exemplum D. Athanas. non valere simpliciter & adæquatè, seu in omnibus, aliàs unio hypostatica non esset singularis; sed tantùm in aliquibus, nimirùm in inseparabilitate & in communicatione proprietatum; quemadmodum enim homo constat anima & corpore, ita Christus constat divinitate & humanitate; unde D. Athanas. non intendit probare Deum & hominem se habere absolutè in Christo, eodem modo quo anima & corpus se habent in homine, sed tantùm esse in Christo, ut anima & corpus sunt in homine, in unitate personæ, non verò in unitate naturæ, ut suadet hæc particula, *Unus est homo*. Ad D. Cyrillum dico, quòd non loquebatur de natura simpliciter, & ut natura nudè sumpta, sed de natura personata, seu de persona aut de subsistentia, quia impugnabat hæresim Nestorii.

Dices

Dices 2. Joan. 1. *Verbum caro factum est*: ergo in incarnatione natura divina in humananam conversa est. Prob. consequentia: Verbum non potest esse caro, quin mutetur in carnem: ergo. Resp. negando consequentiam, ad cujus prob. nego antecedens: quia *Ly fieri* non importat semper conversionem unius in aliud, ut v. g. dum aqua fit vinum, ex Joan. 2. *Ut autem gustavit Architriclinus aquam vinum factam*; sed aliquando importat acquisitionem, ut dum dicitur ad Hebr. 6. *Iesus Pontifex factus*; Genes. 20. *Homo factus est in animam viventem*. Ita similiter in nostro casu, *Verbum caro factum est*, accipitur absque mutatione aut conversione unius in aliud, sed per solam assumptionem aut acquisitionem, ut ait Athanas. *Non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum*.

Dico 2. quòd unio Verbi divini cum humanitate facta est in persona, ac proinde necessariò asserendum est, quòd in Christo est unica persona, quæ est divina. Hæc conclusio definita est in variis Conciliis contra Nestorium. Prob. 1. ex Symb. *Non confusione substantiæ, sed unitate personæ*; sed persona illa est divina: nam persona divina est indistincta & inseparabilis à natura divina, humana verò est distincta: ergo illa persona quæ est in Christo est divina. 2. Per incarnationis mysterium, homo est Deus & Deus est homo: ergo in Christo qui est Deus & homo, est tantùm una persona. Prob. conseq. Tum quia duæ naturæ non possunt in concreto de se invicem prædicari, nisi ratione unitatis suppositi quo subsistunt, & in quo conveniunt. Tum quia suppositum reddit naturam incommunicabilem ut *quod* & ut *quo*: ergo in Christo in quo communicantur duæ naturæ, divina scilicet & humana, nequeunt esse duæ personæ, sed tantùm una qua duæ naturæ subsistunt.

Dices 1. In Christo sunt duæ filiationes reales & duæ generationes: ergo sunt etiam duæ personæ. Antecedens est certum apud Scotistas. Prob. consequentia: Filiatio fundatur in supposito, & generatio terminatur ad ipsum: ergo ubi sunt duæ filiationes reales & duæ generationes, ibi sunt etiam duo supposita. Resp. negando consequentiam, quia unum & idem suppositum ratione duplicis naturæ, potest fundare duas filiationes reales & terminare duas actiones, cùm filiatio sit suppositi mediante natura, & generatio terminatur etiam ad suppositum ratione naturæ: ergo cùm natura divina sit suppositata, humana etiam licèt unico & eodem supposito, tamen sunt duæ naturæ suppositatæ, & consequenter fundare possunt duas filiationes reales, & terminare duas generationes.

Dices 2. Ubi est aliud & aliud, ibi sunt duo supposita; sed in Christo est aliud & aliud. Tum ex D. Leone epist. 10. de Christo dicente, *Aliud coruscat miraculis, & aliud succumbit injuriis.* Tum quia persona Verbi non est humana, nec creata: ergo in Christo sunt duo supposita, unum divinum & aliud humanum. Resp. negando majorem, quia *aliud* & *aliud* neutraliter significant naturam, sicùt *alius* & *alius* masculinè significant suppositum. Ratio est, quia *aliud* neutraliter sumptum cadit supra rem assumptam, aut receptam, vel supra aliquid rei; *alius* verò cadit supra totam rem & subsistentiam, ut v.g. dum dicimus, aliud est vivere, & aliud est mori in Petro, non intelligimus duo supposita esse in Petro, sed tantùm unum: ita similiter D. Leo per *Ly* aliud *coruscat miraculis, & aliud succumbit injuriis*, non intelligit duo supposita, sed duas naturas. Ad illud de persona Verbi, dico, quòd licèt non sit humana nec creata formaliter & in se, est tamen humana quoad munus, id est, gerit vices suppositi humani:

mani: ergo in Christo non sunt duo supposita, sicut duæ naturæ.

Instabis: ergo Verbum non assumpsit hominem, quia homo denotat suppositum seu personam, & naturam: sed hoc est falsum, tum ex Nicæno Symbolo, in quo de filio Dei decantatur, *Et homo factus est*. Tum ex Hymno, *Te Deum laudamus*, à divis Ambrosio & Augustino composito, in quo legitur, *Tu ad liberandum suscepturus hominem*: igitur in Christo persona divina non gerit vices personæ creatæ, subindeque in ipso sunt duæ personæ. *Nego* instantiam: Tum quia Patres Concilii Nicæni non loquebantur de ordine assumendi, nec de his quæ Verbum aut Filius Dei assumpsit, sed de existentia Christi, qui verè est homo per naturam humanam quam hypostaticè assumpsit; nec definiunt in hoc symbolo, an in Christo sint duæ personæ? Sufficit, quòd inde nullo modo inferri possit in Christo esse duas personas, ut de facto inferri minimè potest; cùm reverà Filius Dei sit homo, supplendo vices personalitatis creatæ per propriam personalitatem: Tum quia Ambrosius & Augustinus loquebantur in concreto, usurpando concretum pro abstracto, ut exigit usualis loquendi modus, & ut evidentiùs explicaretur natura mysterii.

Dices 3. Natura divina non gerit vices naturæ creatæ, imò nec gerere potest: ergo persona divina nequit gerere vices personæ, sicque in Christo sunt duæ personæ sicut duæ naturæ. Probatur consequentia; In Deo idem realiter est natura & persona: ergo quod nequit fieri à natura, nequit fieri à persona. *Nego* consequentiam: ratio est, quia natura humana est essentialiter totus homo, & divina totus Deus; unde cùm Deus nequeat esse essentialiter homo, nec econverso, sequitur, quòd natura divina non potest gerere vices naturæ humanæ: at persona creata est quid complens naturam

humanam, quam divina etiam complere potest seu ejus dependentiam ad suppositum complere ac terminare. Nec valet probatio ob distinctionem formalem; multa enim dicuntur de persona divina, quæ naturæ repugnant, ut manifestum est.

QUÆSTIO II.

An persona Christi verè & propriè possit dici composita ex natura divina & humana, & ex humanitate & subsistentia Verbi?

ADvertendum est, quòd si compositio sumatur pro unione plurium realiter distinctorum, quorum unum est extra realem conceptum aut existentiam alterius, Christus est persona verè & propriè composita, cùm constet duabus naturis realiter distinctis & unitis. Si verò sumatur pro unione duorum incompletorum, quorum unum est actus & aliud potentia, ex quibus resultat tertia entitas à partibus simul sumptis & unitis realiter distincta; certum est, quòd Christus non est persona composita. Scotus igitur, dum dicit Christum non esse personam verè & propriè compositam, intelligendus est in hoc ultimo sensu: in 3. dist. 6. q. 3. §. *Secunda ergo opinio*, ubi ait, *Sed illa opinio, in hoc, quòd dicit personam Christi esse compositam, non tenetur communiter propriè loquendo de compositione scilicèt ex actu & potentia, sicut ex materia & forma, vel ex duobus potentialibus*. Unde cùm Gonetus non sumat compositionem in hoc ultimo sensu, ut patet ex argumentis quibus conclusionem probat, sed tantùm in primo sensu; aliàs concederet naturam

turam divinam habere rationem partis, ac ex natura divina & humana resultare tertiam entitatem aut naturam, sequitur, quòd non impugnat Scotum: admittit enim Doctor compositionem in Christo, in primo sensu, sicut Thomistæ.

Dico 1. Quòd Christus est persona composita ex natura divina & humana, compositione in primo sensu explicata: nam plura Concilia dicunt unionem Verbi cum humanitate esse secundùm compositionem, ut patet in sexta Synodo Constantinop. Act. 8. SS. Patres etiam sic sentiunt, ut D. Dionys. lib. de divin. nomin. cap. 1. Cyril. lib. de Incarn. Damasc. lib. 3. de fide cap. 3. ergo Christus est persona verè composita, seu constat ex duabus naturis unitis, non per informationem, nec per inhæsionem, sicuti actus & potentia uniuntur, sed per terminationem. Hinc sequitur Christum esse verè compositum, in primo sensu explicato, non verò in secundo. *Deinde*, compositio corporis cum anima, seu materiæ cum forma, est major compositione divinitatis cum humanitate in Christo. Tum quia materia & forma sunt duæ partes, ex quibus resultat totum, quod apud Scotistas non est materia, nec forma. Tum quia mutantur ad invicem. Tum quia subordinantur composito tamquam fini: ergo in Christo datur compositio vera & propria, sumpta pro unione extremorum; aliàs in ipso esset unica & indistincta realitas; quod est falsum, nec in ipso essent duæ existentiæ, quod est contra Scotum, ut dicemus infrà: At si sumatur in rigore Philosophico & absque ulla exceptione, falsum est, quòd Christus sit verè & propriè compositus, ut ex Goneto colligitur hic n. 32. ubi docet in Christo esse compositionem seu unionem extremorum, non verò compositionem, seu actum informantem & potentiam informandam. Unde hæc difficultas pendet

ab alia apud Philoſophos agitanda, nimirum an ad veram compoſitionem requiratur unio partium incompletarum, quarum una ſit actus & altera potentia? Si ſufficiat diſtinctorum ſeu extremorum unio, certum eſt, quòd Chriſtus eſt verè compoſitus; ſi verò requiratur unio partium incompletarum, impoſſibile eſt, quòd Chriſtus ſit verè & propriè compoſitus, ut colligitur etiam ex Goneto: ergo ut ſalventur Authoritates Conciliorum & Patrum, admittenda eſt compoſitio in Chriſto, ſeu unio extremorum.

Dices: Scotus loco citatus in fine ait, *Sed veriùs negari poteſt compoſitio*, in Chriſto, *quia una non perficit aliam*: ergo ex Doctore Chriſtus non debet dici verè compoſitus. Reſp. Scotum loqui de compoſitione, quæ fit ex actu informante & potentia informanda, ex quibus reſultat totum & tertium, ut patet ex verbis ſequentibus, *Nec ex eis eſt aliqua natura terti* [illegible] unde patet, quòd non excludit unionen. [illegible] turarum, ſed tantùm unionem actus [illegible]tentiæ, ex quibus ſit tertia natura.

Idem ſentiunt D. Auguſtinus contra Maximinum Arianum cap. 10. ubi ait, *Porrò autem Chriſtus una perſona eſt geminæ ſubſtantiæ, quia & Deus & homo eſt; nec tamen Deus pars hujus perſonæ dici poteſt, alioquin Filius Dei Deus, antequàm ſuſciperet formam ſervi, non erat totus, & crevit, cùm homo divinitati ejus acceſſit*: quibus monet in Chriſto non dari partem & partem, ut ad compoſitum in ſecundo ſenſu conſideratum requiritur. Et D. Athanaſius lib. de uno Chriſto ait, *Ita Deum & hominem unam eſſe hypoſtaſim, & unam perſonam, ut non ſit expletivum corpus hypoſtaſeos; id enim impium eſſet, quando quidem Deus imminutionis capax non eſt, ut potè uniformis, & non compoſitus, nec in partes dividitur*: ergo Chriſtus non poteſt dici compoſitus compoſitione rigoroſa, quæ fit ex duabus

bus partibus incompletis, seu ex actu & potentia; sed solùm ea compositione quæ fit ex duobus unitis absque ulla informatione, quæ solito inter incompleta reperitur.

QUÆSTIO III.

An inter Verbum & humanitatem mediet quidam modus substantialis, per quem natura humana formaliter conjungatur personalitati Verbi?

DIfficultas est, an illa actio qua Verbum unitur humanitati, sit productiva alicujus termini formalis, tam à Verbo quàm ab humanitate distincti, quo actu & formaliter mediante tamquam nexo, humanitas cum Verbo uniatur?

Dico Verbum uniri humanitati, mediante medio, aut modo, seu nexu ab extremis realiter distincto. Ita Scotus in 3. dist. 1. q. 1. §. *ad primum dico*, ubi docet unionem hypostaticam esse per se relationem extrinsecùs advenientem. Quem sequuntur omnes Scotistæ & plures Thomistæ, quos Gonetus refutat & citat. Prob. 1. Quod non est de se tale, debet fieri & denominari tale per aliud in seipso receptum; cùm constitutio aut denominatio, à forma constituente & denominante necessariò proveniat: sed humanitas est de facto & denominatur actu unita Verbo divino: ergo per aliquid de novo in ipsa humanitate receptum & ad Verbi personam terminatum. Major patet, minor verò prob. 1. Humanitas non se habet respectu Spiritus sancti (cui est præsens) sicut se habet respectu personæ Filii: sed nihil aliud, est nisi quia est unita perso-

næ Filii, & non est unita personæ Spiritus sancti: ergo. 2. Humanitas alterius individui non magis est indistans à Verbo divino, quàm humanitas Christi, cùm Deus immensitate divinitatis suæ non longè sit ab unoquoque nostrum, ut ait Apost. sed humanitas alterius individui non est actu hypostaticè unita Verbo, sicut humanitas Christi; ergo habet in se aliquid, per quod fit & denominatur unita, quod cæteræ humanitates non habent. 3. Humanitas est ab intrinseco indifferens ad hoc ut terminetur, vel non terminetur à Verbo: ergo per aliquid intrinsecè in se receptum debet determinari, ut uniatur.

Resp. Gonet. n. 61. ad hoc sufficere actionem unitivam Dei, quæ cùm efficacissima sit, potest ea unire quæ longissimè etiam ad invicem distant: Et licèt (inquit) talis actio secundùm se extrinseca sit humanitati, & transeat facta unione, tamen est intrinseca ratione sui termini formalis, in quo etiam virtualiter semper manet, nimirùm ratione subsistentiæ Verbi divini ut communicatæ humanitati, quæ est terminus formalis actionis unitivæ Dei.

Contra sic insurgo, & iterum probo conclusionem. *Primò*, Actio unitiva Dei licèt efficacissima sit, non potest unire ea quæ longissimè distant, nisi in ratione causæ efficientis, nec esse nisi id quo Deus denominatur uniens: sed causa efficiens nequit esse causa formalis, quæ in quolibet opere necessariò requiritur: ergo licèt actio unitiva sit causa efficiens, humanitas debet in se aliquid recipere, quo constituatur & denominetur intrinsecè unita Verbo; sed non recipit actionem unitivam Dei, quia non esset actu unita, sed uniens, quod est falsum: ergo recipit unionem qua formaliter unitur Verbo.

Secundò: Ut actio unitiva Dei, quæ ex Goneto est extrinseca humanitati, & transit facta unione, sit intrinseca ratione sui termini formalis, & virtualiter remaneat ratione subsisten-

ſtentiæ Verbi divini ut communicatæ humanitati, oportet, quòd in humanitate quæ eſt unita, ſit aliquid quod gerat vices actionis unitivæ quæ tranſivit, aliàs ſicuti ſublata cauſa tollitur effectus, ſequeretur, quòd ſi actio unitiva eſſet cauſa formalis unionis, ſublata actione unitiva humanitas non ampliùs remanſiſſet unita; ſed hoc non poteſt eſſe perſona Verbi, quæ cùm increata ſit, nequit gerere vices actionis incarnativæ quæ eſt actio temporalis; nec humanitas, ex ſe ſola, ſecluſo quocumque medio de novo recepto & per actionem incarnativam derelicto, quia ex hoc ſequeretur, quòd humanitas Chriſti eſſet unita, etiam ſi eſſet à Verbo ſeparata: nam ſi per actionem unitivam nihil in ſe de novo & reale acceperit, per actionem ſeparativam nihil deperdere poteſt: ergo humanitas per actionem incarnativam Dei non unitur formaliter & intrinſecè Verbo, ſed per aliquid ab ipſa productum & in humanitate receptum.

Tertiò: Ut actio unitiva Dei remaneat virtualiter ratione ſubſiſtentiæ Verbi divini ut communicatæ humanitati, oportet, quòd virtus illius remaneat: dicimus enim ſolem eſſe virtualiter in viſceribus terræ, quia virtus ejus eſt in ipſis; ſed actio unitiva nihil ſui habere poteſt, niſi unionem ab humanitate & Verbo diſtinctam: nam humanitas non eſt virtus actionis unitivæ, cùm ſit producta per actionem diſtinctam & præcedentem actionem unitivam, ut fatetur Gonet. nec ſubſiſtentia Verbi, cùm ſit increata & ab æterno exiſtens: ergo eſt unio medians. *Nec valet*, quod dicit Gonet. nempè Chriſtum eſſe id quod per actionem unitivam producitur, ſicut ſuppoſitum humanum eſt id quod per generationem humanam producitur; *non valet inquam*, tum quia humanitas eſt ſaltem natura unita ſubſiſtentiæ Verbi priùs quàm Chriſtus ſit productus: nam Deus unit huma-

nitatem supposito Verbi, ut Christus sit productus, non econtra: ergo priùs quàm actio unitiva producat Christum, producit aliquid quo humanitas fit & denominatur intrinsecè unita. Tum quia Deus nequit producere Christum actione unitiva, quin uniat humanitatem Verbo divino; cùm Christus constet duabus naturis unitis: ergo licèt Christus sit terminus *qui* actionis unitivæ, nequit esse id quo actio unitiva formaliter unit humanitatem Verbo, nec id quod per actionem unitivam primò producitur. Tum quia in composito humano datur etiam unio à partibus simul sumptis distincta. Tum quia Christus includit essentialiter divinitatem & humanitatem unitas: ergo nequit esse id quo naturæ uniuntur, sed tantùm id propter quod uniuntur, nec id quod per actionem unitivam primò attingitur, & consequenter nec id quod primò producitur; cùm illa actio unitiva priùs tangat humanitatem uniendam, ut uniat ipsam, quàm compositum, nempè Christum: ergo actio unitiva, cùm sit productiva, producit aliquid in humanitate quam primò tangit.

Quæres, an assumptio humanæ naturæ ad personalitatem Verbi, sit una eademque realiter actio cum creatione animæ, & productione humanitatis Christi? Resp. negativè: quia naturæ assumptio tribuitur Verbo divino, & est supernaturalis; creatio animæ est actio trium personarum, præcedens assumptionem ejusdem à Verbo; & productio humanitatis est actio quæ tribuitur Virgini, aliàs non esset mater Christi: ergo sunt tres actiones realiter inter se distinctæ.

Obj. 1. Gonetus: Per illud Verbum divinum unitur actu & formaliter humanitati assumptæ, per quod exercet in ea rationem termini & ultimi complementi: sed exercet in ea rationem termini formaliter per suam personalitatem absque aliquo alio intermedio: ergo. Major est

evidens, nam cùm Verbum uniatur naturæ humanæ per modum termini ultimi & complementi, necesse est, ut id per quod illi unitur, sit ipsum actuale exercitium terminandi; sicut quia forma unitur materiæ per modum actus informantis, illud per quod ei unitur, est exercitium actuale informandi. Minor verò prob. Nihil creatum potest esse actuale exercitium, sivè actus secundus virtutis terminativæ personalitatis Verbi ad extra: ergo Verbum divinum exercet formaliter rationem termini naturæ humanæ, seu terminat naturam humanam in actu secundo per solam suam personalitatem. Consequentia est evidens, antecedens verò prob. Non minùs est infinitum Verbum divinum & actus purus in ratione termini naturæ, quàm Deus ipse absolutè in ratione principii productivi: sed ex eo quòd Deus est simpliciter infinitus & actus purus in ratione principii productivi, exercitium producendi res ad extra non potest esse aliquid ab illius infinita virtute productiva in recto distinctum; unde docent communiter Thomistæ Deum non operari ad extra per actionem formaliter transeuntem, sed virtualiter tantùm, quæ est ipsamet actio increata, sine virtuali distinctione identificata cum virtute illius operativa: ergo ex eo, quòd Verbum divinum est infinitum & actus purus in ratione termini naturæ, exercitium terminandi naturam non potest esse aliquid creatum, & ab ejus personalitate realiter distinctum.

Confirm. Subsistentia creata immediatè unitur per seipsam naturæ creatæ: ergo multò magis debet concedi subsistentiæ divinæ. Antecedens videtur certum, consequentia prob. Personalitas Verbi est simpliciter infinita & actualissima in ratione terminandi, continet enim omnem perfectionem & rationem terminandi, seclusis imperfectionibus quæ in creatis subsistentiis reperiuntur: ergo si subsistentia creata

immediatè per seipsam terminet naturam creatam, multò magis id debet concedi subsistentiæ increatæ Verbi.

Resp. distinguendo majorem: Per illud Verbum divinum unitur actu & formaliter humanitati assumptæ, per quod exercet in ea rationem termini & ultimi complementi, ut *quo*, concedo: ut *quod*, nego. Distinguo pariter minorem: Exercet in ea rationem termini *quod*, formaliter per suam personalitatem, id est personalitas Verbi est id quod unitur humanitati, concedo: Exercet in ea rationem termini *quo*, formaliter, seu est id quo unitur humanitati, nego minorem & consequentiam, quia unio distincta ab extremis non est quid utrique unitum, sed quid uniens utrumque; nec est ratio unita, sed ratio uniendi; nec mediat ut *quod* sicut brachium v. g. mediat inter manum & collum, sed ut *qua*, sicut actio mediat inter agens & passum. Ad prob. minoris, dico unionem quantumvis distinctam ab extremis non esse exercitium actuale, sive actum secundum virtutis terminativæ personalitatis Verbi ad extra, sed tantùm esse conditionem *sine qua non* actualis exercitii; cùm non sit pars essentialis compositi, ut patet in physico, nec hoc implicat personalitati Verbi divini, cùm compositum theandricum exigat illam unionem distinctam, ut duæ naturæ actu & formaliter uniantur. Ad prob. nego paritatem, licèt Verbum sit infinitum in ratione termini ad extra, sicut Deus in ratione principii productivi ad extra: Quia Deus in producendo agit juxta suam virtutem, at in incarnatione Verbum non agit activè juxta suam virtutem, sed merè passivè terminando se habet, & terminat juxta exigentiam naturæ assumptæ, & servat conditiones compositi; unde cùm incarnatio sit quoddam compositum, servat conditiones quas compositum necessariò exigit; sed unio est me-

dium

dium quod extrema exigunt: ergo humanitas non potest terminari ad Verbum sine unione distincta, quamvis res producantur à Deo sine medio.

Ad confirm. concesso antecedente (quod tamen ex Scoto in 4. dist. 12. q. 1. §. *& verf. ad quantum*, negari potest) nego consequentiam; quia subsistentia creata non advenit naturæ ab extrinseco, sicut subsistentia Verbi; ideòque non exigit unionem, ut uniatur humanitati, sicut subsistentia aliena ab extrinseco proveniens.

Obj. 2. Si Pater vel Spiritus sanctus unirentur humanitati à Verbo assumptæ, aut alteri naturæ creatæ, unio ipsorum fieret sine ullo modo substantiali intermedio: ergo & unio Verbi cum humanitate assumpta, sine tali medio facta est. Consequentia patet ex paritate rationis; Antecedens verò sic ostenditur: Si ad hoc ut Pater & Spiritus sanctus unirentur naturæ creatæ, esset necessarius aliquis unionis modus, vel ille esset ejusdem rationis cum eo qui de facto conjungit Verbum humanitati, vel diversæ? neutrum dici potest: ergo &c. Minor quoad 1. partem prob. Illi unionum modi non possunt esse ejusdem rationis, qui habent terminos diversæ rationis, quasi specificè; sed modi unionum copulantes Patrem & Spiritum sanctum naturæ creatæ, habent terminos diversæ rationis ab eo qui Verbum conjungit naturæ humanæ: ergo non essent ejusdem rationis cum eo. Minor patet, quia in ratione personæ sunt quasi diversæ speciei, cùm constituantur proprietatibus relativis diversæ rationis. Major verò prob. Modus unionis debet à termino specificari: ergo cum diversitate quasi specifica terminorum non potest stare unitas specifica unionum; unde propterea in sententia probabili quæ ponit unionem inter materiam & formam, unio illa quæ conjungit corpori animam rationalem, est diversæ

ra-

rationis ab illa quæ unit corpori animam equi. Suadetur etiam minor principalis, quoad 2. partem: In entibus absolutis diversæ speciei, reperitur excessus & defectus secundùm perfectionem specificam, quia species se habent veluti numeri, ut docet Arist. sed tam perfectus esse deberet unus illorum modorum unionis qui conjungerent tres personas naturæ creatæ, quàm alius: ergo non possent esse diversæ rationis specificæ. Major patet: Minor etiam videtur certa: quia non esset, unde inæqualitas eorum desumeretur, cùm divinæ personæ, per ordinem ad quas essentialiter constituerentur, sint æquales in perfectione.

Resp. negando antecedens. Ad cujus prob. dico, quòd ille modus esset ejusdem rationis cum eo qui de facto conjungit Verbum humanitati. Tum quia essent relationes ejusdem generis & prædicamenti; unio enim hypostatica est relatio extrinsecùs adveniens, de prædicamento habitus, ut dicunt Scotistæ. Tum quia licèt tres divinæ personæ, in ratione personæ sint quasi diversæ speciei, tamen eodem modo terminarent unionem, sicque in ratione termini essent ejusdem rationis. Tum quia dato, quòd divinæ personalitates sint formaliter infinitæ, ut volunt Thomistæ, sequitur, quòd uniones propter infinitatem terminorum essent ejusdem perfectionis, æqualitatis & rationis. Ad cujus prob. nego minorem: Modi enim unionum copulantes Patrem & Spiritum sanctum naturæ creatæ, in ratione termini essent ejusdem rationis, quia terminarent sub eadem ratione formali, licèt in ratione constitutivi principii sint diversæ rationis. Tum quia eodem modo natura subsisteret in persona Patris, quo subsistit in persona Filii. Tum quia unio esset ratio uniendi naturam creatam cum persona Patris, ut persona est & subsistentia præcisè, non verò in ratione talis personæ, seu Patris aut Spiritus sancti. Tum quia,

quod

quod resultaret ex illis extremis unitis, esset Deus homo. Tum quia ex Gonet. tom. 1. de visione, Visiones hominum & Angelorum sunt ejusdem speciei & rationis, quoniam intellectus Angeli & intellectus humanus, licèt in ratione proprietatum distinguantur specie, in ratione potentiæ & respectu visionis beatificæ sunt ejusdem rationis: ergo unio qua natura uniretur personæ Patris, & unio qua unitur de facto personæ Filii, essent ejusdem rationis, quia personæ in ratione termini & sustentantis naturam, essent ejusdem rationis. Tandem, omnes uniones quæ mediant inter corpus & animam rationalem, sunt ejusdem rationis & speciei: ergo multò magis uniones quæ mediarent inter Patrem & naturam, essent ejusdem rationis, cùm essent creatæ à Deo.

Deinde, relatio reverà specificatur à fundamento & termino, si ex ipsis oriatur ex sola positione extremorum, ut de facto oriuntur relationes intrinsecùs advenientes; non verò si aliter se habeat, seu si sit creata à Deo; quippe cùm non recipiat suum esse ab extremis, nec potest ab ipsis suam recipere specificationem. Unde cùm unio qua Pater & Spiritus sanctus unirentur naturæ à verbo assumptæ, esset creata, sicut ea qua verbum unitur eidem naturæ: ergo hujusmodi uniones essent ejusdem rationis, & distinctæ realiter ab extremis, sicuti modò unio hypostatica distinguitur: nam humanitatem esse unitam verbo, est aliquid reale positivum & physicum, ut constat ex Concilio Ephesino; quod quidem reale & physicum non est sola humanitas; in alio enim homine est humanitas præsens personæ verbi, cùm Verbum sit ubique quia est Deus, nec sola subsistentia per eamdem rationem, ac proinde est ipsamet unio hypostatica, qua humanitas & subsistentia de præsentibus fiunt unitæ; sicque unio illa quæ est realis & physica, distinguitur realiter ab extremis.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

Quisnam sit terminus totalis & formalis actionis unitivæ Dei, seu assumptionis humanitatis ad Verbum?

NOt. est, actionem productivam duos habere terminos, quorum unus est totalis seu *qui*; alter verò est formalis seu *quo*. Prior nihil aliud est quàm id quod producitur, seu tota res producta: Posterior autem est illa forma qua mediante terminus ille totalis completur & perficitur: v. g. in generatione substantiali terminus *qui* est suppositum, seu compositum ex natura & subsistentia: & terminus *quo* est ipsa forma substantialis, qua compositum habet esse.

Not. est 2. actionem unitivam multipliciter considerari posse. 1. In ordine ad divinam volitionem, quæ est causa & principium per quod fit, & sic considerata dicitur *unitio*. 2. In ordine ad personam Verbi quam unit humanitati, & sic dicitur *communicatio*. 3. Tandem in ordine ad naturam assumptam, in quo sensu dicitur *humanatio*, aut *incarnatio*. His suppositis

Dico 1. Quòd terminus totalis, sive *qui* assumptionis seu actionis unitivæ Dei, est Christus. Ita omnes Theologi: Quia Christus est id quod actioni unitivæ Dei correspondet. Tum quia est totum id quod Deus intendit, dum unit humanitatem cum Verbo divino. Tum quia est ipsum Verbum subsistens in humanitate, *Non in confusione substantiæ, sed in unitate personæ*, ait Athan. in Sym. per quam natura divina & humana sociantur invicem & subsistunt: ergo Christus est terminus totalis, seu *qui* actionis unitivæ Dei.

Dices: Terminus qui actionis unitivæ debet

esse

esse quid creatum & temporale, cùm nihil increatum produci valeat; sed Christus non est quid creatum: hæc enim propositio, *Christus est creatura*, est falsa: ergo Christus non est terminus actionis unitivæ. *Resp.* distinguo minorem: Christus non est quid creatum, si sumatur formaliter & copulativè, nego minorem; sic enim est quid creatum & de novo productum, quia ante illam actionem unitivam, quæ temporalis est, non erat: Materialiter & disjunctivè, concedo; quia sic non est simpliciter quid creatum, cùm unum extremum, quod est de materiali & integritate Christi, non sit creatum; unde nego consequentiam, quia Christus sumptus formaliter & copulativè est terminus *qui* actionis unitivæ, cùm sic dici possit creatura, non simpliciter & absolutè, quoniam sic divinitatem excluderet; sed secundùm quid, nempè secundùm humanitatem unitam, quæ est creatura.

Dico 2. Quòd unio hypostatica qua humanitas unitur formaliter Verbo divino, est terminus formalis assumptionis seu actionis unitivæ Dei. Hæc conclusio est contra Gonetum. Prob. 1. Terminus formalis actionis unitivæ est id quod primò ac immediatè producitur, & ad cujus positionem terminus totalis resultat & fit; sed unio hypostatica sic se habet: ergo est terminus formalis. Major patet. Prob. minor: Actio unitiva est actio nova: ergo ejus terminus formalis, sicut & totalis, est novus: sed nihil fit de novo præter Christum, nisi unio hypostatica: ergo. Prob. antecedens: In Christo tria dumtaxat considerari possunt, scilicet divinitas, humanitas & unio: sed divinitas non fit de novo, cùm sit increata; humanitas non fit per actionem unitivam: ergo dato quòd fit unio distincta (ut supponit Gonet. hìc conclusione secunda) debet esse terminus formalis actionis unitivæ.

Dices:

Dices: Actio unitiva Dei est substantialis: ergo ejus terminus formalis debet esse substantia, non verò unio quæ est accidens. Resp. nego consequentiam, quia ut aliqua actio dicatur substantialis, non requiritur, quòd terminus productus sit substantia, sed sufficit, quòd terminus communicatus per illam actionem sit substantia; unde cùm personalitas Verbi sit terminus per actionem unitivam communicatus, actio dicitur substantialis, quamvis terminus formalis per ipsam productus, sit accidens.

Obj. 1. Gonetus: Licèt daretur modus unionis inter materiam & formam, ille tamen non esset terminus formalis generationis: ergo similiter quando poneretur modus aliquis substantialis unionis, quo Verbum humanitati assumptæ copularetur, non esset proptereà terminus formalis assumptionis, seu actionis unitivæ Dei. Consequentia patet, antecedens verò docetur communiter à Philosophis, solis Conimbricensibus exceptis, & hac ratione suadetur: Terminus formalis generationis est ille per quem constituitur terminus totalis; at terminus totalis generationis, nempè compositum vel suppositum, non constituitur per ipsam unionem, cum unio non sit pars, sed purus nexus partium, sed per ipsam formam, sive totalem qualis est humanitas, sive partialem qualis est anima rationalis: ergo terminus formalis generationis non est unio, sed forma: terminus quidem formalis totalis, forma totalis, v. g. humanitas, terminus verò formalis partialis, forma partis, putà anima rationalis.

Resp. distinguendo antecedens: Modus unionis inter materiam & formam non est terminus formalis generationis in ratione communicationis, concedo; in ratione unitionis, nego antecedens & consequentiam: Nam id per quod constituitur terminus totalis, est terminus formalis communicatus, seu generationis, quatenùs est

actio.

actio communicativa: at terminus formalis productus seu generationis, quatenùs est actio unitiva materiæ cum forma, est unio seu nexus, quo materia & forma uniuntur per generationem: hinc est, quòd argumenta Goneti probant personalitatem seu subsistentiam Verbi esse terminum formalem actionis unitivæ, quatenùs est communicatio, cùm persona sit id quod per ipsam humanitati communicatur, non verò quatenùs est unitio, cùm id quo unit, sit unio hypostatica quæ terminat generationem, prout est actio unitiva materiæ cum forma, & formæ cum materia; unde superfluum esset adducere alia argumenta Goneti, cùm non probent personalitatem Verbi esse terminum formalem actionis incarnativæ aut unitivæ, seu quatenùs est unitio, sed tantùm quatenùs est communicatio, quod nemo negat: certum enim est, quòd personalitas Verbi est id quod per actionem incarnativam communicatur naturæ humanæ, & habet rationem actus & perfectivi in ratione termini communicati, non verò in ratione termini producti, unioni correspondentis.

Dices: Terminus formalis actionis est id quo res habet esse; sed compositum de quo est quæstio, seu Christus, non habet esse per unionem distinctam realiter ab extremis: ergo non habet rationem termini formalis. *Distinguo* majorem: Terminus formalis actionis communicativæ, est id quo res habet suum esse specificativum ac perfectivum, concedo; actionis unitivæ, nego. Undè nego etiam consequentiam in eodem sensu acceptam, quia unio est id quo humanitas assumpta unitur verbo divino, & consequenter est terminus formalis actionis Dei, quatenus est unitio; quamvis non sit id quo Deus est homo, nec id quo homo est Deus.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

An unio hypostatica in ratione unionis sit omnium maxima?

SUppono unionem hypostaticam esse omniũ maximam in ratione doni & beneficii. Tum quia est maxima perfectio entitativa in natura humana. Tum quia includit omnia dona supernaturalia, ut patet in Christo qui habuit gratiam summam, visionem beatificam, propter unionem humanitatis cum divinitate, ut suadet D. Aug. cap. 17. de prædest. Sanctorum, *Hæc unio*, scilicet divinitatis cum humanitate, *est excellentissima, tantoque naturæ nostræ subjectio erecta est per ipsam, ut quo altiùs opponeretur, non haberet.* Unde quærendum est, an sit maxima omnium unionum?


Dico 1. Quòd unio hypostatica ex parte extremorum quæ uniuntur, scilicet naturæ humanæ & divinæ, non est maxima omnium. Ita Scotus in 3. dist. 6. q. 1. §. *ad argumenta*. Prob. Unio corporis & animæ est major in ratione unionis: ergo &c. Prob. 1. Ex unione corporis & animæ resultat aliquid, quod est omninò unum, tam in natura, quàm in persona; at ex unione hypostatica resultat Christus qui est tantùm unus unitate personæ, cùm duas naturas includat. 2. Corpus & anima uniuntur ut actus & potentia: ergo hæc unio est major in ratione unionis.

Dico 2. Quòd unio hypostatica ex parte ejus in quo uniuntur in Christo natura humana & divina, est maxima omnium; quia persona Verbi in qua natura divina & natura humana uniuntur, est simplicissima: ergo ratione hujusmodi personæ unio hypostatica est major. Est etiam maxima ratione dignitatis extremorum, & ratione inseparabilitatis: nam natura divina quæ

est

est unum ex extremis, est major quocumque ente, & est inseparabilis ab humanitate Christi, qui in æternum erit Deus homo: ergo unio hypostatica est maxima omnium unionum ex parte personæ Christi & ex parte extremorum.

Dices: Extrema unionis hypostaticæ maximè distant: ergo est maxima in ratione unionis & ex parte extremorum. Resp. negando consequentiam, quia hæc ratio probat tantùm unionem hypostaticam esse maximæ virtutis, quia unio eò est major quò compositum est simplicius & magis unum. *Dices*; Unio physica corporis & animæ Christi in triduo mortis dissoluta fuit, alioquin Christus in triduo mortis fuisset homo, quod est falsum: ergo non est major unio quàm unio hypostatica. Resp. concesso antecedente, negando consequentiam. Tum quia ratio probat solùm unionem hypostaticam esse indissolubiliorem. Tum quia unio physica corporis & animæ Christi habuit contrarium, quod unio hypostatica non habuit, nimirùm mortem: ergo hoc non evenit ratione majoris unionis, sed ratione divinæ voluntatis, quæ divinitatem ab humanitate separare noluit, sicut animam à corpore.



DISPUTATIO VI.

De causa Physica & Morali Incarnationis.

EXaminatis causis, finali scilicet seu motiva, & formali incarnationis Verbi divini, modò de causa efficiente tam Physica, quàm Morali seu meritoria agendum est.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An aliqua creatura possit esse causa Physica unionis hypostaticæ, saltem instrumentaliter, & an reipsa beata Virgo fuerit causa instrumentalis illius?

QUæstio agit de causa instrumentali dumtaxat, quia certum est tres divinas personas esse causam efficientem & principalem, ut definitum fuit in pluribus Conciliis.

Dico 1. Quòd de facto B. Virgo non fuit elevata à Deo tanquam instrumentum ad conjungendam hypostaticè humanitatem Verbo divino. Hæc conclusio est communis. Prob. Incarnatio seu unio hypostatica est opus Dei, nullamque causam sui agnoscit præter omnipotentiam: ergo B. Virgo non est causa instrumentalis. Consequentia patet. Prob. antecedens 1. Ex illo Psal. 135. vers. 4. *Qui facit mirabilia magna solus*: at omnium mirabilium maximum est unio hypostatica: ergo solus Deus seclusa quacumque alia causa eam fecit. 2. Ex illo Abac. 3. *Domine opus tuum in medio annorum vivifica illud*, id est, opus ita tibi proprium & singulare, ut fieri possit à te solo; sed opus illud est incarnatio, ut exponunt SS. Patres, & ut indicant hæc verba, *In medio annorum vivifica illud*; ergo incarnatio nullam causam habet præter divinam voluntatem, quæ nulla causa secunda concurrente creavit novum super terram. 3. Ex Luc. 1. *Quomodo fiet istud?* Angelus respondens Mariæ, ait, *Non est impossibile apud Deum omne Verbum*; ac si dixisset: Opus illud impossibile esset, nisi virtus Altissimi illud efficeret, cujus tota ratio est virtus facientis: ergo incarnatio seu unio hypostatica est opus omnipoten-

potentiæ Dei, nulla creaturarum efficientia concurrente.

Prob. 2. Instrumentum attingit effectum causæ principalis, per virtutem ab illa derivatam, ut patet: sed B. Virgo unionem hypostaticam attingere non potuit: ergo nec esse causa instrumentalis. Prob. minor: Quod ex se petit creari, à creatura attingi minimè potest; aliàs creatura creare posset: sed unio hypostatica est creata: ergo. *Deinde*, B. Virgini concedendus est concursus ille qui necessarius est, ut sit verè mater Dei: concurrit enim ut mater & est verè mater, quia verè ut mater concurrit: sed ad salvandam maternitatem Christi in B. Virgine, non requiritur concursus instrumentalis in ordine ad unionem hypostaticam. Tum quia concursus matris in productione Filii non est instrumentalis, cùm sit activus, sed principalis; idcircò concursus Virginis non potest esse instrumentalis. Tum quia cùm unio non sit de essentia Christi, sed tantùm conditio, non respicit Virginem seu matrem Christi, tanquam causam. Tum quia mater non est mater, quia unit materiam cum forma, sed tantùm quia præstat & ministrat materiam; sed Deipara ministravit materiam quam Verbum divinum complevit propria subsistentia in eodem instanti in quo persona creata resultasset: ergo B. Virgo est verè mater Dei, sine concursu ad unionem hypostaticam.

Dico 2. De potentia absoluta non potuisse B. Virginem, aut aliam creaturam elevari à Deo tanquam instrumentum ad conjungendam hypostaticè humanitatem Verbo divino. Hæc conclusio est contra Gonetum. Prob. 1. B. Virgo non habet potentiam obedientialem ad habitus supernaturales per se infusos, sed unio hypostatica, quæ, ut ex dictis disput. præced. patet, distinguitur ab extremis unitis, est per se infusa & petit. creari, & est extra

sphæ-

ſphæram activitatis B. Virginis, ſicut viſio beatifica eſt extra ſphæram oculi corporei: ergo ſicut implicat, quòd oculus corporeus videat Deum; ita implicat etiam quòd B. Virgo producat unionem hypoſtaticam, & hypoſtaticè conjungat humanitatem Verbo. 2. Nulla creatura poteſt inſtrumentaliter concurrere ad miſſionem perſonæ divinæ: ſed incarnatio ſeu unio hypoſtatica, eſt miſſio terminativè, & actualis communicatio aut datio perſonæ divinæ: ergo, &c.

Dices 1. B. Virgo apud Patres frequenter dicitur inſtrumentum incarnationis: ergo eſt inſtrumentum unionis hypoſtaticæ. Reſp. Patres eſſe intelligendos de concurſu diſpoſitivo, quia B. Virgo præparavit & ſubminiſtravit puriſſimum ſanguinem ad formandam humanitatem hypoſtaticè uniendam Verbo, non autem de concurſu effectivo.

Dices 2. Intellectus elevatur ad viſionem beatificam quæ ſupernaturalis eſt: ergo elevari potuit B. Virgo ad productionem unionis hypoſtaticæ. Reſp. negando conſequentiam, quia viſio beatifica eſt actus qui non petit creari, ſed produci à potentia vitali; ideòque intellectus qui vitalis eſt, poteſt elevari ad videndum Deum: At unio hypoſtatica petit creari, ergo non poteſt inſtrumentaliter produci à creatura, cui repugnat virtus creandi, ut dicunt Philoſophi.

Dices 3. B. Virgo eſt cauſa humanitatis: ergo eſt cauſa unionis hypoſtaticæ quæ ſequitur ad humanitatem. Reſp. negando conſequentiam, quia unio non ſequitur ex influxu & natura humanitatis, ſed ex influxu creativo Dei, qui creat unionem, ut uniat humanitatem Verbo: ergo B. Virgo non eſt cauſa unionis, licèt ſit cauſa humanitatis.

Reſpondeo 2. negando conſequentiam alia ratione. Generans poteſt dici cauſa principalis corporis, & cauſa inſtrumentalis unionis corporis

poris cum anima; quia generans virtute sua activa ultimatè disponit corpus ad recipiendam animam rationalem, quę connaturaliter debetur corpori, ita ut non possit non infundi, secluso miraculo; sicque videtur esse instrumentum unionis causando humanitatem: at humanitati productæ per beatam Virginem non debetur connaturaliter divinitas, sicut debetur illi anima rationalis: ergo ex eo quòd beata Virgo sit causa humanitatis, non sequitur ipsam esse causam etiam instrumentalem unionis hypostaticæ.

Dices 4. Beata Virgo potuit esse instrumentum unionis hypostaticæ: ergo fuit, quia Deus contulit ei quidquid dare potuit, ut esset mater filii sui. Antecedens probatur: Elementa sunt instrumenta gratiæ & salutis: ergo Beata Virgo potuit esse instrumentum unionis hypostaticæ. *Nego* antecedens, quia implicat contradictionem, quòd creatura aliqua elevetur ad creandum. Ad probationem, dico elementa elevari ad productionem gratiæ moraliter, cùm Sacramenta sint instrumenta moralia gratiæ, ut dicetur in proprio loco; & quæstio præsens est de instrumento physico unionis hypostaticæ.

QUÆSTIO II.

An Christus per opera, prioritate temporis vel naturæ præcedentia unionem hypostaticam, eam promeruerit, vel saltem mereri potuerit?

DIco 1. Quòd Christus per nullam operationem præcedentem prioritate temporis vel naturæ unionem hypostaticam, eam meruit.

Prob. 1. pars: Meritum est actus secundus liberè productus à persona, cui conferendum est præmium; sed Christus ante unionem hypostaticam, nullum actum liberum producere potuit, quia in ipso nulla datur persona nisi persona Verbi, cui humanitas unita fuit per unionem hypostaticam: ergo Christus per opera præcedentia unionem hypostaticam, non eam promeruit. 2. Si Christus per opera præcedentia unionem hypostaticam, eam de condigno meruisset, incarnatio Verbi non esset simpliciter donum, cùm haberet rationem præmii: nec esset opus ex gratia factum, sed ex justitia; at hoc est contra illud Luc. 1. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto*: ergo Christus per opera præcedentia non meruit nnionem hypostaticam.

Dices: D. Basil. homil. de humana generat. Christi, ait, *Digna fuit humanitas divinitati conjungi*: ergo unio supponit aliquod meritum præcedens. Resp. D. Basil. non loqui de dignitate meriti, sed convenientiæ, aut necessitatis. *Dices*: Ps. 44. habetur, *Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis*; sed unctio illa ex SS. Patribus, est unio humanitatis cum Verbo. ergo. Resp. cum omnibus Theologis *Ly propterea* apud August. Anselm. Bedam & alios Patres, non denotare causam meritoriam, sed finalem; ac si Propheta dixisset, *Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem; quia propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ*; unde dilectio justitiæ & odium iniquitatis, non sunt causa meritoria unionis, sed potiùs econtra. *Dices*: Apoc. 5. dicitur de Christo, *Dignus est agnus qui occisus est, accipere divinitatem*: ergo meruit unionem cum divinitate. Resp. negando consequentiam, quia *Ly accipere divinitatem* non denotat assumptionem humanitatis à Verbo, quia in morte agni, humanitas non erat assumen-

menda, nec divinitùs hypostaticè accipienda; sed denotat fruitionem divinitatis, vel manifestationem ejusdem, quæ de facto manifestata fuit: Judæi etenim dixerunt, *Verè Filius Dei erat iste*.

Prob. 2. pars: Meritum fundatur in operatione, ut dictum est in tract. de merito, & ut insinuat primum argumentum; sed licèt creatio animæ Christi & productio humanitatis ejusdem, natura præcedant unionem hypostaticam, & humanitas priùs natura sit producta quàm unita Verbo; tamen nulla operatio animæ Christi est natura prior unione hypostatica, quia operatio supponit subjectum subsistens, cùm operatio sequatur esse, & actiones sint suppositorum saltem de materiali, id est connotent suppositum. Unde cùm in Christo nulla sit subsistentia aut persona præter divinam, per unionem hypostaticam humanitati unitam, sequitur, quòd Christus per opera præcedentia prioritate naturæ, non meruit unionem hypostaticam.

Dices: Ex Scotistis actiones sunt singularium; sed humanitas Christi ante unionem erat singularis: ergo aliquam actionem meritoriam in illo instanti elicere potuit. Resp. distinguo majorem: Actiones sunt singularium simpliciter, scilicèt tam de formali quàm de materiali, nego; Sunt singularium pro formali tantùm, concedo majorem; & concessa minori, nego consequentiam: Quia licèt actiones sint singularium, nequeunt tamen esse sine supposito, seu quin natura singularis cujus sunt, subsistat, & consequenter humanitas Christi antecedenter ad unionem qua fuit unita subsistentiæ, nullam actionem producere potuit.

Dico 2. Per opera prioritate temporis antecedentia unionem hypostaticam, potuisse humanitatem Christi de potentia absoluta mereri incarnationem, nedùm de congruo, sed etiam de condigno. Prob. 1. destruendo fundamen-

tum Goneti. Ut opera antecedentia ad unionem hypostaticam, sint de condigno meritoria unionis hypostaticæ, non requiritur, quòd sint infiniti valoris, ut supponit Gonet. Tum quia unio non est infiniti valoris, ut dictum est suprà. Tum quia purus homo in gratia constitutus, potuit de condigno satisfacere pro peccatis; at potuit humanitas Christi priùs tempore produci, quàm uniretur ad Verbum, & in supposito sibi connaturali subsistere; sicque subsistens, opus supernaturale elicere ordinatum ad incarnationem merendam, ut fatetur Gonet. Sed opus illud posset esse tanti meriti, quanti valoris est unio, cùm ille valor non sit infinitus: ergo de potentia Dei absoluta, nedùm de congruo, sed etiam de condigno, humanitas quæ est in Christo, potuit mereri unionem hypostaticam in ordine executionis. 2. Justus potuit de potentia absoluta mereri de condigno substantiam incarnationis; nam Deus potuit illi conferre gratiam de potentia absoluta, liberaliter & non ex meritis Christi, cum qua elicuisset opera meritoria de condigno incarnationis Verbi divini, cùm non requiratur meritum infinitum: ergo de potentia absoluta, humanitas Christi quæ existere potuit proprio supposito, & elicere opera meritoria, & postea privari propria subsistentia, & assumi à Verbo, potuit habere merita condigna unionis hypostaticæ.

Dices: Christus prædestinatus est principium totius gratiæ & meriti: ergo nullum opus potest esse meritorium incarnationis. Resp. antecedens esse verum secundùm præsentem providentiam Dei, non autem de potentia absoluta.

Dico 3. Humanitatem Christi, etiam de potentia absoluta, non potuisse mereri incarnationem de condigno vel de congruo, per opera prioritate naturæ illam antecedentia. Hæc

con-

conclusio intelligitur de humanitate Christi, ut assumpta à Verbo; si enim fuisset priùs alteri personæ increatæ, aut subsistentiæ Dei absolutæ unita, ut advertit Gonet. vel alteri supposito creata, ut intelligitur in præcedenti conclusione, certum est, quòd potuisset de potentia absoluta mereri de condigno unionem hypostaticam: sic ergo intellecta conclusio. Prob. Humanitas Christi prout unita Verbo divino, nullum actum liberum elicere potuit, etiam divinitùs, in illo instanti naturæ, in quo priùs fuit producta, quàm unita: ergo in illo instanti non potuit mereri unionem. Consequentia patet, quia omne meritum fundatur in operatione. Prob. antecedens: Actio nequit fieri nisi ab agente subsistente, vel in se, vel in alio, nedùm de lege ordinaria, sed etiam divinitùs, quia est actus rei completæ: nam in re non subsistente & communicabili ut *quod* & *quo*, nihil reperitur nisi appetitus ad subsistentiam & terminum suæ dependentiæ; aliàs actiones subsistentiam præcedentes, terminarent dependentiam quam agens dicit ad suppositum, & illud complerent, quod est falsum; sed in illo instanti naturæ, in quo humanitas Christi antecedit unionem cum Verbo, non subsistit, nec est completa, cùm in Christo nulla sit subsistentia nisi divina; ergo humanitas Christi ut unita Verbo divino, seu prout destinata & ordinata ad subsistentiam Verbi, non potuit divinitùs mereri incarnationem.

Confirmatur: Meritum non solùm est actus à voluntate liberè elicitus, ita ut voluntas possit mereri in eodem instanti sive naturæ, sive temporis, in quo existit, sed etiam gratiæ habitualis, quæ, ut ex dictis in tractatu de merito constat, necessariò requiritur ad meritum condignum: sed voluntas animę Christi non potuit etiam de potentia absoluta, in eodem signo naturæ produci, & recipere gratiam; hæc

enim, cùm sit accidens, quod supponit subjectum præexistens, seu priùs existens, ad minus prioritate naturæ, sive sit eductum, ut volunt Thomistæ, sive sit creatum; quia de natura receptibilis est præsupponere recipiens: ergo voluntas Christi non potuit per opera ãtecedentia unionem prioritate naturæ, etiam nitente divina virtute, mereri incarnationem. Deinde, de natura accidentis est recipi in ente substantialiter completo, ut ex deffinitione accidentis tradita à Philosopho certum est: sed humanitas Christi completur substantialiter per subsistẽtiam Verbi: ergo gratia non potuit conferri animæ Christi, nisi post assumptionem seu subsistentiam.

Dices: Gratia requiritur ad meritum ex divina ordinatione, nam ex Scotistis communiter, sanctificat &c. ex divina ordinatione, qua de causa voluntas Christi potuit divinitùs mereri sine gratia habituali: ergo potuit de potentia absoluta mereri unionem hypostaticam per opera præcedentia prioritate naturæ. Probatur consequentia: Humanitas Christi, ex Scoto, fuit priùs producta & existens, saltem prioritate naturæ, quàm assumpta; in quo signo potuit operari divinitùs, subindeque mereri sine gratia, quæ divinitus non requiritur ad meritum.

Respondeo negando consequentiam; quia natura non potest operari nisi habeat suum esse completum, quia ex Philosopho operari sequitur esse. Unde cùm subsistentia, in Doctrina Scoti, sit ultimum complementum substantiale naturæ singularis, necesse est absolutè naturam singularem compleri substantialiter per suppositum, sive proprium, sive alienum, priusquam apta censeatur ad operandum; atqui in illo signo naturæ, in quo humanitas intelligitur priùs producta, quàm assumpta, non intelligitur cum sua subsistentia: ergo in illo signo priori prioritate naturæ, non potest operari, nec mereri, etiamsi divinitùs gratia non

requi-

requiratur, cùm impossibile sit etiam divinitùs, quòd operetur.

Dices: Non minùs dependet accidens à subjecto, ut operetur, quàm natura à subsistentia; sed accidentia divinitùs operari possunt sine subjecto, ut patet in Eucharistia: ergo & natura sine subsistentia. *Nego* majorem: ratio disparitatis est, quia accidens dependet à subjecto tamquam à termino sustentante, quod munus potest supplere Deus removendo dependentiam accidentis, ut operetur: natura autem dependet, ut operetur, à supposito tamquam à principio connaturali, quod reverà Deus removere potest, & operationes in natura esse; sed hujusmodi operationes non essent naturæ, sed Dei.

QUÆSTIO III.

An Christus per opera subsequentia Incarnationem, eam mereri potuerit?

DIco, Christum per actus subsequentes unionem, & à Verbo ut unito humanitati procedentes, neque de condigno, neque de congruo potuisse mereri incarnationem. Prob. Opus meritorium debet præcedere præmium, seu rem cujus est meritorium, cùm meritum se habeat ad præmium, sicut medium ad finem; sed opera subsequentia incarnationem non præcedunt eam, aliàs non essent subsequentia: ergo &c. Major patet. Minor prob. Opera subsequentia incarnationem non possunt esse meritoria ejusdem, quin sint ordinata & acceptata propter incarnationem: sed opera incarnationis ut incarnationis sunt, & subse-

quentia, non possunt ordinari nec acceptari, quin priùs volita sit incarnatio; aliàs causa finalis non esset priùs visa & volita, quàm medium; quod est falsum: ergo impossibile est quòd opera subsequentia, ut talia, præcedant incarnationem.

Dices 1. Deus posset dare unionem hypostaticam naturæ humanæ in præmium operum quæ faceret mediante unione, per modum anticipatæ solutionis; sicut Rex potest dare arma & equum militi, in præmium victoriæ quam iis mediantibus consequeretur, & sine quibus victoriam consequi non posset; at opera subsequentia arma & equum, essent meritoria eorumdem; ergo etiam opera Christi essent de condigno meritoria unionis hypostaticæ, per modum anticipatæ solutionis.

Resp. negando majorem quoad utramque partem: quia datio equi esset mera gratia requisita ad victoriam in certamine consequendam. Tum quia non dependeret à victoria, imò econtra. Tum quia equus tribueretur militi, ut vinceret, sicque non posset equus ille habere rationem præmii anticipati respectu dationis, quia gratia non cadit sub merito. Tum quia, quod datur ut præmium, oportet, quòd detur ex justitia, & propter meritum receptum; sed Rex non dat equum militi ex justitia, nec propter laborem receptum; imò potiùs miles pugnat ex justitia: ergo Rex non potest dare equum per modum præmii anticipati, propter victoriam subsequentem; nec Deus unionem per merita subsequentia incarnationem. Hinc est quòd Christus non meruit dationem unionis, quæ cùm sit principium meriti, non potest cadere sub merito, nec esse propter meritum, cùm ex ipsa meritum procedat.

Dices 2. Merita Christi ut futura, potuerunt priùs prioritate naturæ prævideri à Deo, quàm executio incarnationis: ergo Christus per illa

la merita, mereri potuit executionem. Consequentia patet. Prob. antecedens: Intentio quam habuit Deus sese incarnandi, est prior decreto illam exequendi; sed in illa intentione incarnationis, merita prævideri potuerunt ut futura: ergo. Resp. negando antecedens, cùm merita Christi ut futura, à futuritione incarnationis quoad executionem dependeant. Ad prob. 1. nego minorem, quia merita cùm à voluntate Christi dependeant, non possunt prævideri nisi post prævisam voluntatem Christi, quę prçvideri non potest nisi post decretum exequendi incarnationem, non verò in intentione incarnationis, quia merita cùm sint actus secundi, non spectant ad rem in intentione, sed in executione. 2. Nego majorem, quia intentio quam Deus habuit sese incarnandi, cùm sit efficax, non est prior decreto illam exequendi; sic enim includit voluntatem executionis.

Ex dictis colliges 1. Christum nec meruisse, nec potuisse mereri suæ incarnationis continuationem; nam decretum exequendi incarnationem, includit continuationem ejusdem, cùm sit opus Dei, seu opus æternum; sed Christus non meruit, nec mereri potuit decretum exequendi incarnationem. Tum quia dictum est suprà. Tum quia ex se incarnationis executio est principium totius meriti Christi, cùm Christus ab ipsa incarnatione essentialiter dependeat ut sit & existat. Tum quia unio hypostatica est perpetua ex vi decreti executivi: ergo incarnatio tam in primo sui esse, quàm in continuatione, nequit esse præmium.

Colliges 2. Christum non meruisse Virginis maternitatem, hoc est ex beata Virgine concipi & nasci, nec alias circunstantias incarnationem antecedentes vel concomitantes. Prob. August. lib. de prædest. Sanctorum cap. 15. loquens de conceptione Christi, ait, *Neque retributa ista generatio, sed tributa, ut*

alienus ab omni obligatione peccati de Spiritu & Virgine nasceretur; at si fuisset præmium meritorum Christi prævisi, non dixisset tributa, vel saltem non posuisset hæc verba expresse, *neque retributa*, cùm datio præmii sit retributio. *Deinde*, maternitas & filiatio sunt simul natura & cognitione: ergo si Chrristus unionem seu incarnationem mereri non potuerit, propter easdem rationes ex Virgine matre nasci mereri non potuit, nec alias circunstantias antecedentes & concomitantes.

Colliges 3. Christum meruisse circunstantias incarnationem consequentes. Tum quia non se tenent ex parte principii merendi, sed ad illud subsequuntur: ergo sub merito cadere possunt: meruit ergo Christus Magorum & Pastorum adorationem, fugam in Ægyptum ad evitandam præmaturam mortem, laudem Angelorum, curam, sollicitudinem sacratissimæ Virginis & B. Josephi; extensionem unionis hypostaticæ ad eas substantiæ partes, quas per nutritionem acquirebat. Meruit etiam reunionem totius humani cum Verbo; nam anima Christi in triduo fuit separata ab anima, ideòque totum humanum fuit destructum, & in resurrectione reunitum Verbo, ut advertit Gonet. quia hæc resurrectio consequitur ad unionem hypostaticam, cùm sit effectus virtutis Christi, qui propria virtute resurrexit à mortuis & ascendit in cœlum.

Ne inferas tamen indè, partes, seu animam & corpus fuisse separatas à divinitate per mortem Christi, cùm quod semel assumpsit, nunquàm dimiserit; sed solùm hominem, seu totum in nostra Scola à partibus, seu anima & corpore unitis realiter distinctum, fuisse per mortem à divinitate separatum; alioquin in triduo Christus fuisset homo, quod omnes negant. Destructio quidem hominis non consistit in separatione corporis & animæ à supposito

ſito Verbi, ſed ſolùm in ſeparatione corporis ab anima. Unde cùm in morte Chriſti anima fuerit ſeparata à corpore Chriſti (quod remanſit in ſepulchro forma corporeitatis informatum, ipſa anima exiſtente in lymbo, aliàs Chriſtus non fuiſſet verè mortuus) & corpus & anima remanſerit unita Verbo, ſequitur hominem ſeu compoſitum humanum apud Scotiſtas à partibus realiter diſtinctum, fuiſſe in morte destructum, & à Verbo ſeparatum, & in reſurrectione reaſſumptum, anima & corpore remanentibus ſemper unitis Verbo: de ipſis enim dumtaxat intelligendum eſt illud axioma tritum apud Theologos, *Quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit.*

QUÆSTIO IV.

An SS. Patres meruerint, aut ſaltem mereri potuerint incarnationem, ejuſque circumſtantias de congruo?

DIco 1. SS. Patres nec meruiſſe, nec potuiſſe mereri de condigno incarnationem, quoad ſubſtantiam. Nam ad Tit. 3. Apoſt. ait, *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris noſtri Dei, non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundùm miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit*. Et D. Auguſt. 1. de Trinit. cap. 19. ait, *In rebus per tempus actis, illa ſumma eſt gratia, quòd homo in unitate perſonæ conjunctus eſt Deo*: ergo SS. Patres, ſeu viri illi ſancti quibus facta fuerat promiſſio Meſſiæ, non meruerunt incarnationem, cùm ſit donum miſericordiæ; Prob. ratione: Nullum opus Patrum fuit, nec potuit eſſe ejuſdem

 valo-

valoris cum substantia incarnationis: ergo nullum fuit nec potuit esse meritorium ejusdem. Consequentia patet, quia condignitas præmii consistit in æqualitate ad præmium. Prob. antecedens: Opera SS. Patrum non erant in ordine unionis hypostaticæ, nec procedere poterant ex gratia, aut entitate æquali, cùm gratia sit summa positivè: ergo nullum opus SS. Patrum potuit esse ejusdem valoris cum substantia unionis hypostaticæ. *Tandem*, incarnatio quoad substantiam fuit prævisa ante præscientiam meritorum Patrum: ergo non potuit esse eorum præmium.

Dices 1. Deus potuit promittere alicui operi Abrahæ v.g. incarnationem, quo peracto in justitia & dilectione Dei, incarnatio esset debita Abrahæ, & consequenter Abraham meruisset incarnationem quoad substantiam. *Resp.* negando consequentiam, quia non esset debita ex condignitate operis meritorii, sed ex fidelitate, propter rationes prædictas, vel meritum illud esset quantùm ad incarnationis circunstantias.

Dico 2. Quòd SS. Patres non meruerunt de congruo incarnationem quantùm ad substantiam, sed quantùm ad accelerationem & alias circunstantias extrinsecas dumtaxat. Prob. 1. pars: Substantia incarnationis determinata fuit & prævisa, ante præscientiam SS. Patrum. Tum quia Deus prædestinavit eos in Christo, ut essent Sancti. Tum quia Christus est finis prædestinatorum: ergo nequit esse præmium operum quæ SS. Patres fecerunt in via, nedùm de condigno, sed etiam nec de congruo. 2. Nullum opus Patrum exigebat incarnationem ex congruentia. Tum quia incarnatio præcedebat. Tum quia opera Patrum ad accelerationem tantùm erant ordinata: ergo &c.

Obj. Gonet. SS. Patres piis & instantibus precibus, & ferventibus desideriis, Deum sollicitaverunt, ut mitteret Filium suum in mundum,

dum, ut patet ex illo Isa. 45. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum, aperiatur terra & germinet Salvatorem*: Et cap. 64. *Utinam disrumperes cælos & descenderes*: Illæ autem preces & desideria habebant rationem meriti de congruo respectu adventus Filii Dei. Tum quia congruum erat, ut Deus eos exaudiret, qui ipsi obediebant. Tum quia, ut docet S. Thomas, orationes de necessariis ad salutem, merentur de congruo orantibus, ea quæ postulant. *Addo*, quòd sancta illa desideria disponebant antiquos Patres ad recipiendum Christum; sed illæ dispositiones morales habebant rationem meriti de congruo: ergo SS. Patres meruerunt de congruo substantiam incarnationis, seu adventum Filii Dei in mundum.

Resp. negando consequentiam, quia SS. Patres desiderabant, & Deum sollicitabant, ut mitteret Filium suum promissum, seu ut citò mitteret, quem mittere decreverat, ut patet ex illis locis sacræ Scripturæ, *Veni Domine & noli tardare, visita nos in salutari tuo*: ergo nihil meruerunt præter accelerationem, ut probant hæc verba Malach. *Ecce statim veniet ad templum sanctum suum dominator quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis*; aliàs plus meruissent, quàm mereri voluissent, quod falsum est.

Prob. 2. pars ex Psal. 11. *Propter gemitum pauperum & miseriam inopum, nunc exurgam, dicit Dominus*: ergo miseriæ pauperum, oratio, & suspiria SS. Patrum meruerunt accelerationem, seu ut in tali tempore veniret; dicebant enim, *O sapientia..... veni ad docendum nos viam prudentiæ, veni ad liberandum nos, jam noli tardare*; sed illa suspiria habebant rationem meriti de congruo respectu adventus Christi & accelerationis incarnationis: ergo &c.

Ex dictis inferes Virginem nec meruisse, nec po-

potuisse mereri de condigno, ut esset mater Dei, benè tamen de congruo. Prob. 1. pars: Maternitas non fuit concessa Virgini ex meritis; Deus enim gratia speciali prælegit eam: ergo non meruit de condigno maternitatem. 2. Maternitas fuit volita ante præscientiam meritorum B. Virginis; ergo non potuit de condigno mereri maternitatem. Prob. antecedens: Ordinatè volens, priùs vult finem, quàm ea quæ sunt ad finem, sed maternitas est finis meritorum Virginis; tanta enim gratia fuit ipsi collata, quia erat mater Dei, & fuit præservata à peccato originali, quia electa fuit in matrem Christi: ergo non potuit mereri de condigno, ut esset mater Dei.


Dices 2. B. Virgo meruit de condigno gloriam, quæ est major maternitate: ergo potuit mereri maternitatem de condigno, quia qui potest majus, potest etiam minus. Resp. negando consequentiam: Tum quia, ut qui potest majus, possit etiam minus, oportet, quòd majus & minus sint in eadem linea, & ejusdem rationis; at gloria & maternitas non sunt ejusdem rationis: majus enim est diligere Deum, quàm volare; & tamen qui Deum diligit, non volat. Tum quia augmentum gratiæ & gloriæ includunt rationem præmii & coronæ: at maternitas includit rationem puri doni, sicut prima gratia: ergo quemadmodum prima gratia nequit esse præmium, ita nec maternitas Deiparæ.

Dices 3. B. Virgo meruit de condigno illum sanctitatis aut gratiæ gradum, quo ultimò fuit disposita ad maternitatem Dei: ergo meruit de condigno suam maternitatem; quoniam qui de condigno meretur dispositiones ad formam, videtur etiam mereri ipsam formã. Resp. nego antecedens. Nam Deus qui elegit eam in matrem, eam disposuit, & super flumina preparavit illam, ut canit sancta mater Ecclesia in Officio Immaculatę Conceptionis Ordini nostro concesso.

Prob.

Prob. 2. pars. 1. Abraham & David meruerunt de congruo, ut Christus ex ipsis originem duceret: Ita colligitur ex illo Genes. 22. *Per me metipsum juravi*, ait Deus Abrahæ, *quia fecisti rem hanc, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes*: ergo B. Virgo meruit de congruo, ut esset mater Christi. 2. Ecclesia in Antiphona tempore Paschali canit, *Regina cæli lætare, quia quem meruisti portare, resurrexit*; sed non meruit de condigno: ergo de congruo. 3. Maternitas Virginis dependebat à consensu illius, ut patet ex illo Luc. 1. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*: ergo per consensum meruit, non de condigno, sed de congruo, maternitatem secundùm ordinem executionis, & actualis generationis Christi.

Nemo meruit effectus Incarnationis, nempè quòd merita Christi applicarentur pro salute generis humani, quamvis sancti Patres meruerint, saltem de congruo, Incarnationis circunstantias extrinsecas, puta temporis, loci & propagationis ex eorum stirpe: quia effectus Incarnationis pertinent ad ipsius substantiam, quam nullus meruit. Deinde, sequeretur, quòd mors Christi non fuisset sanctis Patribus opus misericordiæ, sed opus præmii, aut gratitudinis, aut fidelitatis, quod est falsum; cùm per viscera misericordiæ visitaverit nos oriens ex alto, eodemque motivo misericordiæ fecerit redemptionem plebis suæ.



DISPUTATIO VII.

De persona assumente.

IN hac disputatione examinanda sunt media ratione quorum Verbum divinum, quod est persona assumens, terminat naturam humanam.

QUÆSTIO I.

An persona Verbi immediatè & proximè terminaverit humanitatem assumptam, ratione subsistentiæ absolutæ & communis, vel ratione subsistentiæ relativæ & personalis?

DIco 1. Quòd ratio formalis & proxima, per quam Verbum divinum terminavit humanitatem, non est ipsa subsistentia absoluta & communis, sed personalitas, seu subsistentia relativa & personalis, per quam constituitur in ratione personæ distinctæ à Patre & Spiritu sancto. Prob. Si ratio formalis & proxima, per quam Verbum terminat naturam humanam, esset subsistentia Dei, sequeretur quòd cùm illa subsistentia sit communis Patri & Spiritui sancto sicut Filio, quemadmodum ratio per quam omnia creantur, est communis, Pater esset incarnatus sicut Filius, quemadmodum est creator sicut Filius: sed solus Filius est incarnatus,

tus, ut fides docet: ergo ratio per quam terminavit humanitatem assumptam, non debet esse communis, sed propria & particularis Filio. Prob. major in qua est difficultas. 1. Ideò Verbum dicitur caro, quia terminat dependentiam quam natura humana dicit ad suppositum: ergo si Pater haberet id quo Verbum terminat illam humanitatem, sicut habet id quo Filius v. g. videt, sequeretur, quòd esset caro sicut Filius, quemadmodum est videns sicut Verbum. 2. Ex 6. Synodo Gener. act. 8. ubi dicitur solum Verbum esse incarnatum, ista ratio assignatur, *Quia Pater & Spiritus sanctus nihil in incarnatione habent commune, nisi benignissimam voluntatem*: ergo natura humana terminatur per subsistentiam particularem, aliàs Pater qui dicitur volens incarnationem sicut Filius, quia habet voluntatem qua Filius eam vult, diceretur etiam incarnatus sicut Filius, quia haberet id per quod Filius terminat & immediatè sustentat carnem.

Confirm. ex Concilio Toletano 6. in confessione fidei, dicente, *Incarnationem Filii tota Trinitas operata est, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis*; quia ratio, per quam mediatè Deus operatur, est communis, nimirùm omnipotentia, *Solus tamen Filius formam servi accepit in singularitate personæ, in id quod proprium est Filii, non quod Trinitati commune*: ergo ratio, per quam Filius immediatè terminat humanitatem, non est communis, sed singularis: sed nihil est singulare & proprium Filio, nisi subsistentia relativa: ergo per ipsam terminat humanitatem.

Resp. Durandus negando majorem: Ut enim (inquit) personæ dicantur incarnatæ, præter unionem humanitatis cum subsistentia absoluta, requiritur insuper alia unio ejusdem humanitatis cum subsistentia personali; unde cùm humanitas Verbo unita fuerit, non solùm secundùm subsistentiam absolutam, sed etiam secun-

ſecundùm relationem perſonalem, Patri verò & Spiritui ſancto uniatur tantùm ſecundùm ſubſiſtentiam communem; hinc fit, quòd Pater & Spiritus ſanctus non dicuntur nec ſunt incarnati, ſicut Filius.

Contra: Hæc ratio non valet, nam duæ ſubſiſtentiæ completæ non poſſunt terminare dependentiam unius naturæ creatæ. Tum quia ſi humanitas terminaretur primò ad ſubſiſtentiam abſolutam, in illo ſigno redderetur ſubſiſtens, & conſequenter inaſſumptibilis à Verbo; ideòque non poſſet inſuper & ſecundariò terminari ad perſonalitatem ſeu ſubſiſtentiam relativam & propriam Filii: ergo humanitas Chriſti non terminatur primariò ad ſubſiſtentiam abſolutam, ſed ad perſonalitatem Verbi. Tum quia ſi ſubſiſtentia abſoluta & communis eſſet ratio primaria & immediata terminandi humanitatem, & ſubſiſtentia relativa Verbi eſſet ſecundaria & mediata, verum eſſet dicere, Pater terminat & immediatè ſuſtentat, aut ſuppoſitat humanitatem; dicimus enim, quòd Filius ſuppoſitat & terminat humanitatem, quia ejus perſonalitas ex Durando, eſt ratio mediata & ſecundaria terminandi; at ratio proxima & primaria terminandi eſt in Patre, & ipſi convenit, ſicut mediata & ſecundaria convenit Filio, & tam ab illa dependet humanitas, quàm ab iſta, nimirùm perſonali; imò magis, cùm ratio immediata & primaria ſit principalior: ergo Pater dici poteſt verè & propriè incarnatus, & unionis hypoſtaticæ terminus, ſicut dicitur cauſa efficiens, cùm nedùm habeat rationem quâ creata fuit humanitas, ſed etiam ad quam terminatur; ſed hoc eſt falſum, quia ſolus Filius eſt cauſa terminativa unionis hypoſtaticæ: ergo &c.

Dices 1. Omnis dependentia eſt ad independens & ad abſolutum, quia quod non eſt abſolutum, eſt dependens: ergo dependentia naturę hu-

humanæ non terminatur per personalitatem Verbi, quæ est relativa. Resp. concessa prima parte antecedentis, negando secundam; quia ut aliquid terminet dependentiam alterius immediatè, sufficit, quòd sit independens à supposito, sive sit absolutum, sive relativum; solitò tamen dicitur independens est absolutum, quoniam in creatis omne relativum est dependens & accidens. At in divinis subsistentia relativa Filii, licèt non sit absoluta, est independens: ergo potest primariò & immediatè terminare dependentiam naturæ humanæ Christi.

Dices 2. Relativum non potest gerere vices absoluti: ergo Verbum non assumpsit nec gerit vices personæ humanæ per propriam personalitatem, quæ est relativa. Resp. distinguendo majorem; Relativum non potest gerere vices absoluti, simpliciter & totaliter, concedo; In his in quibus cum ipso convenit, nego: Unde cùm personalitas Verbi, quamvis relativa, sit suppositum & reddat naturam incommunicabilem, gerere potest in natura humana Christi, vices personæ cratæ.

Dices 3. Verbum assumpsit humanitatem per rationem, per quam convenit ipsi assumere; sed convenit ipsi per naturam divinam in tribus personis subsistentem: assumpsit enim naturam nostram & homo factus est, quia est Deus: ergo assumpsit humanitatem immediatè per rationem absolutam & communem. Resp. distinguendo majorem: Per quam convenit ipsi assumere efficienter & activè, seu per quam est incarnans, nego majorem; Per quam convenit ipsi assumere terminativè, seu per quam Filius est incarnatus, concedo majorem: & similiter distincta minori, nego consequentiam; quia natura divina in tribus personis subsistens non est ratio immediata, per quam Verbum divinum terminat & suppositat naturam humanam; sed est tantùm ratio efficiens, seu per quam se in-

car-

carnat, non verò per quam est formaliter incarnatum, seu per quam formaliter terminat & sustentat carnem.

Instabis: Personæ Filii competit subsistere per naturam divinam: ergo per eamdem terminat naturam humanam, quia terminat per id, per quod subsistit. *Nego* instantiam: quia per naturam divinam competit filio subsistere essentialiter, non autem personaliter, aliàs in Deo esset tantùm una persona: unde neganda est pariter instantiæ consequentia, quia filius est incarnatus ut persona est, seu terminat dependentiam naturæ humanæ ad suppositum, per suam personalitatem, in qua est ratio formalis terminandi unionem, ut expressè docet Scotus in 3. dist. 1. q. 5. §. *in ista quæstione*, ubi agitat nostram quæstionem, & concludit Verbum divinum terminare humanitatem assumptam ratione subsistentiæ relativæ & personalis. Huic sententiæ adhærent plures sancti Patres, & præsertim Anselmus lib. de incarnatione cap. 4. & alibi.

QUÆSTIO II.

An Verbum assumendo humanitatem, non solùm ejus subsistentiam, sed etiam illius existentiam suppleverit?

CErtum est ex fide, in Christo esse unicum esse subsistentiæ & personale, cùm in ipso sit unica persona, & natura humana Christi subsistat per ipsam Verbi subsistentiam; unde difficultas est, an natura humana Christi, quæ habet proprium esse naturæ & essentiale, habeat etiam propriam existentiam?

Dico igitur Verbum non supplere existentiam

in

in humanitate Christi, sed solùm subsistentiam, subindeque illam non per existentiam divinam & increatam dumtaxat existere, sed per existentiam creatam & sibi propriam: nam essentia & existentia non distinguuntur realiter in sententia omnium Scotistarum: sed in Christo sunt duæ essentiæ seu naturæ, ut fides docet cùm sit Deus & homo: ergo datur in Christo existentia creata indistincta à natura creata, & existentia divina indistincta à natura divina.

Prob. 1. Datur in Christo existentia hominis seu humana: ergo Verbum non supplet existentiam in humanitate Christi. Consequentia patet, cùm Verbum non suppleat id, quod est actu in Christo. Prob. antecedens 1. Christus verè mortuus est, & per mortem aliquid corruptum & destructum fuit; cùm mors sit destructio rei, & per mortem res existere desinat: at nihil fuit destructum nisi existentia humana, seu hominis, quia divina est incapax corruptionis: ergo in Christo, mors destruxit existentiam hominis, quia in triduo Christus non erat homo, sicut erat Deus; subindeque humanitas quæ verè mortua est, & modò verè vivit vita humana in cœlo, existentia humana existit; cùm ex Philosopho, vita & mors existentiam sequantur temporalem. 2. Si Verbum divinum dimitteret humanitatem, per illam volitionem aut actionem qua dimitteretur, non annihilaretur, ut est manifestum, & consequenter existeret; non in alio, cùm non sit accidens; nec existentia divina, ut suppono; nec existentia de novo producta: nam esset de novo producta vel à Virgine, vel à Deo immediatè, vel resultaret ex ipsa natura humana, quemadmodum resultaret subsistentia humana, si divina deesset? Non primum; quia Virgo non generaret iterùm humanitatem: Nec secundum; quia si à Deo immediatè produceretur, sequeretur, quòd B. Virgo non esset mater illius homi-

minis, sed esset sicut Adam: Nec resultaret; tum quia existentia, est id quo res ponitur extra suas causas, seu id quo causa emittit effectum extra se, & consequenter oportet, quòd sit à causa agente. Tum quia existentia est terminus generationis & corruptionis, ideòque nequit ex effectu, seu ex re resultare: ergo humanitas in Christo habet existentiam humanam & propriam, sicut naturam.

Prob. 2. Humanitas Christi priùs prioritate naturæ, in rerum natura extitit, quàm fuerit assumpta ad personalitatem Verbi divini: ergo ut existens sua connaturali existentia, elevata fuit ad subsistentiam Verbi divini. Consequentia patet. Prob. antecedens: Humanitas Christi priùs prioritate naturæ fuit producta, quàm assumpta: ergo & existens. Consequentia patet, cùm esse productum & esse existens sint unum & idem, & productio terminetur ad existentiam. Prob. antecedens: Licèt productio & assumptio humanitatis Christi fuerint in eodem instanti, fuit tamen priùs prioritate naturæ, humanitatem produci, quàm assumi: ergo similiter priùs prioritate naturæ fuit, quòd esset producta, quàm quòd esset assumpta.

Resp. Gonet. negando antecedens, & ad ejus prob. negat iterùm antecedens; potiùs enim (inquit) econtra priùs prioritate naturæ humanitas Christi assumpta est, quàm fuerit producta; siquidem non potuit esse existens sive producta, quin priùs prioritate naturæ esset subsistens, atque adeò assumpta. Ad prob. in contrarium, concesso antecedente, negat consequentiam: Ratio disparitatis est, quia produci est nondum habere subsistentiam; quamvis autem non sit inconveniens admittere, quòd priùs prioritate naturæ humanitas Christi fuerit in via ad subsistentiam & ad existentiam, quàm assumeretur à Verbo divino; non possumus tamen dicere, quòd priùs habuerit subsisten-

ſtentiam, ſubindeque nec exiſtentiam, quàm fuerit aſſumpta; ſed potiùs econtra dicendum eſt, quòd priùs fuerit aſſumpta, quàm unita.

Contra 1. Humanitas Chriſti in illo inſtanti in quo fuit aſſumpta à Verbo, erat extra ſuas cauſas, vel in ſuis cauſis? Si primum: ergo habebat exiſtentiam in illo ſigno in quo fuit aſſumpta à Verbo, cùm exiſtentia apud omnes Philoſophos, ſit id quo res ponitur extra ſuas cauſas, & nihil concipi poſſit extra ſuas cauſas, quin exiſtat extra ipſas. Si ſecundum: ergo Verbum aſſumpſit etiam cauſas humanitatis cùm res in ſua cauſa nihil aliud ſit, quàm ipſamet cauſa: ſed hoc eſt falſum, aliàs aſſumpſiſſet Virginem & Spiritum ſanctum: ergo humanitas Chriſti priùs extit, quàm fuerit aſſumpta, ſaltem prioritate naturæ, & conſequenter priùs natura fuit producta, quàm aſſumpta.

2. Aſſumptio humanitatis ad perſonam Verbi & productio ejuſdem, ſunt duæ actiones realiter diſtinctæ, ut ait Gonet. diſput. præced. art. 4. ſed aſſumptio ſupponit productionem: ergo humanitas Chriſti fuit priùs producta, quàm aſſumpta. Prob. minor 1. Beata Virgo non concurrit efficienter ad aſſumptionem humanitatis à Verbo, & concurrit ad productionem: ſed Verbum non aſſumpſit humanitatem antecedenter ad actionem generativam Virginis. Tum quia ſequeretur, quòd Virgo non eſſet mater; nam in illo ſigno, humanitas fuiſſet completa & unita Verbo, cùm per aſſumptionem, ſubſiſtentiam ſuſceperit independenter ab influxu Virginis, & conſequenter non fuiſſet producta à Virgine & à Spiritu ſancto. Tum quia Verbum non aſſumpſit humanitatem, ut à Virgine produceretur; ſed potiùs econtra Virgo Spiritu ſancto concurrente produxit humanitatem, ut à Verbo aſſumeretur: ergo humanitas Chriſti priùs fuit producta, quàm aſſumpta. 2. Aſſumptio aut actio unitiva Dei, ex Goneto, non eſt

cau-

causa productiva humanitatis: ergo assumptio supponit prioritate naturæ productionem humanitatis, quia actio unitiva unit humanitatem Verbo divino: ergo supponit eam, sicut applicatio supponit extrema applicanda. 3. Assumptio est actio à re assumptibili aut assumenda, determinata & specificata; aliàs non distingueretur ab actione creativa: ergo humanitas quæ est res assumenda, ad quam tendit assumptio, non potest esse priùs assumpta, quàm producta.

3. Ratio disparitatis est falsa: ergo. Prob. antecedens: Produci est esse extra suas causas, & recepisse ab ipsis quidquid effectui dare possunt; aliàs nullum esset discrimen inter *produci* & *producibile*, quod est falsum; sed nihil potest esse extra suas causas, quin existat extra ipsas, cùm sola existentia sit id quo res est extra suas causas, quæ nihil dare possunt effectui ultra existentiam, quia ex Goneto tract. de Trinit. disput. de relat. div. quæst. 6. producere rem, est illam existentem constituere: ergo produci non est nondum habere existentiam, licèt sit nondum habere subsistentiam quæ reddit rem omninò incommunicabilem, quæ quidem subsistentia non est terminus generationis, nec quid productum, cùm consistat in duplici negatione, ut volunt Scotistæ, vel in positivo resultante, ut volunt alii. *Deinde*, existentia non est ultimus modus rei supponens subsistentiam, ut putat Gonet. nam in divinis ubi absoluta præcedunt relativa, nulla datur ex Goneto existentia relativa, ut dictum est in tract. de Trinit. datur tamen per ipsum subsistentia relativa: ergo existentia est prior subsistentia, ideòque licèt natura assumatur ut subsistat, non valet tamen dicere, quòd assumitur etiam ut existat. *Tandem*, si humanitas esset priùs assumpta à Verbo quàm existens, sequeretur, quòd natura humana in illo instanti in quo fuit assum-

sumpta, non fuisset singularis, nec Verbum assumpsisset naturam actu singularem, quod est falsum, sed ut esset singularis: nam natura, in sententia Goneti, fit singularis per materiam signatam quantitate; at humanitas Christi non potest signari quantitate, quin existat, aliàs accidens, quod per Thomistas existit existentia subjecti, extitisset in aliquo instanti naturæ in humanitate Christi sine existentia, quod est falsum: ergo natura humana Christi quæ est verè singularis, habet propriam existentiam quæ intrinsecè pertinet ad singularitatem.

Obj. 1. Gonetus ex epist. Soph. recepta & approbata à Patribus 6. Synod. act. 11. ubi de Christi humanitate sic dicitur, *In illo itaque* (scilicet Verbo) *& non in semetipsa, existentiam habuit unam*, ex quibus verbis hoc argumentum conficitur: Naturam habere existentiam in alio, est existere per ejus existentiam; existere verò in semetipsa, est existere per propriam existentiam; at juxta Soph. humanitas Christi habet existentiam in Verbo, & non in semetipsa; ergo &c.

Resp. Sophronium non velle humanitatem Christi existere formaliter per existentiam Verbi, sicuti per ejusdem subsistentiam subsistit & fit incommunicabilis, sed eam existere dependenter à Verbo, seu Verbo inexistere, quia *Ly non in semetipsa* idem est ac non independenter & in se: nam accidens existit in subjecto, tamen habet existentiam propriam, cùm existentia non sit proprietas suppositi & personæ, ut putat Gonet. sed proprietas naturæ, imò sit ipsa natura prout est in actu: ergo licèt humanitas existat in Verbo, non autem in semetipsa, tamen habet existentiam propriam; unde ad argumentum, nego majorem: nam materia existit per existentiam formæ, tamen ex Doctore habet existentiam propriam. Omitto 2. argumentum quo

probat contra recentiores conclusionem esse D. Thomæ.

Ob. 2. Si humanitas Christi non fuisset assumpta ad existentiam increatam Verbi divini, sed per propriam & connaturalem existeret, darentur in Christo duæ existentiæ substantiales; consequentia non potest admitti: ergo nec antecedens. Sequela majoris est evidens: Esset enim in Christo præter existentiam propriam & connaturalem humanitati, existentia Verbi divini. Minor verò prob. Si in Christo darentur duæ existentiæ substantiales, non esset ens substantialiter unum, sed plura; atqui est ens substantialiter unum, nón verò plura, ut fatentur omnes Catholici cum D. Athanas. in Symb. ergo in ipso non datur duplex existentia substantialis. Sequela majoris prob. Ut Christus esset unum substantialiter, nonobstante, quòd constaret duplici existentia, necessarium omninò esset, quòd una ex illis duabus existentiis haberet rationem potentiæ respectu alterius; impossibile enim est ex duobus fieri unum per se sive substantiale, nisi se habeant per modum potentiæ & actus: sed omninò repugnat, quòd una existentia habeat rationem potentię respectu alterius: ergo & quòd Christus sit ens substantialiter unum, si constet pluribus existentiis. Major patet, minor prob. Impossibile est id quod essentialiter est ultima rei actualitas substantialis, habere rationem potentiæ ad aliam actualitatem similiter substantialem; aliàs enim esset & non esset ultima actualitas substantialis, esset ut supponitur, non esset verò, quia ad eam sequeretur alia, nimirum illa ad quam diceretur esse in potentia: sed omnis existentia quæcumque illa sit, est essentialiter ultima rei actualitas, in hoc enim consistit conceptus essentialis existentiæ: ergo impossibile est, quòd existentia substantialis sit in potentia ad aliam existentiam similiter substantialem.

Resp.

Resp. concessa majori, negando minorem. Ad prob. distinguo majorem: Si in Christo darentur duæ existentiæ substantiales, non esset ens substantialiter unum, sed plura, secundùm naturam, & essentiam, concedo; Secundùm suppositum & subsistentiam, nego. Distinguo similiter minorem: Est ens substantialiter unum secundùm suppositum, seu unitate personæ, concedo minorem; Secundùm naturam seu unitate naturæ, nego minorem & consequentiam; quia Athanas. in Symb. excludit tantùm pluralitatem suppositorum. Ad prob. nego minorem, quia existentia habet rationem potentiæ respectu subsistentiæ & respectu alterius existentiæ etiam, ut patet in materia quæ habet existentiam & subsistentiam partialem independenter à forma physica, ad quam est in potentia. Ad prob. nego minorem; falsum enim est, quòd existentia sit ultima actualitas rei, ut docent omnes Scotistæ. Tum quia res est complenda, donec fiat incommunicabilis alteri, ut *quod* & ut *quo*: & dum est incommunicabilis, est completa, cùm communicetur alteri, ut terminetur & compleatur; sed per subsistentiam fit incommunicabilis alteri, non verò per existentiam: ergo potiùs subsistentia quàm existentia, est ultima rei actualitas. Tum quia subsistentia supponit existentiam: nam actio productiva rei terminatur ad existentiam primò & immediatè, ut docent Philosophi: ergo subsistentia supponit existentiam, cùm subsistentia sequatur ad rem productam.

Obj. denique: Natura humana non habuit existentiam priùs prioritate etiam dumtaxat naturæ, quàm assumeretur à Verbo: ergo assumpta fuit ad Verbi existentiam. Consequentia patet. Prob. antecedens: Si natura humana priùs prioritate etiam naturæ quàm assumeretur à Verbo, fuisset existens existentia sibi propria, sequeretur B. Virginem non fuisse propriè matrem

Dei; sed hoc est in Conc. Eph. damnatum: ergo &c. Sequela majoris prob. Ut B. Virgo dicatur propriè mater Dei, debet terminus concursus ejus in generatione Filii esse Deus homo; at si humanitas Christi priùs prioritate naturæ quàm assumeretur à Verbo, fuisset existens existentia sibi connaturali, terminus concursus B. Virginis in generatione Filii non fuisset Deus homo: ergo B. Virgo non fuisset propriè mater Dei. Major constat, minor verò prob. Illud non est terminus concursus B. Virginis in generatione Filii, ante quod concursus iste concipitur totaliter terminatus: at si humanitas priùs prioritate naturæ quàm assumeretur à Verbo, habuit propriam existentiam, priùs eadem prioritate quàm suppositum divinum illam terminaverit, atque adeò quàm fuerit Deus homo, concursus B. Virginis intelligitur totaliter terminatus: nam ex una parte tunc concursus causæ, quæcumque illa sit, intelligitur omninò terminatus, quando ejus effectus habet existentiam, utpotè cùm existentia sit ultimus terminus dependentiæ effectus à suis causis, totaliter ipsum constituens extra illas; ex alia verò parte si humanitas Christi priusquàm assumeretur à Verbo, habuit existentiam priùs prioritate saltem naturæ quàm suppositum divinum illam terminaverit, fuit existens: ergo terminus concursus B. Virginis non fuit Deus homo.

Resp. negando antecedens. Ad prob. ejus, nego sequelam majoris. Ad prob. concessa majori, nego minorem, quia in eodem instanti temporis in quo produxit humanitatem in rerum natura existentem, humanitas fuit unita Verbo, quapropter in eo instanti verum fuit dicere, Deus conceptus est ex Virgine, Deus homo est terminus actionis generativæ Virginis; nam actio generativa non exercetur in instanti naturæ, sed temporis: ergo cùm in

eodem instanti temporis humanitas fuerit producta & unita Verbo, terminus concursus B. Virginis non fuit purus homo, sed homo Deus. Ad prob. concessa majori, nego minorem, quia concursus Virginis non concipitur totaliter terminatus in instanti naturæ in quo attingit solam existentiam humanitatis, sed solùm in instanti temporis in quo humanitas existit incommunicabiliter per subsistentiam Verbi divini; ideòque concursus Virginis non fuit totaliter terminatus ante terminationem aut unionem humanitatis ad Verbum. Tum quia concursus causæ non intelligitur totaliter terminatus, nisi effectus habeat subsistentiam. Tum quia persona est terminus secundarius generationis, ut dicunt Philosophi nostri: ergo quamvis existentia humana sit terminus primarius generationis Christi prioritate naturæ dumtaxat, concursus Virginis non est totaliter terminatus nisi effectus sit personatus: ergo terminus concursus Virginis fuit Deus homo & consequenter est mater Dei.

Instabis: ergo Verbum existit existentia creata. Resp. concedendo instantiam de Verbo quatenùs est homo: nam vult per velle creatum &c. Per communicationem idiomatum Deus dicitur natus, mortuus &c. ergo eadem ratione potest dici existens, vivens &c. *Instabis*: ergo existentia humana est perfectio Verbi. Resp. negando instantiam, quia Verbum non est subjectum existentiæ humanæ, sed purus terminus: ergo non perficitur.

Existentia humana quam in Christo admittit Scotus, non potest magis perficere Verbum, quàm ipsa natura humana; sed natura humana non perficit Verbum divinum, ut tenent omnes: ergo existentia creata nequit illud perficere, quamvis admittatur in Christo; quia ut unum perficiat aliud, necesse est, quòd illi inhæreat, aut informet illud, quod de existentia

creata, nec de natura humana Christi potest verificari. Insuper, si Verbum assumpsisset naturam Angelicam, hæc natura retinuisset propriam existentiam, ut tenent plures ex adversariis, qui docent existentiam in substantiis spiritualibus non distingui realiter ab essentia; sed in tali casu, existentia Angelica non perficeret Verbum divinum, nec sequerentur absurda quæ Thomistæ sequi prætendunt ex nostra sententia: ergo idem dicendum est de existentia humanitatis quam in Christo admittimus, putà ipsam non perficere Verbum divinum.

QUÆSTIO III.

An Deus, ut communis tribus personis, ratione subsistentiæ absolutæ possit alienam naturam assumere?

DIco Deum, ut communem tribus personis, ratione subsistentiæ absolutæ posse alienam naturam assumere, illique immediatè uniri, susistentiis relativis, eam solùm secundariò terminantibus. Ita Doctor in 3. dist. 1. q. 2. §. *ad quæstionem*. lit. D. Prob. Subsistentia absoluta divinæ naturæ continet eminenter subsistentiam creatam, sicut subsistentia personalis eam continet: ergo potest terminare dependentiam naturæ ad subsistentiam, cùm sit omninò independens sicut subsistentia Verbi, & natura creata dicat potentiam obedientialem ad subsistentiam absolutam, sicut ad subsistentiam Verbi. *Deinde*, subsistentia absoluta Dei, est ratio qua Deus subsistit, & est ratio infinita, sicut subsistentia relativa qua persona in ratione personæ subsistit: ergo natura creata subsistere potest per sub-

subsistentiam absolutam, sicut subsistit per subsistentiam Verbi.

Dices 1. Hæc unio esset in unitate naturæ, vel in unitate suppositi? Non primum; quia ex natura creata & ex natura divina resultaret una natura, quod est falsum. Nec secundum; quia subsistentia communis non est suppositum, nec persona; aliàs in Deo essent quatuor personæ, quod est hæreticum: ergo subsistentia absoluta non potest assumere naturam. Resp. Unionem non fieri in unitate naturæ, nec personæ, sed in unitate subsistentis; unde ex unione naturæ divinæ & humanæ in subsistentia absoluta non fieret una natura, nec una persona, sed unum subsistens. *Instabis*: Implicat dari hominem, quin sit persona: ergo ex unione humanitatis cum subsistentia absoluta resultaret aliqua persona, vel hæc unio est impossibilis. Resp. negando consequentiam, quia in natura creata, subsistentia, hypostasis & suppositalitas non differunt formaliter, sed solùm materialiter, seu ex parte naturarum in quibus reperiuntur, ut advertit Delgadillo cap. 1. dist. 7. n. 9. ergo licèt subsistentia absoluta in se, nec in natura non sit persona, tamen in natura humana quæ per subsistentiam personatur, esset persona de materiali, aut realiter & identicè.

Dices 2. Natura assumpta ad subsistentiam absolutam non esset incommunicabilis, cùm subsistentia absoluta sit communicabilis: ergo non esset verè subsistens, nec propriè assumpta. Resp. negando antecedens. Tum quia subsistentia si communicabilis sit, hoc provenit ex infinitate naturæ divinæ; sed natura creata est finita & finitè sustentaretur per subsistentiam absolutam Dei: ergo esset incommunicabilis. Tum quia natura est incommunicabilis, dum est in ultima actualitate, sive illud quo ultimò actuatur, sit communicabile, sive non, sive divinum, sive humanum; sed per illam sub-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

a-
i-
a-

le
e-
a-
n.
es
u-
næ
no
na-
ed
iul
ræ
irn.
lias
uod
uræ
po-
rna-
ſt in
& Fi-
na-

us :
i ab-
nec
ump-
ribus
circò
alie-
t do-
ςet

cet Gonet. cum D. Thoma; atqui ut natura terminetur à pluribus personis, oportet, quòd sit infinita in ratione terminabilis, sicut persona in ratione terminantis: ergo quemadmodum persona creata nequit alienam terminare naturam, ex defectu infinitatis, ità pariter natura creata ex defectu ejusdem infinitatis, à pluribus personis suppositari non potest. Prob. minor in qua est tota difficultas. 1. Tale est passivum quale est activum, & econverso sub conceptu activi & passivi: ergo si suppositum creatum nequeat terminare duas naturas, quia non est infinitum in ratione terminantis aut terminativi, nec una natura à duobus suppositis terminari, cùm suppositum activè terminet, & natura passivè terminetur. 2. Ideò una persona divina potest assumere plures naturas, quia, inquit Gonet. vis assumptiva conveniens personæ divinæ non comprehenditur ab una natura creata, id est, quia virtus personæ in ratione terminantis, est tanta quanta esse potest virtus naturarum in ratione terminabilium, aliàs eas assumere minimè posset; unde si virtus terminabilis excederet virtutem terminativam personæ divinæ, non posset eas assumere, nec econtra: ergo talis esse debet virtus naturæ terminandæ, qualis est virtus personæ terminantis; subindeque sicut persona creata nequit terminare alienam naturam, quia non est infinita sicut persona divina; ita una natura creatà nequit terminari ab alia persona, seu à pluribus, quia non est infinita sicut natura divina. 3. Tandem, absurda quæ sequuntur ex persona creata respectu plurium naturarum, sequuntur etiam ex natura creata respectu plurium personarum divinarum; & rationes quibus salvat Gonetus unam naturam terminari posse per plures personas divinas, salvant etiam unam personam creatam posse terminare plures naturas, ut consideranti patebit: ergo &c.

Con-

Confirm. Ex Goneto disput. seq. art. 4. natura creata, subsistens in propria persona, propria personalitate retenta, non potest etiam de potentia absoluta uniri personæ divinæ, & per illius subsistentiam subsistere: ergo ubi affecta est personalitate Verbi, non potest ampliùs assumi à Patre nec à Spiritu sancto. Prob. conseq. 1. Natura per personalitatem Verbi completur & personatur, sicut per propriam: ergo si stante propria personalitate, natura sit inunibilis alteri supposito, quia est completa, sic etiam stante una personalitate divina est inunibilis alteri, cùm sit etiam completa. 2. Ex Goneto, una res nequit existere duplici existentia: ergo nec subsistere duplici subsistentia. 3. Quod est incommunicabile, non potest assumi; sed natura creata assumpta à Verbo, est incommunicabilis, sicuti si haberet personalitatem propriam, cùm de ratione personæ sit reddere naturam incommunicabilem: ergo sicut natura propria personalitate subsistens, nequit assumi à Verbo; ita nec persona assumpta à Verbo, assumi potest à Patre.

Prob. 2. Ex Doctore, unum & idem non potest à pluribus adæquatè dependere, ut dicunt omnes Physici; at si natura creata tribus personis divinis uniretur, à pluribus totaliter & adæquatè penderet, cùm subsisteret, posita unione, cum qualibet persona; & subsisteret posita unione cum persona Patris, & non posita unione cum persona Filii: ergo una & eadem natura non potest hypostaticè uniri tribus divinis personis.

Resp. Gonet. quòd licèt non possit unum & idem à duobus adæquatè dependere dependentia causali, quæ est dependentia stricta; potest tamen dependentia non causali seu terminativa, quæ dependentia stricta non est, unum & idem à duobus dependere adæquatè adæquatione intensiva, non tamen adæquatione

extensiva: unum enim album una relatione similitudinis adæquatè intensivè ab albo terminatur, non tamen adæquatè extensivè; potest enim ex vi ejusdem relationis ad plura alba terminari, & de facto terminatur ad omnia cum quibus in graduali intentione similitudinem habet: Pater etiam in creatis, ex vi ejusdem relationis qua ad unum Filium refertur & ad illum adæquatè intensivè terminatur, refertur ad novum Filium si adveniat, ac proinde à Filio non terminatur adæquatè adæquatione extensiva: natura autem creata unita alieno supposito, non dependet ab illo dependentia stricta & causali, sed dependentia non causali & terminativa, ut extremum terminabile à termino terminante: ac proinde quamvis unita uni ex personis divinis, ab illa adæquatè intensivè terminetur, non tamen adæquatè extensivè, & idcircò uni ex personis divinis unita, potest uniri cum aliis.

Contra: Complementum rei & sustentatio essentialis ejusdem sunt à causa productiva; nam ideò B. Virgo est mater Dei, quia terminus generationis ejus est subsistentia & existentia Verbi, humanitatem productam sustentantis & complentis in ratione suppositi: ergo dependentia naturæ ad suppositum, est dependentia causalis; subindeque una natura creata nequit uniri tribus divinis personis, nec à tribus dependere. 2. Sicut effectus productus à causa efficiente totali suum esse recipit; ita natura singularis recipit suam sustentationem & terminationem totalem à suo termino totali: ergo est dependentia stricta & causalis, & quemadmodum acceptio esse totalis ab una causa totali, explodit aliam ejusdem ordinis; ita acceptio ultimi complementi, incommunicabilitatis, sustentationis & essentialis terminationis, excludit quamcumque aliam subsistentiam totalem. 3. Natura per unam subsistentiam totalem

lem est adæquatè completa adæquatione extensiva: ergo non posset per aliam totalem compleri. Prob. antecedens: Natura habens propriam subsistentiam est extensivè cõpleta; aliàs Verbum potuisset assumere naturam personatam, quod Gonetus judicat impossibile: ergo natura assumpta à Verbo est etiam extensivè completa, & nequit ab alia persona divina assumi. *Præterea*, quando dependentia essentialis & per se est totaliter terminata intensivè, nequit per aliam terminari, licèt non sit totaliter extensivè terminata; ut patet in effectu, qui divisim potest esse à duabus causis totalibus, ut v. g. calor qui ab igne & à sole produci potest, qui postquàm habet esse ab una causa, non potest simul habere ab alia, licèt dependentia ejus sit intensivè tantùm terminata: ergo licèt dependentia naturæ creatæ non sit extensivè terminata per unam subsistentiam divinam, ut vult Gonet. (quod tamen apud nos falsum est, ut patet in relationibus creatis quæ multiplicantur multiplicatis terminis totalibus) non potest terminari per aliam, quemadmodum calor productus ab igne, non potest produci à sole, ad quem tendit calor producendus; licèt non sit à causa totali adæquatione extensiva.

Dico 2. Unam personam divinam posse simul plures naturas assumere. Ita omnes: Tum quia vis assumptiva personæ divinæ non exhauritur per assumptionem naturæ, cùm sit infinita, sicque una assumpta, aliam & aliam assumere potest: Tum quia licèt una natura per unam subsistentiam fiat incommunicabilis alteri, aut insustentabilis ab alia; tamen subsistentia divina non sit impotens sustentandi aliam: nam licèt unum & idem numero accidens à duobus subjectis totalibus, nec effectus à duabus causis totalibus dependere possint; tamen unum subjectum plura accidentia, & una causa plures effectus habere possunt: ergo.

 Obj-

Obj. Gonetus: Si simultanea terminatio ejusdem naturæ à tribus personis divinis repugnaret, deberet repugnantia se tenere vel ex parte personarum terminantium, vel ex parte naturæ terminabilis; sed ex neutro capite; ergo &c. Major patet. Minor etiam quantùm ad 2. partem, est certa; nam divinæ personæ non se excludunt à convenientia in eadem natura, cùm omnes simul terminent naturam divinam: ergo ex parte illarum non repugnat simultanea terminatio ejusdem naturæ creatæ. Pro 2. verò parte, prob. natura creata est terminabilis à persona divina ratione potentiæ obedientialis; sed ex parte hujus potentiæ, nulla repugnantia oritur, si ex parte termini nulla includatur: ergo &c.

Confirm. Tres personalitates divinæ simul terminant naturam divinam: ergo possunt simul terminare naturam creatam. Patet consequentia 1. Nam quòd personalitas divina possit extendi secundariò ad terminandam naturam creatam, illi convenit, quia primariò terminat naturam divinam, in qua omnis natura creata eminenter continetur: ergo si omnes simul in natura divina primò terminanda conveniunt, possunt etiam simul in natura creata secundariò terminanda adunari. 2. Prob. à paritate rationis: Si enim natura divina tribus subsistentiis subsistit, in hoc, quod est unam & eamdem naturam tribus subsistentiis subsistere, nulla involuitur implicantia, ac proinde non repugnabit naturam creatam tribus subsistentiis divinis terminari.

Resp. negando minorem: repugnat enim ex parte utriusque. Ad prob. primæ partis, dico, quòd in natura divina personalitates non præstant effectum formalem, qui est reddere naturam subsistentem, completam & incommunicabilem, cùm sit omninò communicabilis, ac completa & subsistens independenter à personalitatibus; unde cùm solùm terminent

nent fœcunditatem & communicationem naturæ, ſequitur, quòd natura divina poteſt ſimul in ipſis ſubſiſtere. *Deinde*, ſunt de conceptu reali naturæ divinæ; at reſpectu naturæ creatæ aliter ſe haberent, cùm ipſam complerent & redderent incommunicabilem: ſicque quemadmodum duę cauſæ totales repugnant inter ſe reſpectu ejuſdem effectus, ſic etiam tres divinæ perſonalitates reſpectu ejuſdem naturæ. *Præterea*, ſunt extra conceptum realem naturæ creatæ: ergo non poſſunt ei ſimul advenire niſi per modum unius, quod implicat in hoc caſu. Ad prob. 2. partis, dico, quòd potentia obedientialis naturæ non eſt ad Patrem, Filium & Spiritum ſanctum conjunctim, ſed diviſim & ſucceſſivè; non enim habet potentiæ ſimultatem, ſed ſimultatis potentiam; ſicut v. g. materia eſt in potentia ad omnes formas, tamen per Thomiſtas non habet omnes formas, nec eas habere poteſt: ergo ſtante perſonalitate Filii, non poteſt perſonari perſonalitate Patris, ſicut ſtante una forma, materia non poteſt per aliam actuari. Hæc ratio valet etiam ad confirmationem.

Inſtare poſſet Gonet. Ergo cùm ex Scoto una materia poſſit divinitùs habere plures formas, unum accidens plura ſubjecta, & unum corpus eſſe in pluribus locis: una natura poteſt etiam eſſe in tribus divinis perſonis. *Nego* paritatem, quia materia non completur per formam in ratione materiæ, nec fit informabilis; accidens per primum ſubjectum in quo eſt, non fit incommunicabile ut quo, & conſequenter poteſt divinitùs communicari alteri; locus eſt terminus accidentalis & extrinſecus corporis, ideoque poteſt divinitùs eſſe in duobus locis: at natura creata completur intrinſecè per ſuppoſitum & per ipſum ſubſiſtit, fitque ſimpliciter incommunicabilis: ergo ſtante una perſonalitate eſt incommunicabilis alteri & inaſſumptibi-

lis,

creata, nec de natura humana Christi potest verificari. Insuper, si Verbum assumpsisset naturam Angelicam, hæc natura retinuisset propriam existentiam, ut tenent plures ex adversariis, qui docent existentiam in substantiis spiritualibus non distingui realiter ab essentia;sed in tali casu,existentia Angelica non perficeret Verbum divinum, nec sequerentur absurda quæ Thomistæ sequi prætendunt ex nostra sententia: ergo idem dicendum est de existentia humanitatis quam in Christo admittimus,purà ipsam non perficere Verbum divinum.

QUÆSTIO III.

An Deus, ut communis tribus personis, ratione subsistentiæ absolutæ possit alienam naturam assumere?

DIco Deum, ut communem tribus personis, ratione subsistentiæ absolutæ posse alienam naturam assumere, illique immediatè uniri, susistentiis relativis, eam solùm secundariò terminantibus. Ita Doctor in 3. dist. 1. q. 2. §. *ad quæstionem*. lit. D. Prob. Subsistentia absoluta divinæ naturæ continet eminenter subsistentiam creatam, sicut subsistentia personalis eam continet: ergo potest terminare dependentiam naturæ ad subsistentiam, cùm sit omninò independens sicut subsistentia Verbi, & natura creata dicat potentiam obedientialem ad subsistentiam absolutam, sicut ad subsistentiam Verbi. *Deinde*, subsistentia absoluta Dei, est ratio qua Deus subsistit, & est ratio infinita, sicut subsistentia relativa qua persona in ratione personæ subsistit: ergo natura creata subsistere potest per

sub-

subsistentiam absolutam, sicut subsistit per subsistentiam Verbi.

Dices 1. Hæc unio esset in unitate naturæ, vel in unitate suppositi? Non primum; quia ex natura creata & ex natura divina resultaret una natura, quod est falsum. Nec secundum; quia subsistentia communis non est suppositum, nec persona; alias in Deo essent quatuor personæ, quod est hæreticum: ergo subsistentia absoluta non potest assumere naturam. Resp. Unionem non fieri in unitate naturæ, nec personæ, sed in unitate subsistentis; unde ex unione naturæ divinæ & humanæ in subsistentia absoluta non fieret una natura, nec una persona, sed unum subsistens. *Instabis*: Implicat dari hominem, quin sit persona: ergo ex unione humanitatis cum subsistentia absoluta resultaret aliqua persona, vel hæc unio est impossibilis. Resp. negando consequentiam, quia in natura creata, subsistentia, hypostasis & suppositalitas non differunt formaliter, sed solùm materialiter, seu ex parte naturarum in quibus reperiuntur, ut advertit Delgadillo cap. 1. dist. 7. n.9. ergo licèt subsistentia absoluta in se, nec in natura non sit persona, tamen in natura humana quæ per subsistentiam personatur, esset persona de materiali, aut realiter & identicè.

Dices 2. Natura assumpta ad subsistentiam absolutam non esset incommunicabilis, cùm subsistentia absoluta sit communicabilis: ergo non esset verè subsistens, nec propriè assumpta. Resp. negando antecedens. Tum quia subsistentia si communicabilis sit, hoc provenit ex infinitate naturæ divinæ; sed natura creata est finita & finitè sustentaretur per subsistentiam absolutam Dei: ergo esset incommunicabilis. Tum quia natura est incommunicabilis, dum est in ultima actualitate, sive illud quo ultimò actuatur, sit communicabile, sive non, sive divinum, sive humanum; sed per illam sub-

ſiſtentiam Dei poneretur in ultima actualitate: ergo eſſet incommunicabilis.

Inſtabis: ergo eſſet etiam incommunicabilis in natura humana aſſumpta, quia ſubſiſtentia abſoluta eſſet etiam in natura divina infinita, & conſequenter eſſet incommunicabilis in natura aſſumpta. *Nego* inſtantiam: quia ſubſiſtentia abſoluta compleret naturam humanam juxta propriam exigentiam, ſeu finito modo, & divinam etiam juxta propriam exigentiam, ſeu infinito modo; ſicque natura humana eſſet completa & ſubſiſtens modo ſibi conveniente, puta incommunicabiliter & limitatè, & divina communicabiliter.

Dices 3. Natura humana aſſumpta non poteſt terminari niſi ad aliquid ſupplens defectum rei quæ deficit illi, utpotè perſonæ; ſed ſubſiſtentia abſoluta deitatis non poteſt ſupplere defectum perſonæ, cùm ipſa non ſit perſona, ut eſt de fide: ergo natura humana aſſumi non poteſt à ſubſiſtentia abſoluta. *Nego* minorem: nam effectus perſonalitatis eſt reddere naturam humanam ſubſiſtentem incommunicabiliter: ſed totum id faceret ſubſiſtentia abſoluta, ut jam dictum eſt ſuprà: ergo ipſa ſubſiſtentia abſoluta poteſt aſſumere naturam humanam, eamque reddere incommunicabilem alteri ſuppoſito. Quod verum eſſe, iterum evinco alia ratione; nam talis ſubſiſtentia reddit naturam divinam incommunicabilem alteri ſuppoſito à ſe realiter diſtincto, ut dictum eſt in tractatu de Trinitate: ergo redderet etiam naturam aſſumptam incommunicabilem alteri ſuppoſito realiter diſtincto.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

An plures personæ divinæ possint terminare immediatè eamdem numero humanitatem, & plures humanitates ab eadem persona assumi?

DIco 1. Plures personas divinas non posse assumere eamdem numero naturam, neque eam propriis subsistentiis relativis terminare. Ita Doctor in 3. dist. 1. q. 3. Et est D. Anselm. lib. 2. cur Deus homo, cap. 9. ubi ait, *Plures personæ nequeunt unum eumdemque hominem assumere in unitate personæ, quare in una personæ tantùm hoc fieri necesse est*; sed ex D. Anselmo hæc impotentia non se tenet ex parte personarum quarum virtus terminandi est infinita, sed ex parte humanitatis quæ ad tres personas simul terminari non potest; nec loquitur juxta præsentem providentiam, quia lib. de Incarn. cap. 4. ait, *Filio incarnato non est necesse alias quoque personas incarnari, sed impossibile*, quod non debet intelligi respectu alterius naturæ humanæ: certum enim est, quòd Pater potest assumere aliam naturam, Filio incarnato: ergo debet intelligi de natura quæ est in Filio, subindeque ex D. Anselm. Pater & Filius nequeunt assumere eamdem numero naturam.

Prob. ex Goneto, ut quæst. seq. dicemus: Persona creata non potest de potentia Dei absoluta alienam terminare naturam: ergo nec una persona divina naturam à Verbo assumptam; subindeque una natura nequit à tribus divinis personis assumi. Prob. conseq. Idcircò enim persona creata non potest terminare alienam naturam, quia non est infinita, ut do-

cet Gonet. cum D. Thoma; atqui ut natura terminetur à pluribus personis, oportet, quòd sit infinita in ratione terminabilis, sicut persona in ratione terminantis: ergo quemadmodum persona creata nequit alienam terminare naturam, ex defectu infinitatis, ita pariter natura creata ex defectu ejusdem infinitatis, à pluribus personis suppositari non potest. Prob. minor in qua est tota difficultas. 1. Tale est passivum quale est activum, & econverso sub conceptu activi & passivi: ergo si suppositum creatum nequeat terminare duas naturas, quia non est infinitum in ratione terminantis aut terminativi, nec una natura à duobus suppositis terminari, cùm suppositum activè terminet, & natura passivè terminetur. 2. Ideò una persona divina potest assumere plures naturas, quia, inquit Gonet. vis assumptiva conveniens personæ divinæ non comprehenditur ab una natura creata, id est, quia virtus personæ in ratione terminantis, est tanta quanta esse potest virtus naturarum in ratione terminabilium, aliàs eas assumere minimè posset; unde si virtus terminabilis excederet virtutem terminativam personæ divinæ, non posset eas assumere, nec econtra: ergo talis esse debet virtus naturæ terminandæ, qualis est virtus personæ terminantis; subindeque sicut persona creata nequit terminare alienam naturam, quia non est infinita sicut persona divina; ita una natura creatá nequit terminari ab alia persona, seu à pluribus, quia non est infinita sicut natura divina. 3. Tandem, absurda quæ sequuntur ex persona creata respectu plurium naturarum, sequuntur etiam ex natura creata respectu plurium personarum divinarum; & rationes quibus salvat Gonetus unam naturam terminari posse per plures personas divinas, salvant etiam unam personam creatam posse terminare plures naturas, ut consideranti patebit: ergo &c.

Con-

Confirm. Ex Goneto disput. seq. art. 4. natura creata, subsistens in propria persona, propria personalitate retenta, non potest etiam de potentia absoluta uniri personæ divinæ, & per illius subsistentiam subsistere: ergo ubi affecta est personalitate Verbi, non potest ampliùs assumi à Patre nec à Spiritu sancto. Prob. conseq. 1. Natura per personalitatem Verbi completur & personatur, sicut per propriam: ergo si stante propria personalitate, natura sit inunibilis alteri supposito, quia est completa, sic etiam stante una personalitate divina est inunibilis alteri, cùm sit etiam completa. 2. Ex Goneto, una res nequit existere duplici existentia: ergo nec subsistere duplici subsistentia. 3. Quod est incommunicabile, non potest assumi; sed natura creata assumpta à Verbo, est incommunicabilis, sicuti si haberet personalitatem propriam, cùm de ratione personæ sit reddere naturam incommunicabilem: ergo sicut natura propria personalitate subsistens, nequit assumi à Verbo; ita nec persona assumpta à Verbo, assumi potest à Patre.

Prob. 2. Ex Doctore, unum & idem non potest à pluribus adæquatè dependere, ut dicunt omnes Physici; at si natura creata tribus personis divinis uniretur, à pluribus totaliter & adæquatè penderet, cùm subsisteret, posita unione, cum qualibet persona; & subsisteret posita unione cum persona Patris, & non posita unione cum persona Filii: ergo una & eadem natura non potest hypostaticè uniri tribus divinis personis.

Resp. Gonet. quòd licèt non possit unum & idem à duobus adæquatè dependere dependentia causali, quæ est dependentia stricta; potest tamen dependentia non causali seu terminativa, quæ dependentia stricta non est, unum & idem à duobus dependere adæquatè adæquatione intensiva, non tamen adæquatione

extensiva: unum enim album una relatione similitudinis adæquatè intensivè ab albo terminatur, non tamen adæquatè extensivè; potest enim ex vi ejusdem relationis ad plura alba terminari, & de facto terminatur ad omnia cum quibus in graduali intentione similitudinem habet: Pater etiam in creatis, ex vi ejusdem relationis qua ad unum Filium refertur & ad illum adæquatè intensivè terminatur, refertur ad novum Filium si adveniat, ac proinde à Filio non terminatur adæquatè adæquatione extensiva; natura autem creata unita alieno supposito, non dependet ab illo dependentia stricta & causali, sed dependentia non causali & terminativa, ut extremum terminabile à termino terminante; ac proinde quamvis unita uni ex personis divinis, ab illa adæquatè intensivè terminetur, non tamen adæquatè extensivè, & idcircò uni ex personis divinis unita, potest uniri cum aliis.

Contra: Complementum rei & sustentatio essentialis ejusdem sunt à causa productiva; nam ideò B. Virgo est mater Dei, quia terminus generationis ejus est subsistentia & existentia Verbi, humanitatem productam sustentantis & complentis in ratione suppositi: ergo dependentia naturæ ad suppositum, est dependentia causalis; subindeque una natura creata nequit uniri tribus divinis personis, nec à tribus dependere. 2. Sicut effectus productus à causa efficiente totali suum esse recipit; ita natura singularis recipit suam sustentationem & terminationem totalem à suo termino totali: ergo est dependentia stricta & causalis, & quemadmodum acceptio esse totalis ab una causa totali, expiodit aliam ejusdem ordinis; ita acceptio ultimi complementi, incommunicabilitatis, sustentationis & essentialis terminationis, excludit quamcumque aliam subsistentiam totalem. 3. Natura per unam subsistentiam tota-

lem est adæquatè completa adæquatione extensiva: ergo non posset per aliam totalem compleri. Prob. antecedens: Natura habens propriam subsistentiam est extensivè cõpleta; aliàs Verbum potuisset assumere naturam personatam, quod Gonetus judicat impossibile: ergo natura assumpta à Verbo est etiam extensivè completa, & nequit ab alia persona divina assumi. *Prætereà*, quando dependentia essentialis & per se est totaliter terminata intensivè, nequit per aliam terminari, licèt non sit totaliter extensivè terminata; ut patet in effectu, qui divisim potest esse à duabus causis totalibus, ut v.g. calor qui ab igne & à sole produci potest, qui postquàm habet esse ab una causa, non potest simul habere ab alia, licèt dependentia ejus sit intensivè tantùm terminata: ergo licèt dependentia naturæ creatæ non sit extensivè terminata per unam subsistentiam divinam, ut vult Gonet. (quod tamen apud nos falsum est, ut patet in relationibus creatis quæ multiplicantur multiplicatis terminis totalibus) non potest terminari per aliam, quemadmodum calor productus ab igne, non potest produci à sole, ad quem tendit calor producendus, licèt non sit à causa totali adæquatione extensiva.

Dico 2. Unam personam divinam posse simul plures naturas assumere. Ita omnes: Tum quia vis assumptiva personæ divinæ non exhauritur per assumptionem naturæ, cùm sit infinita, sicque una assumpta, aliam & aliam assumere potest: Tum quia licèt una natura per unam subsistentiam fiat incommunicabilis alteri, aut insustentabilis ab alia; tamen subsistentia divina non sit impotens sustentandi aliam: nam licèt unum & idem numero accidens à duobus subjectis totalibus, nec effectus à duabus causis totalibus dependere possint; tamen unum subjectum plura accidentia, & una causa plures effectus habere possunt: ergo.

Obj-

Obj. Gonetus: Si simultanea terminatio ejusdem naturæ à tribus personis divinis repugnaret, deberet repugnantia se tenere vel ex parte personarum terminantium, vel ex parte naturæ terminabilis; sed ex neutro capite; ergo &c. Major patet. Minor etiam quantùm ad 2. partem, est certa; nam divinæ personæ non se excludunt à convenientia in eadem natura, cùm omnes simul terminent naturam divinam: ergo ex parte illarum non repugnat simultanea terminatio ejusdem naturæ creatæ. Pro 2. verò parte, prob. natura creata est terminabilis à persona divina ratione potentiæ obedientialis; sed ex parte hujus potentiæ, nulla repugnantia oritur, si ex parte termini nulla includatur: ergo &c.

Confirm. Tres personalitates divinæ simul terminant naturam divinam: ergo possunt simul terminare naturam creatam. Patet consequentia 1. Nam quòd personalitas divina possit extendi secundariò ad terminandam naturam creatam, illi convenit, quia primariò terminat naturam divinam, in qua omnis natura creata eminenter continetur: ergo si omnes simul in natura divina primò terminanda conveniunt, possunt etiam simul in natura creata secundariò terminanda adunari. 2. Prob. à paritate rationis: Si enim natura divina tribus subsistentiis subsistit, in hoc, quod est unam & eamdem naturam tribus subsistentiis subsistere, nulla involuitur implicantia, ac proinde non repugnabit naturam creatam tribus subsistentiis divinis terminari.

Resp. negando minorem: repugnat enim ex parte utriusque. Ad prob. primæ partis, dico, quòd in natura divina personalitates non præstant effectum formalem, qui est reddere naturam subsistentem, completam & incommunicabilem, cùm sit omninò communicabilis, ac completa & subsistens independenter à personalitatibus; unde cùm solùm termi-

nent

nent fœcunditatem & communicationem naturæ, sequitur, quòd natura divina potest simul in ipsis subsistere. *Deinde*, sunt de conceptu reali naturæ divinæ; at respectu naturæ creatæ aliter se haberent, cùm ipsam complerent & redderent incommunicabilem: sicque quemadmodum duç causæ totales repugnant inter se respectu ejusdem effectus, sic etiam tres divinæ personalitates respectu ejusdem naturæ. *Præterea*, sunt extra conceptum realem naturæ creatæ: ergo non possunt ei simul advenire nisi per modum unius, quod implicat in hoc casu. Ad prob. 2. partis, dico, quòd potentia obedientialis naturæ non est ad Patrem, Filium & Spiritum sanctum conjunctim, sed divisim & successivè; non enim habet potentiæ simultatem, sed simultatis potentiam; sicut v. g. materia est in potentia ad omnes formas, tamen per Thomistas non habet omnes formas, nec eas habere potest: ergo stante personalitate Filii, non potest personari personalitate Patris, sicut stante una forma, materia non potest per aliam actuari. Hæc ratio valet etiam ad confirmationem.

Instare posset Gonet. Ergo cùm ex Scoto una materia possit divinitùs habere plures formas, unum accidens plura subjecta, & unum corpus esse in pluribus locis: una natura potest etiam esse in tribus divinis personis. *Nego* paritatem, quia materia non completur per formam in ratione materiæ, nec fit informabilis; accidens per primum subjectum in quo est, non fit incommunicabile ut quo, & consequenter potest divinitùs communicari alteri; locus est terminus accidentalis & extrinsecus corporis, ideoque potest divinitùs esse in duobus locis: at natura creata completur intrinsecè per suppositum & per ipsum subsistit, fitque simpliciter incommunicabilis: ergo stante una personalitate est incommunicabilis alteri & inassumptibi-

lis, & ultimatè ac intrinsecè completa; ideoque pluribus subsistentiis totalibus subsistere nequit.

Plurium formarum effectus formales non sunt incompatibiles, sicut effectus formales plurium personalitatum: nam effectus personalitatis est reddere naturam incommunicabilem ut *quod* & ut *quo*; unde supposita una personalitate in natura, ipsa natura remanet incommunicabilis alteri seu inassumptibilis ab alio: nequit igitur recipere aliam personalitatem, cùm ratione personalitatis dicat incompatibilitatem & repugnantiam, id est, incommunicabilitatem alteri supposito, quam non dicit materia habens unam formam, subjectum habens unum accidens, nec corpus existens in uno loco, quia forma nihil confert materiæ, per quod repugnet ipsi recipere aliam formam de potentia absoluta; nam expulsio, aut incompatibilitas formarum non provenit ex materia, nec est effectus primarius & formalis formarum, sed solùm secundarius, ut docent philosophi nostri, quem Deus potest impedire: at reddere naturam incommunicabilem, est effectus formalis personalitatis, quem Deus impedire non potest, quia effectus formalis formæ, nihil aliud est quàm ipsa forma unita subjecto: ergo licèt duæ formæ possint divinitùs esse in eadem materia, non sequitur plures personas posse esse in una natura.

Dices: Tres personæ divinæ respectu naturæ assumptæ possunt habere rationem unius termini totalis & adæquati: seu possunt per modum unius assumere naturam humanam; sicut quando tres personæ divinæ producunt eumdem effectum, non sunt tres causæ, sed una; nec effectus habet tres causas, sed unam tantùm: ergo tres divinæ personalitates possunt absque ulla repugnantia esse in una eademque natura humana, sicut

cut plures formæ in eadem materia. *Nego* antecedens, quia una personalitas nequit concipi ut terminus partialis, nec tres ut unus terminus totalis; quia quælibet persona divina habet ex se unde possit ita terminare dependentiam naturæ creatæ, ut ipsa natura creata maneat incommunicabilis alteri, seu interminabilis ab alio supposito, cùm quælibet habeat propriam subsistentiam relativam; at quando producunt, virtus est una in tribus, sicque tres personæ non sunt tres causæ, sed una: aliàs essent tres omnipotentes, quod est contra Symbolum Athanasii: ergo non valet argumentum, aut paritas de terminatione & productione, quidquid dicat Contenson. in Theol. lib. 9. dissert. 3. cap. 2. specul. 1.

QUÆSTIO V.

An in casu quo una persona divina plures humanitates assumeret, vel econtra, essent tunc unus homo, vel plures?

DIco 1. quòd in casu quo una persona divina duas humanitates assumeret, diceretur unus homo, non duo. Hæc difficultas est grammaticalis, ut ait Scotus in 1. dist. 12. unde à significatione vocum dependet: nam si *Ly homo* sumatur masculinè, & prout significat naturam & suppositum, certum est, quòd non esset plures homines, sed unus. At si sumatur in abstracto, certum est, quòd esset plures homines, id est una persona habens plures humanitates. Concludo igitur cum Cavello, Fabro, Mastrio, Delgadillo, Boyvino, & aliis Scotistis, quòd si Verbum assumpsisset plures humanitates, non esset dicendus plures homines, sed unus; quia ad

lis, & ultimatè ac intrinsecè completa; ideoque pluribus subsistentiis totalibus subsistere nequit.

Plurium formarum effectus formales non sunt incompatibiles, sicut effectus formales plurium personalitatum: nam effectus personalitatis est reddere naturam incommunicabilem ut *quod* & ut *quo*; unde supposita una personalitate in natura, ipsa natura remanet incommunicabilis alteri seu inassumptibilis ab alio: nequit igitur recipere aliam personalitatem, cùm ratione personalitatis dicat incompatibilitatem & repugnantiam, id est, incommunicabilitatem alteri supposito, quam non dicit materia habens unam formam, subjectum habens unum accidens, nec corpus existens in uno loco, quia forma nihil confert materiæ, per quod repugnet ipsi recipere aliam formam de potentia absoluta; nam expulsio, aut incompatibilitas formarum non provenit ex materia, nec est effectus primarius & formalis formarum, sed solùm secundarius, ut docent philosophi nostri, quem Deus potest impedire: at reddere naturam incommunicabilem, est effectus formalis personalitatis, quem Deus impedire non potest, quia effectus formalis formæ, nihil aliud est quàm ipsa forma unita subjecto: ergo licèt duæ formæ possint divinitùs esse in eadem materia, non sequitur plures personas posse esse in una natura.

Dices: Tres personæ divinæ respectu naturæ assumptæ possunt habere rationem unius termini totalis & adæquati: seu possunt per modum unius assumere naturam humanam; sicut quando tres personæ divinæ producunt eumdem effectum, non sunt tres causæ, sed una; nec effectus habet tres causas, sed unam tantùm: ergo tres divinæ personalitates possunt absque ulla repugnantia esse in una eademque natura humana, sicut

cut plures formæ in eadem materia. *Nego* antecedens, quia una personalitas nequit concipi ut terminus partialis, nec tres ut unus terminus totalis; quia quælibet persona divina habet ex se unde possit ita terminare dependentiam naturæ creatæ, ut ipsa natura creata maneat incommunicabilis alteri, seu interminabilis ab alio supposito, cùm quælibet habeat propriam subsistentiam relativam; at quando producunt, virtus est una in tribus, sicque tres personæ non sunt tres causæ, sed una: aliàs essent tres omnipotentes, quod est contra Symbolum Athanasii: ergo non valet argumentum, aut paritas de terminatione & productione, quidquid dicat Contenson. in Theol. lib. 9. dissert. 3. cap. 2. specul. 1.

QUÆSTIO V.

An in casu quo una persona divina plures humanitates assumeret, vel econtra, essent tunc unus homo, vel plures?

DIco 1. quòd in casu quo una persona divina duas humanitates assumeret, diceretur unus homo, non duo. Hæc difficultas est grammaticalis, ut ait Scotus in 1. dist. 12. unde à significatione vocum dependet: nam si *Ly homo* sumatur masculinè, & prout significat naturam & suppositum, certum est, quòd non esset plures homines, sed unus. At si sumatur in abstracto, certum est, quòd esset plures homines, id est una persona habens plures humanitates. Concludo igitur cum Cavello, Fabro, Mastrio, Delgadillo, Boyvino, & aliis Scotistis, quòd si Verbum assumpsisset plures humanitates, non esset dicendus plures homines, sed unus; quia

ad

ad multiplicationem concretorum requiritur etiam pluralitas suppositorum.

Prob. Ex Doctore, si duæ formæ essent in eadem numero materia, non essent absolutè duo composita, sed unum ratione unitatis materiæ; & si una forma esset in duabus materiis, non essent duo composita substantialia, sed unum, ratione unitatis formæ; ergo si Verbum assumeret plures naturas, aut tres personæ divinæ unam & eamdem naturam, non essent absolutè plures homines, sed unus homo. 2. Ex Doctore in Christo sunt duæ filiationes reales; quarum una est æterna terminata ad Patrem, & altera temporalis terminata ad matrem; tamen Christus est unus Filius: non ratione naturæ, cùm in ipso sint duæ naturæ, sed ratione personæ: ergo si una persona assumeret plures naturas, semper esset unus homo. In natura divina sunt tres personæ, tamen sunt unus Deus ratione unitatis naturæ. Christus est unus, licèt duas naturas habeat, ratione unius subsistentiæ & suppositi: ergo si assumeret plures naturas, esset unus homo ratione unitatis suppositi; quia concretum tam significat suppositum, quàm naturam. *Tandem*, Verbum assumens humanitatem se habet ut sustentans & terminans; sed qui duas res sustentat vel terminat, non dicitur duo sustentantes, sed unus: ergo Verbum esset absolutè & simpliciter unus homo, sicut ex Scoto unus homo habens plures filios, non est plures patres, sed unus; licèt tot paternitates habeat, quot filios habet.

Dices 1. Pluralitas concretorum non infertur ex pluralitate suppositorum, sed ex pluralitate formarum: nam ideò Deus est unus, quia in ipso est unica natura; licèt tribus suppositis gaudeat: ergo si Verbum assumeret plures humanitates, esset plures homines, licèt unicum suppositum haberet. Resp. neg. consequentiam; quia pluralitas concretorum infertur ex plurali-

ralitate suppositorum & formarum simul; hinc est, quòd cùm nulla sit pluratitas concretorum sine pluralitate suppositorum & formarum simul, sequitur, quòd Verbum non esset plures homines, sed unus homo.

Dices 2. Si Verbum assumeret duas naturas diversæ speciei, v. g. naturam humanam & Angelicam, esset homo & Angelus, vel si assumpsisset naturam humanam & naturam leonis, non esset unum animal, sed duo; quia unum & idem animal ad duas species pertinere minimè potest: ergo si assumeret plures humanitates, non esset unus homo, sed plures. Resp. quòd Verbum esset verè homo & verè Angelus, sed nego, quòd homo & Angelus essent duo arithmeticè, & in concreto, sicut v. g. ut dixi suprà; Christus est verè Filius Dei Patris & verè Filius Virginis, tamen non est numericè nec in concreto duo Filii, sed unus: lac est album & dulce, tamen album & dulce in lacte non sunt duo concreta. Ad. 2. dico similiter, quòd Verbum esset homo & leo, tamen nego hominem & leonem esse duo animalia numericè, sed tantùm unum animal substantivè in concreto. Ad prob. dico quòd idem animal completè sumptum, seu quoad subsistentiam & formam, non potest pertinere ad duas species oppositas, concedo: Idem animal sumptum solùm quoad suppositum, quod est & denominatur animal, nō potest pertinere ad diversas species, ratione diversarum formarum, nego: Nam Christus sumptus quoad suppositum, excluditur à prædicamento, tamen ratione naturæ humanæ in ipso ponitur: Est Deus & homo, tamen non est duo, sed unus: ergo in casu supposito, esset unum animal simpliciter & in concreto, & duo ratione naturarum aut in abstracto.

Ratio hujus rei est, quia, ut jam dixi in responsione ad primum argumentum, pluralitas concretorum non est petenda ex sola pluralita-

te

ram. Prob. Deus de potentia absoluta potest privare naturam Petri propria subsistentia, & præsertim in sententia D. Thomæ, qui personalitatem creatam in positivo constituit, eamque intimè conjungere personæ unius Angeli v. g. Michaelis: nam ex multis Patribus, ut referunt Becanus cap. de persona assumente quæst. 5. Frassen. tract. de Incarnat. disp. 1. art. 2. sect. 2. q. 4. & alii, Malachias, Aggæus, Joannes Baptista & Melchisedech fuerunt Angeli incarnati hypostaticè: ergo persona creata potest divinitùs sustentare & terminare alienam naturam. Antecedens patet, conseq. prob. 1. ex Doctore: Duo corpora humana possunt eadem anima informari: ergo duæ naturæ eodem supposito sustentari & personari. 2. Virtus obedientialis terminativa naturæ quam suppositum creatum habet, non exhauritur extensivè per unam naturam secundùm suam exigentiam naturalem terminabilem: ergo potentia obedientialis suppositi excedit exigentiam naturalem naturæ, & consequenter non implicat, quòd unum suppositum creatum sustentet & terminet duas naturas. 3. Omne agens consideratum secundùm potentiam obedientialem, & prout subijcitur virtuti divinæ extraordinariò & absolutè coagenti & concurrenti, plus potest quàm secundùm potentiam naturalem, & prout subijcitur divinæ virtuti ordinariò concurrenti, si nulla inveniatur ratio impossibilitatis aut contradictionis; sed in hoc casu nulla invenitur ratio impossibilitatis: ergo suppositum creatum, Deo absolutè & extraordinariò concurrente, potest plus terminare & sustentare, quàm naturaliter: sed naturaliter terminat unam naturam: ergo de potentia absoluta potest terminare duas naturas.

Dices 1. Impossibile est, quòd negativum divinitùs terminet positivum & reale: sed suppositum creatum ex Scotistis consistit in negativo;

ergo

ergo non potest terminare dependentiam naturæ alienæ, quæ realis est & positiva. Resp. 1. argumentum probare contra Gonetum, quia apud ipsum suppositum consistit in positivo: ergo potest terminare alienam naturam. Resp. 2. distinguendo majorem: Impossibile est, quòd negativum terminet positivum, seu quòd sit terminus *qui*, aut extremum, concedo; seu quòd sit terminus *quo*, aut ratio formalis *qua* unum extremum terminat aliud, nego majorem: Nam relationes diversitatis fundantur proximè in carentia unitatis, quæ est quid negativum, licèt relationes sint reales; unde concessa minori, nego consequentiam; quia natura singularis suppositata, esset terminus *qui*, seu extremum illius dependentiæ naturæ assumptæ; & suppositum, licèt sit negatio, esset ratio qua natura singularis esset terminus *qui* & extremum unionis hypostaticæ & dependentiæ, quemadmodum carentia unitatis est ratio qua unum extremum terminat relationem diversitatis.

Dices 2. Impossibile est, quòd modus unius naturæ conveniat alteri; aliàs sequeretur, quòd unum accidens inhærere posset inhærentia alterius: ergo impossibile est, quòd una natura subsistat subsistentia alterius, cùm subsistentia sit modus naturæ. Resp. 1. negando antecadens: Natura enim humana Christi subsistit subsistentia aliena, utpotè divina. Resp. 2. distinguendo antecedens: Impossibile est, quòd modus accidentalis conveniat alteri, concedo; Modus substantialis: nego antecedens & consequentiam, quia subsistentia est modus substantialis. Ratio disparitatis est, quia modus accidentalis modificat intrinsecè inhærendo, & dependet à subjecto tanquam à causa materiali; unde cùm à duobus totaliter nihil dependere queat, sequitur, quòd inhærentia unius accidentalis, alteri convenire non potest: At subsistentia est modus substantialis, qui à natura non dependet,

det, imò potiùs natura ab illa dependet in esse subsistentiæ; unde cùm non implicet duo ab uno & eodem dependere, sequitur, quòd unum suppositum duas naturas terminare potest, propriam intrinsecè, & alienam extrinsecè, ut patet in Verbo divino.

Obj. Gonetus: subsistentia terminans plures naturas, debet esse infinita; sed implicat subsistentiam creatam esse infinitam: ergo & plures terminare naturas. Minor patet, major verò in qua est difficultas, prob. 1. Subsistentia terminans plures naturas, supplet vices subsistentiarum quæ sunt propriæ illis naturis, tales enim naturas reddit incommunicabiles, sicut reddidissent subsistentiæ propriæ; sed non potest supplere vices talium subsistentiarum, nisi sit infinita: ergo &c. Prob. minor: Subsistentia terminans plures naturas, non potest supplere vices subsistentiarum quæ sunt propriæ illis naturis, nisi contineat illas secundùm proprias & distinctas earum rationes, eminenter formaliter, id est seclusis imperfectionibus; sed non potest hoc modo illas continere, nisi sit infinita: ergo &c. Minor prob. Non potest eas continere secundùm proprias earum rationes, nisi eas contineat, prout conveniunt in ratione aliqua una & communi, quæ alia esse non potest quàm ratio entis; differentiæ enim propriæ non conveniunt in aliquo superiori, nisi transcendentaliter in ipsis imbibito; sed continere in ratione entis, est continere modo illimitato & infinito: ratio enim entis, cùm sit universalissima & transcendens, ad omnia se extendit, & est quodammodo infinita & illimitata: ergo subsistentia terminans plures naturas, non potest continere eminenter formaliter subsistentias illis naturis proprias, nisi sit infinita.

Confirm. Subsistentia in perfectione adæquatur cum natura quam connaturàliter terminat: ergo sicut nulla natura creata, quantumcum-

que perfecta, potest habere nisi unam speciem & essentiam, ita nec potest eminenter continere speciem aliarum naturarum; sed hoc est proprium Dei, qui cùm sit causa plena & perfecta omnium rerum, eminenter illas continet; ita neque illa subsistentia creata potest speciem & perfectionem aliarum subsistentiarum eminenter continere; sed hoc competit soli personalitati divinæ, ratione identitatis quam habet cum natura divina, & subsistentia absoluta quam transcendentaliter includit.

Prob. 2. major principalis, ratione Cajetani: Persona potens de se subsistere in duabus naturis, potest subsistere in infinitis si essent; sed persona potens subsistere in infinitis naturis, est in subsistendo infinita: ergo persona potens de se in duabus naturis subsistere, est infinita in subsistendo. Majorem probat Cajetanus; nam ubi pluralitas differentiam non facit, nec illam infinitas faceret, si infinitas possibilis esset, ut ait Arist. 4. Phys. text. 76. ex quo infert, quòd si duo corpora possent esse simul in eodem loco, etiam possent infinita corpora esse simul, si essent possibilia: ergo si pluralitas naturarum non obstat, ut persona ex vi unius subsistentiæ subsistat in illis, nec infinitas naturarum obstaret, si possibilis esset, ut in infinitis naturis subsisteret, & cõsequenter persona potẽs subsistere in duabus naturis, est etiam potens de se subsistere in infinitis. Minor potest sic facilè suaderi: Subsistentia gaudens vi terminativa & sustentativa infinita, est infinita in ratione subsistẽtię; cùm in nullo alio subsistentia consistat, quàm in vi terminativa & sustentativa naturę: sed subsistentia personæ potentis de se subsistere in naturis infinitis, gauderet vi terminativa & sustẽtativa infinita, sicut virtus effectiva potẽs quantùm est de se in effectus syncategorematicè infinitos exire, est virtutis effectivè infinitæ: ergo persona potens de se subsistere in infinitis naturis, est in subsistendo infinita.

Prob.

Prob. 3. major principalis: Quod personalitas non potest connaturaliter & de potentia ordinaria præstare, non potest etiam facere de potentia absoluta; at nulla personalitas quæ non sit infinita, potest connaturaliter & de potentia ordinaria terminare alienam naturam, ergo nec de absoluta. Minor est evidens: Nam quælibet personalitas connaturaliter est determinata ad terminandam propriam naturam, ad quam consequitur. Major autem prob. ex principio generali in Philosop. tradito, quo dicitur hanc esse differentiam inter causam materialem & formalem, maximè substantialem, qualis est subsistentia, & causam efficientem, quòd hæc potest elevari ad producendum effectum supernaturalem, vel principaliter, si contineatur intra objectum ejus specificativum, & sit tantùm extra proportionatum; vel instrumentaliter, si sit extra objectum specificativum, cùm tamen non possit illum producere naturaliter & secundùm propriam virtutem; causa autem materialis & formalis, maximè substantialis, non potest sic elevari; unde propterea in illis non habet locum distinctio potentiæ ordinariæ & extraordinariæ, seu naturalis & obedientialis. Et ratio est, quia ut causa formalis substantialis, v.g. subsistentia, terminaret naturam quam non potest connaturaliter terminare, deberet necessariò recipere aliquam virtutem qua augeretur & elevaretur virtus terminativa naturalis; hoc autem est impossibile, quia illa virtus elevans non potest esse virtus accidentalis (hæc enim est incapax elevandi ad substantialiter terminandum naturam) nec etiam substantialis, quia virtus substantialis reddés personalitatem naturalem capacem terminandi alienam naturam, esset vera subsistentia, utpote supernaturalis participatio subsistentiæ divinæ, cui soli naturale est posse terminare alienam naturam, & sic

sic non una tantùm, sed duplex esset subsistentia in eadem persona creata, quod implicat; & destrueretur hypothesis hujus quæstionis, qua quæritur, an unica subsistentia creata plures naturas terminare possit?

Confirm. Si in terminatione subsistentiæ haberet locum distinctio potentiæ ordinariæ & extraordinariæ, naturalis & obedientialis, seu causæ principalis & instrumentalis, vel subsistentia terminando alienam naturam de potentia Dei absoluta, hoc præstaret ut causa principalis, vel ut instrumentalis à Deo elevata? Non hoc secundum; quia sic foret necessarium, quòd Deus ipse ut causa principalis concurreret ad hanc eandem terminationem, hypostaticè informando ut causa principalis illam eamdem naturam; cùm effectus & causalitas causæ instrumentalis conveniant etiam principali. Neque etiam primum; quia ut causa principalis non potest subsistentia elevari extra suum specificativum; sic autem est quòd specificativum subsistentiæ Angelicæ v. g. est natura Angelica: ergo non poterit subsistentia Angeli elevari ad terminandum in genere causæ principalis naturam humanam.

Resp. negando majorem: Tum quia ex Doctore, personalitas Verbi divini formaliter sumpta, & sub conceptu personalitatis, non est formaliter infinita, ut dictum est in tract. de Trinit. disp. 3. q. 4. tamen terminat naturam humanam, & potest terminare ac sustentare omnes: Tum quia unum subjectum terminare potest dependentiam plurium accidentium, quin sit infinitum, ut patet in lacte, in quo sunt dulcedo, albedo &c. quin sit infinitum: & in objecto quod plures visiones terminat, licèt sit finitum. Ad 1. prob. nego minorem. Ad cujus prob. nego minorem: Nam una subsistentia continet virtualiter perfectionem alterius, quantùm requiritur ad complendam naturam, ac reddendam ipsam aptam, ut operationes suas exerceat,

ac si subsistentia propria afficeretur: nam ex Goneto, ut patet q. 4. una paternitas finita continet in ratione termini perfectiones aliarum paternitatum; cùm per Thomistas una sufficiat, ut pater ad plures filios referatur, pluresque filiationes terminet. Ad prob. dico, quòd subsistentia continet virtualiter alias subsistentias, prout conveniunt in ratione specifica, quæ non est ratio entis, sed ratio subsistentiæ seu termini; quod non est continere modo illimitato & infinito, cùm ratio subsistentiæ seu termini non sit universalissima, nec ad omnia se extendat, & consequenter nec sit infinita; v. g. una paternitas continet virtutem terminativam omnium filiationum in Doctrina Goneti, quia si unus homo esset Pater omnium hominum, unicam paternitatem haberet in sententia Thomistarum; unum subjectum sustentat accidentia, quæ alia subjecta sustentare possunt, tamen non continet alia subjecta in ratione entis universalissimi, sed tantùm in ratione subjecti & termini; ita similiter una subsistentia terminare potest alias naturas, & supplere vices propriarum subsistentiarum, quin eas contineat in ratione entis universalissimi, sed tantùm in ratione subsistentiæ & termini naturæ, quæ quidem ratio minimè infinita est. Unde confirmatio non valet; non enim requiritur, quòd subsistentia contineat speciem & perfectiones essentiales subsistentiarum, ut earum vices suppleat, sed sufficit, quòd eas contineat in ratione termini, seu incommunicabilitatis: nam personalitas divina, Angelica & humana, licèt specificè distinguantur, tamen in ratione termini prorsùs conveniunt: ergo non implicat, quòd una suppleat vices alterius in ratione termini, quin eam contineat; quemadmodum figura quadrata terminat quantitatem sicut rotunda, quin quadrata contineat rotundam in ratione entis, aut figuræ.

Ad 2. prob. nego minorem: quia illa illimitatio quæ peteretur ex terminatione naturarum, esset extrinseca: ergo persona non esset infinita in subsistendo; nam si objectum visibile terminaret infinitas visiones, non esset infinitum; ita nec una persona, si infinitas naturas terminaret. Ad prob. ejus distinguo majorem: Subsistentia gaudens vi terminativa & sustentativa infinita intensivè, est infinita in ratione subsistentiæ, concedo majorem: Sustentativa infinita extensivè, nego majorem: Distinguo pariter minorem; Subsistentia personæ potentis de se subsistere in naturis infinitis, gauderet vi terminativa & sustentativa infinita, extensivè, concedo; Intensivè, nego minorem & consequentiam & paritatem de virtute effectiva & terminativa: nam ex Goneto suprà quæst. 4. natura non dependet à personalitate dependentia stricta & causali, sed terminativa, quæ non est stricta; unde (inquit) licèt unum & idem à pluribus adæquatè depédere non possit, tamen una natura à duobus suppositis dependere potest: ergo licèt virtus effectiva quæ effectus infinitos causat, sit infinita, non valet tamen inferre ex doctrina Goneti, personalitatem terminantem infinitas naturas, esse infinitam. *Præterea*, ex Thomistis relatio terminatur ad relativum, & consequenter una relatione similitudinis, unum album terminat relationes similitudinis omnium alborum, quin tamen infinita vi terminativa gaudeat: ergo una subsistentia potest divinitùs uniri duabus naturis, imò & infinitis, si essent, quin infinita sit. *Tandem*, ut subsistentia sit infinita in ratione subsistentiæ, oportet, quòd ex vi intensiva & naturali, infinitam exigat naturam sustentandam: nam subsistentia absoluta Dei est infinita, quia ex vi propria sustentat naturam infinitam; non verò quia sustentare potest omnes naturas creatas: ergo licèt subsistentia creata

su-

sustentaret infinitas numero naturas, non gauderet intensivè vi terminativa infinita, sed tantùm extensivè, sicque non esset infinita in ratione subsistentiæ.


Ad ultimam prob. majoris principalis, nego majorem: Plura enim fieri non possunt de potentia ordinaria, quæ tamen de potentia absoluta fiunt: alioquin accidentia sine subjecto existere non possent, nec unum corpus esse in pluribus locis, quod est à fide alienum. Ad prob. dico, Philosophum esse intelligendum de effectibus per verum influxum producendis; verum enim est, quòd nulla causa materialis vel formalis producere potest effectum à se distinctum, & extra se existentem, sicut causa efficiens producit, & in hoc distinguebat causam efficientem à formali; non autem de effectibus formalibus, qui nihil aliud sunt quàm ipsæmet causæ formales communicatæ subjecto; unde sicut causa efficiens potest producere effectus intra objectum ejus totale contentos, ita pariter causa formalis potest de potentia absoluta communicari subjectis intra objectum ejus totale contentis, & in hoc convenit cum causa efficiente: ergo quemadmodum causa efficiens de potentia absoluta producit effectus quos non potest producere naturaliter; ita causa formalis potest communicari subjectis quibus communicari non potest naturaliter. Ad rationem, dico quòd subsistentia nullam virtutem reciperet, qua augeretur; nec opus esset, ut virtus illa terminativa augeretur, sed terminaret vi propria à divina voluntate efficienter applicata: nam si Deus vellet unire unam & eamdem animam duobus corporibus, non augeret vim animæ, sed applicaret animam duobus corporibus. Punctum quod ex natura sua ordinatur ad terminandam unicam lineam, terminat omnes illas quæ à circumferentia ducuntur ad ipsum, quin augeatur. Deus ponit unum corpus in duobus lo-

tis, & corpus nihil intrinsecè recipit nec augetur, sed tantùm fit præsens duobus locis; ita pariter subsistentia creata, dum alienam naturam terminaret, nihil intrinsecè reciperet, nec intensivè augeretur, sed uniretur duabus naturis virtute divina.

Ad confirm. dico, quòd subsistentia terminando naturam alienam, præstaret hoc ut causa principalis, sicut dum terminat propriam. Ad prob. distinguo antecedens: Subsistentia non potest elevari extra suum specificativum in ratione subsistentiæ, & secundùm suam naturam, concedo: In ratione termini & supplementi, nego antecedens & consequentiam: Nam subsistentia Angelica quæ terminaret naturam humanam, esset essentialiter Angelica, & humana terminativè seu secundùm munus, aut suppletivè tantùm, ut v. g. persona Verbi, quæ in Christo est divina specificativè, & humana terminativè, extrinsecè & secundùm munus, cùm suppleat vices personalitatis humanæ: ergo subsistentia Angeli potest elevari ad terminandum in genere causæ principalis naturam humanam, quin ipsa sit humana specificè, quia substantia non sequitur speciem naturæ alienæ quam terminat, sed tantùm vices suppositi proprii cujus locum tenet.

Dices: Incarnatio Verbi est opus singularissimum, quia sola persona divina potest terminare naturam alienam: ergo omninò impossibile est quòd persona creata eam terminet. *Nego* assumptum, seu Incarnationem esse tale opus, propter rationem assignatam: est enim opus singulare, quia divinis uniuntur humana, & homo fit Deus, ut monet D. Ambrosius lib. 1. de Virgin. dicens, *Verbum caro factum est, ut caro fieret Deus*: quia est opus reparationis nostræ, mirabilius opere creationis mundi, & propter alias rationes.

DIS-



DISPUTATIO VIII.

De natura assumptibili, & assumpta.

VIsis extremis & motivis unionis hypostaticæ, modò examinanda est aliorum extremorum possibilitas, seu an alia creatura præter naturam humanam sit assumptibilis.

QUÆSTIO I.

An qualibet natura substantialis completa, sit assumptibilis a divina persona?

DIco 1. Quòd natura Angelica assumptibilis est à persona divina. Tum quia personalitas Angelica est realiter distincta à natura, sicut personalitas humana: ergo est etiam assumptibilis hypostaticè à Verbo divino. Tum quia personalitas divina continet virtutem personalitatis Angelicæ, sicut continet virtutem personalitatis humanæ: ergo. Tum quia tam est in potentia obedientiali natura Angelica, quàm humana: ergo tam potuit assumi illa, quàm ista; *Nusquam* enim, ait Paulus ad Hæbr. 2. *Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ.*

Dices 1. Personalitas in Angelo est indistincta à natura, juxta illud Philos. 7. Metaph. cap. 9. *In his quæ sunt per se, idem est, quod quid est, & id cujus est*: ergo in Angelo qui est per se, id est,

ſubſtantia ſeparata à materia, idem eſt natura & perſona: Reſp. negando antecedens, ad cujus prob. dico, Philoſophum per *Ly idem eſt, quod quid eſt, & id cujus eſt*, non eſſe intelligendum de identitate unitatis aut indiſtinctionis inter naturam Angelicam & ſuppoſitum, ſed de identitate prædicamenti, quia natura Angelica & ſuppoſitum ejuſdem, ſunt in eodem prædicamento; ad differentiam eorum quæ non ſunt per ſe, quia ſubjectum in quo ſunt, eſt ſubſtantia quæ ſpectat ad prædicamentum ſubſtantiæ & accidens ſpectat ad aliud; ergo Philoſophus non identificat ſuppoſitum cum natura.

Dices 2. Natura Angelica eſt incorruptibilis: ergo eſt inaſſumptibilis. Reſp. negando conſequentiam. Tum quia ut aſſumatur, non requiritur corruptio ſuppoſiti proprii, ſed ſufficit, quòd in primo inſtanti perſonalitatis impediatur pullulatio ejuſdem. Tum quia Deus poteſt annihilare perſonalitatem Angeli; licèt enim incorruptibilis ſit, tamen non eſt inannihilabilis; alioquin Angelus non eſſet creatura, quod eſt falſum.

Dico 2. Quòd natura irrationalis completa poteſt de potentia Dei abſoluta uniri hypoſtaticè Deo, & ab ipſo aſſumi in unitate ſuppoſiti. Tum quia ſuppoſitum diſtinguitur à natura irrationali, ut patet: ergo tam aſſumptibilis eſt natura irrationalis, quàm humana. Tum quia hæc concluſio eſt certa apud SS. Patres, Gregor. ſcilicet, Aug. Tertul. & Theologos. *Dices* 1. Ex D. Damaſ. 3. de fide cap. 18. eſſe eſt propter operari; ſed natura irrationalis nequit videre Deum, nec ipſo frui: ergo nequit hypoſtaticè uniri perſonæ divinæ. Reſp. quòd eſſe eſt propter operari ſecundùm capacitatem naturæ, non verò abſolutè; unde licèt natura irrationalis nequeat videre Deum, quoniam eſt incapax viſionis intellectualis, eſt tamen à Verbo aſſumptibilis; quia capax eſt aliarum operationum materia-

lium

lium quas Christus exercuit. *Dices* 2. Deus diceretur canis, leo &c. quod est indecens: ergo repugnat talis unio. Resp. concedendo antecedens; dicitur enim flagellatus, mortuus &c. diceretur etiam per communicationem idiomatum, leo &c. nec hoc esset indecens positivè, scilicet imperfectum, quia illæ denominationes sunt extrinsecæ & per communicationem idiomatum, sed esset indecens tantùm negativè & comparativè, seu minùs decens esset assumere naturam irrationalem, quàm rationalem. *Dices* 3. Natura irrationalis nequit sanctificari: ergo nec hypostaticè uniri Verbo. Resp. distinguendo antecedens: Nequit sanctificari sanctitate accidentali, quæ fit per gratiam, concedo; Sanctitate substantiali, seu suppositabili & in ordine ad cultum, qua corpus Christi in triduo erat sanctum, nego antecedens & consequentiam; quia natura irrationalis sanctificari potest suppositabiliter, & in ordine ad cultum, id est, potest suppositari & sustentari supposito sancto & colendo.

Respondeo iterùm concedendo antecedens & negando consequentiam, quia suppositare non est formaliter sanctificare, ut est manifestum: ergo licèt suppositum divinum sanctificet substantialiter, non sequitur omne suppositatum, aut suppositabile ab ipso esse sanctificatum; ad hoc enim requiritur capacitas subjecti, cùm aliud sit capax suppositari, & aliud capax sanctificari. Unde natura irrationalis esset suppositata per suppositum verbi, quia est capax suppositari, & non esset sanctificata, quia non est capax sanctificari: quia suppositum divinum, dum communicatur alteri, præbet illi solùm effectus illos quorum est capax, & consequenter verbum divinum potuit assumere naturam leonis, v. g. reddendo eam subsistentem, licèt non redidisset illam sanctam nec personatam.

QUÆSTIO II.

An etiam substantia incompleta & partialis, sit assumptibilis à divina persona?

DIco 1. Non implicare materiam primam assumi ad divinam subsistentiam sine forma substantiali. Itá Scotistæ. Nam quod habet propriam subsistentiam, subsistentia Verbi subsistere potest. Tum quia omnis subsistentia realiter distinguitur à natura. Tum quia subsistentia divina continet virtutem omnis subsistentiæ creatæ: sed materia prima ex se independenter à forma physica, habet subsistentiam & existentiam, ut docent Physici nostri: ergo subsistere potest subsistentia divina.

Objicit Gonet. Implicat materiam primam existere sine forma: sed quod implicat existere, implicat etiam subsistere: ergo implicat materiam primam subsistere sine forma substantiali, & consequenter implicat, quòd sine illa assumatur ad divinam subsistentiam. Minor cum utraque consequentia patet: Major autem probari solet à Thomistis in Physica ex eo, quòd materia prima est pura potentia, ideoque essentialiter improportionata, ut participet actum ultimum, qualis est existentia, nisi mediante forma.

Resp. negando majorem; quia materia prima, ut docent Scotistæ in Physica, non est pura potentia metaphysica & objectiva, sed tantùm physica & subjectiva, & habet existentiam propriam & à natura materię indistinctam: ergo. *Deinde*, dato & non concesso, quòd non habeat existentiam propriam, est tamen capax subsistendi subsistentia & existentia totius: ergo Verbum divinum potest illi subrogare suam subsisten-

stentiam loco subsistentiæ totius, & formæ, qua ex Goneto materia subsistit & existit, & consequenter Verbum potest assumere materiam primam.

Dico 2. Animam rationalem à corpore separatam, esse unibilem Deo, & ab ipso assumptibilem: hæc conclusio est communis, quia in triduo anima Christi erat à corpore separata, & unita Verbo divino: quod enim semel assumpsit, nunquam dimisit: ergo anima rationalis à corpore separata, est unibilis Deo, & ab ipso assumptibilis. *Præterea*, anima rationalis existit & subsistit extra corpus: ergo potest assumi.

Dico 3. Formas corporeas & materiales posse supernaturaliter conservari, & existere separatas à materia; subindeque assumi à Deo. Tum quia materia prima potest assumi sine forma, ut probat prima conclusio: ergo à fortiori forma sine materia. Tum quia formæ corporeæ conservari possunt divinitùs, sine materia, ex qua educuntur, sicut accidentia in Eucharistiæ Sacramento conservantur sine subjecto: ergo assumi possunt à Verbo, & subsistentia ipsius subsistere.

Dico ultimò, partes integrales, puta manus, caput, brachium, quamdiu sunt inter se & toti composito unitæ, posse assumi, quin assumatur compositum: quia partes in composito habent propriam subsistentiam, saltem partialem; ut docent nostri Philosophi in Metaphysica: ergo assumi possunt à Verbo, quin totum assumatur, cum omne, quod propriam subsistentiam habet, per subsistentiam divinam terminari & subsistere possit.

Obj. Gonet. Hujusmodi partes subsistunt & existunt per subsistentiam & existentiam totius, quia ut demonstrant Thomistæ in Philosophia, non dantur subsistentiæ & existentiæ partiales; unde ut subsistentia & existentia divina sup-

pleant vices subsistentiæ propriæ & connaturalis illarum partium, debent etiam supplere vices subsistentiæ & existentiæ totius compositi, subindeque illud assumere.

Confirm. Repugnat naturam aliquam propria subsistentia terminatam, subsistere per divinam; at si pars integralis actu aliis partibus unita posset assumi ad divinam subsistentiam, toto composito non assumpto, posset simul subsistere propria & divina: ergo sic unita inassumptibilis est, non assumpto toto, & non assumptis aliis partibus ipsi conjunctis. Minor prob. Pars existens in toto, non potest non subsistere subsistentia totius, ut constat ex dictis: ergo si manens in toto (qualiter manet, dum est aliis partibus unita) posset assumi ad divinam subsistentiam, simul subsisteret subsistentia totius & subsistentia divina.

Resp. negando antecedens, cùm ut ex dictis constat, dentur subsistentiæ partiales. Ad confirm. concessa majori, nego minorem. Ad cujus prob. nego antecedens: quia in illo signo naturæ quo subsistentia totius est communicanda partibus, Deus potest impedire illam, & per subsistentiam divinam terminare dependẽtiam partium, & eas assumere, & loco subsistentiæ totius subrogare divinam, sicque partes subsisterent in toto, & non subsisterent subsistentia totius, sed subsistentia divina quæ suppleret vices.

Dices: Subsistentia divina non potest supplere vices subsistentiæ partialis, cùm de ratione partis sit esse quid incompletum & imperfectũ, & divina subsistentia sit completa & perfectissima: ergo non potest assumere partes compositi, nisi assumat etiam compositum. *Nego* antecedens, quia supplere vices subsistentiæ partialis non est esse partiale, nec imperfectum; cùm subsistentia possit vices alterius gerere, quin ipsa exhauriatur in subsistendo, ut patet de subsistentia verbi divini, quæ potest alterius naturæ depen-

pendentiam terminare, licèt modò terminet dependentiam naturę assumptæ. Idem patet etiam ex ipso verbo divino, quod erat unitum partibus hominis, scilicet animæ & corpori in triduo, & non erat unitum composito absque ulla partialitate & parte subsistentiæ divinæ.

QUÆSTIO III.

An accidentia immediatè à Deo assumptibilia sint.

NOTA est 1. quæstionem agere de assumptione immediata; certum enim est, quòd Verbum divinum assumpsit accidentia mediante natura substantiali, quæ ad conservationem naturæ necessariò requiruntur. 2. Personam divinam habere rationem personæ, suppositi, subsistentiæ & termini sustentantis; unde potest personare naturam, quæ personabilis est; suppositare, quæ suppositabilis est; & sustentare naturam, quæ petit terminum extrinsecum, ut sustentetur. 3. Accidens, ut notat Doctor in 3. dist. 1. quæst. 1. §. *de primo versu* dicere duplicem respectum ad subjectum; primus est terminati & sustentati, ad terminans & sustentans. Secundus verò est inhærentis, ad id cui inhæret. His suppositis.

Dico accidens esse immediatè assumptibile ad personalitatem seu subsistentiam divinam. Ita Scotistæ. Prob. 1. Omne dependens terminari potest ad independens independentia suæ dependentiæ opposita. Tum quia independentia est formalis ratio terminandi dependens. Tum quia per independentiam, dependens subsistit; sed Verbum divinum est independens in

in ratione ſuſtentantis, quæ eſt independentia oppoſita dependentiæ accidentis; nam accidens dependet ab alio tanquam à ſuſtentante extrinſeco: ergo dependentia accidentis poteſt terminari ad Verbum divinum, & ejuſdem ſubſiſtentia ſubſiſtere. 2. Verbum divinum habet vim infinitam independentem in ratione termini ſuſtentantis, ideòque terminare poteſt omne terminabile & dependens, ſecluſis imperfectionibus: ſed accidens eſt terminabile, id eſt terminari poteſt ad Verbum ſine imperfectione. Tum quia actualis terminatio accidentis à ſuo ſubjecto, non eſt de intrinſeco illius conceptu, ut patet in ſpeciebus Euchariſticis, quæ non terminantur actu per ſubjectum. Tum quia accidens eſt in potentia obedientiali in ordine ad Deum, ſicut ſubſtantia. Tum quia imperfectio quam accidens importat, non provenit ex ſuſtentatione & terminatione in ſubjecto, ſed ex inhæſione; at in perſona Verbi non eſſet in ſubjecto inhæſionis, ut patet; ſed tantùm in termino extrinſeco ſuſtentante: ergo accidens eſt aſſumptibile ad ſubſiſtentiam Verbi divini.

Obj. 1. Gonetus: Quod non eſt per ſe capax ſubſiſtentiæ propriæ, nequit immediatè aſſumi ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia divina: ſed accidens non eſt per ſe capax ſubſiſtentiæ propriæ: ergo non poteſt immediatè aſſumi ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia divina. Major patet; nam aſſumptio creaturæ ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia divina, fit ad hoc ut loco ſubſiſtentiæ propriæ, ſubſiſtentia divina ſubſtituatur in illa. Minor verò in qua eſt difficultas, prob. 1. Subſiſtentia ſubſtantialis, ſeu modus eſſendi per ſe, ita eſt proprius ſubſtantiæ, ſicut modus eſſendi per inhærentiam in alio, proprius eſt accidentis: ſed modus inhærentiæ ita eſt accidenti proprius, ut repugnet communicari ſubſtantiæ: ergo & modus per ſe exiſtendi, ita appropriatur ſubſtantiæ, ut

ut implicet competere accidenti. 2. Eadem minor suadetur: Subsistentia est ultimum complementum substantiæ in genere substantię, atque actus veluti secundus aptitudinis ipsius substantiæ ad essendum per se, sicut neque econtra substantia est capax ultimi complementi accidentis in genere accidentis: ergo accidens non est de se capax subsistentiæ propriæ.

Confirm. Nam assumi ad subsistendum divina subsistentia, est fieri ultimò completum in genere substantiæ per subsistentiam divinam: sed nequit accidens esse ultimò completum in genere substantiæ: ergo nec assumi ad subsistendum subsistentia divina. Major est certa, cùm enim subsistentia nihil aliud sit quàm ultimum complementum in genere substantiæ, assumi ad subsistendum subsistentia divina, est fieri ultimò completum in ratione substantiæ per divinam subsistentiam. Minor verò prob. Aliquid esse completum in genere substantiæ, necessariò supponit illud, quod sic dicitur completum, esse substantiam, sicut aliquid esse ultimò completum in genere entis vel accidentis, essentialiter supponit id, quod dicitur ita compleri, esse ens vel accidens; sed implicat accidens esse substantiam: ergo & esse ultimò completum in ratione substantiæ.

Resp. distinguendo majorem: Quod non est per se capax subsistentiæ propriæ, nequit immediatè assumi ad subsistendum subsistentia divina, in ratione subsistentis vel suppositati, concedo majorem; in ratione sustentati, & terminati, nego majorem. Distinguo similiter minorem: Accidens non est per se capax subsistentiæ propriæ, in ratione subsistentis aut suppositati, concedo; in ratione sustentati & terminati, nego minorem & consequentiam: quia dum dicimus accidens esse assumptibile ad subsistentiam divinam, non intédimus suadere acci-

dens

dens personari, subsistere, aut suppositari posse per subsistentiam divinam, sed tantùm sustentari & terminari, sicut sustentatur & terminatur per substantiam, seclusa inhærentia, quod non implicat; unde assumptio creaturæ ad subsistendum subsistentia divina, non fit ad hoc ut loco subsistentiæ propriæ, subsistentia divina substituatur in illa, nisi creatura sit capax personalitatis, suppositi, aut subsistentiæ; idcircò cùm accidens non sit aptum ad subsistendum, sed tantùm sustentari & terminari exigat, persona Verbi sustentaret & terminaret illud; cùm, ut dixi in notabili, habeat rationem termini sustentantis, sicuti subsistentiæ, suppositi, & personæ. Ad prob. minoris, concedo totum argumentum, quia accidens non subsisteret subsistentia Verbi, sicut natura humana subsistit, nec esset ultimum complemētum ejus intrinsecum, cùm ut optimè notat Gonet. modus essendi per se nequeat competere accidenti, sicut modus inhærentiæ nequit convenire substantiæ; sed sustentaretur à Verbo, sicut per substantiam sustentatur, seclusa inhærentia, quæ non est essentia accidentis, nec ejus unica & primaria ratio. Patet etiam confirmationem non militare contra nos, cùm subsistentia divina non compleret accidens, quatenùs subsistentia est & modus substantialis completivus substantiæ, sed quatenùs est terminativa aut sustentativa dependentium.

Quæres 1. An natura creata subsistens in propria persona, & propria personalitate retenta, possit assumi ad subsistentiam divinam? Resp. negativè: quia dependentia quam natura dicit ad personam, totaliter satiatur per propriam personalitatem. Tum quia ultimatè & adæquatè completur. Tum quia fit incommunicabilis ut *quod* & ut *quo*. Tum quia unum & idem à duobus totaliter dependere nequit: ergo propria personalitate retenta, natura nequit assumi à Verbo in unitate personæ.

Quæ-

Quæres 2. An hæc propositio (*Deus assumpsit hominem*) in rigore & proprietate sermonis sit vera? Resp. negativè: quia inde sequeretur, quòd Verbum assumpsisset non solùm naturam humanam, sed etiam personam, quam homo in rigore & proprietate sermonis includit: sed hoc est contra fidem: ergo non assumpsit hominem in rigore sermonis. Nec valet dicere in Conc. Tolet. 1. haberi, *Credimus Filium Dei ex utero Virginis assumpsisse hominem*, quia Patres Concilii sumebant hominem in abstracto, seu pro humanitate.

Eadem responsione solvuntur aliæ authoritates, quibus sacra Scriptura, Concilia & Patres indigitant hominem esse unum extremum unionis hypostaticę assumptum à Verbo divino, quales sunt illæ Joan. 1. *Verbum caro factum est*; ubi expositores vertunt, *Homo factum est*. Conc. Nicæn. *Et homo factus est*, & Hymn. *Te Deum laudamus*, ubi dicitur *Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum*, quia accipiunt totum pro parte, & concretum pro abstracto. Nam filius Dei assumpsit humanitatem, ut esset homo, non autem hominem subsistentem, seu includentem naturam & suppositum: certum enim est, quòd hæc propositio; *Petrus est humanitas*, est falsa; & ista, *Petrus est homo*, est vera. Ratio est, quia in prima, humanitas non pro habente naturam, sed solùm pro natura supponit; & in secunda, supponit pro habente naturam: ergo assumere hominem, propriè & rigorosè est assumere naturam suppositatam, aut habentem suppositum.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

An humanitas Christi, ut actu conjuncta Verbo divino, ejusque personalitate terminata, appetitu innato, subsistentiam propriam & sibi connaturalem appetat?

ADvertendum est, appetitum innatum, qui est propensio seu inclinatio ab authore naturæ indita, qua unaquæque res naturaliter & absque cognitione in suum bonum connaturale est propensa, dupliciter sumi posse, scilicet in actu primo & in actu secundo. In primo sensu, nihil aliud est quàm ipsa rei natura, secundùm se veluti naturaliter inclinata ad proprium bonum. In secundo sensu, nihil aliud est quàm operatio, aut quasi operatio naturæ tendentis in bonum sibi connaturale, v. g. ut advertit Gonet. gravitas in lapide est appetitus innatus seu naturalis in actu primo ad centrum; gravitare autem est appetitus naturalis in actu secundo.

Dico igitur humanitatem Christi actu unitam Verbo habere inclinationem seu appetitum innatum per modum actus secundi, ad propriam personalitatem. Ita Scotus quem sequuntur Vasquez & alii. Prob. 1. Appetitus naturalis alicujus rei etiam in secundo sensu consideratus, subsistit, donec gaudeat bono, ob quod ab authore naturæ inditus est: sed appetitus humanitatis Christi ad propriam personalitatem, est inditus ab authore naturæ ob suppositum aut personalitatem creatam: ergo donec gaudeat propria personalitate creata, habet appetitum innatum ad illam: sed humanitas Christi actu unita Verbo non gaudet propria personalitate, alias in Christo essent duæ personæ, quod est falsum: ergo

ergo habet actualem inclinationem ad propriam personalitatem. 2. Appetitus naturalis humanitatis Christi ad propriam personalitatem, est actualis & proxima potentia ad ipsam, aut capacitatem habendi propriam personalitatem: sed humanitas Christi unita Verbo habet naturalem capacitatem & potentiam proximam habendi propriam personalitatem. Tum quia personalitas Verbi est ipsi aliena. Tum quia si à Verbo dimitteretur, statim resultaret propria & connaturalis subsistentia: ergo humanitas Christi ut unita Verbo, manet cum actuali inclinatione ad propriam personalitatem.

Resp. Gonet. appetitum innatum esse capacitatem aut potentiam habendi perfectionem, qua natura actu caret tam in se, quàm in alio, quod suppleat perfectiori modo defectum illius; unde (inquit) cùm humanitas Christi unita Verbo, non sit in carentia propriæ personalitatis, tam in se quàm in alio supplente defectum illius, quia habet personalitatem Verbi quæ est perfectior, sequitur, quòd non habet capacitatem nec potentiam in actu secundo, ad propriam personalitatem.

Contra: In natura humana datur duplex potentia, obedientialis scilicet & innata: certum enim est, quòd inclinatio quam natura nuda habet ad propriam personalitatem, non est illa quam habet ad personalitatem Verbi: ergo licèt habeat personalitatem Verbi satiantem & complentem potentiam obedientialem, semper remanet cum actuali inclinatione ad perfectionem naturalem, potentiam aut capacitatem innatam satiantem & complentem, quia personalitas divina supplens defectum personalitatis propriæ, non satiat inclinationem naturalem, nec tollit exigentiam ad propriam personalitatem, sed tantùm indigentiam & necessitatem. *Prætereà*, appetitus innatus naturæ nō appetit actu res perfectiores ut tales, aliàs natura humana naturali-

raliter appeteret perſonari perſonalitate Verbi, ſed appetit res ſibi naturaliter debitas ut tales: ergo licèt unita Verbo, habeat perfectiorem perſonalitatem, ſemper remanet cum inclinatione naturali ad perſonalitatem ſibi debitam: nam ſi lapis nitente divina virtute detineretur ſurſum & ibi requieſceret, ſemper centrum naturale actu appeteret.

Obj. 1. Gonet. Potentia perfecta & completa per actum & formam perfectiorem, & eminenter formaliter continentem perfectionem alterius actus vel formæ imperfectioris, non habet naturalem appetitum ad illum actum vel formam minùs perfectam; ſed humanitas Chriſti aſſumpta à Verbo, completur & perficitur per ſubſiſtentiam increatam & infinitam Verbi divini, eminenter formaliter continentem totam perfectionem propriæ perſonalitatis: ergo humanitas Chriſti, ut completa illa divina perſonalitate, non ampliùs appetit ſubſiſtentiam propriam & connaturalem. Minor eſt evidens. Major prob. Tum quia potentia non inclinatur ad aliquem actum & formam, niſi ut ab illa perficiatur, compleatur & actuetur: ergo ſi potentia completa per actum vel formam nobiliorem, & eminenter formaliter continentem perfectionem alterius, majorem ab illo recipiat perfectionem & actualitatem, quàm reciperet ab actu vel forma imperfectiori, non habet rationalem inclinationem ad illum actum vel formam imperfectiorem. Tum etiam quia ſi potentia completa per actum perfectiorem & nobiliorem appeteret naturaliter imperfectiorem, ille appetitus naturalis fertur in malum ut ſic, quia minus bonum & minùs perfectum habet rationem mali reſpectu melioris & perfectioris.

Addo (inquit) quòd quælibet inclinatio eſt ſatiata & perfecta, quando attingit aliquid continens eminenter formaliter ſuum terminum:

ergo

ergo tunc non habet naturalem appetitum ad actum vel formam inferiorem. Consequentia patet, antecedens verò variis exmplis declaratur: In primis enim videmus appetitum naturalem hominis perfectè satiari per beatitudinem supernaturalem, nec desiderare naturalem, quando supernaturalem possidet, quia scilicet beatitudo supernaturalis eminentissimo modo continet totam perfectionem beatitudinis naturalis. Secundò, unusquisque appetit naturaliter acquirere scientias omnium rerum, si tamen alicui concederetur rerum omnium scientia infusa & beatifica, non haberet ampliùs appetitum scientiæ acquisitæ. Tertiò, si esset aliqua forma quæ contineret omnes perfectiones omnium formarum corruptibilium, tunc materia informata tali forma plenè satiaretur, nec alias appeteret; & si esset aliquid continens quidquid est in centro respectu lapidis, lapis in illo existens quiesceret sicut in centro, nec deorsum gravitaret: ergo quælibet inclinatio est satiata & perfecta, quando attingit aliquid continens eminenter formaliter suum terminum.

Resp. distinguendo majorem: Potentia perfecta & completa per actum & formam perfectiorem, & eminenter formaliter continentem perfectionem alterius actus vel formæ imperfectioris, non habet nataralem appetitum ad illum actum vel formam minùs perfectam, dum potentia tendit naturaliter ad illam formam perfectiorem sicut ad minùs perfectam, & illa forma perfectior vice versa ordinatur ad potentiam, sicut forma minùs perfecta, concedo majorem: secùs autem, nego, & concessa minori, nego consequentiam: quia humanitas Christi non tendit secundùm potentiam merè naturalem ad personalitatem Verbi, sed secundùm potentiam obedientialem: ergo quamvis sit perfectior, & perfectiones personalitatis propriæ contineat, nihilominùs humanitas proprio & con-

& connaturali bono privata manet. Ad 1. prob. majoris, nego consequentiam, quia potentia inclinatur ad formam pondere naturali, unde dum actuatur & perficitur per formam ad quam inclinatur, & cui unitur per potentiam obedientialem & à Deo supernaturaliter agente elevatam, ut contingit humanitati Christi, potentia semper remanet naturali pondere ad connaturale complementum & ad debitam formam inclinata. Ad 2. prob. nego sequelam, cùm falsum sit, ut patet in tract. de actibus humanis, minus bonum & minùs perfectum habere rationem mali.

Ad additum pariter dico, quòd quælibet inclinatio est satiata & perfecta, quando attingit aliquid continens eminenter formaliter suum terminum; quando attingit illud secundum naturale pondus, non verò dum attingit illud ex vi agentis aut ponderis alterius ordinis: quia inclinatio naturalis remanet ad proprium finem conversa, cùm ab ipso averti nequeat nisi per adeptionem ejusdem. *Ad primum exemplum*, dico, quòd Deus est finis naturalis hominis, & finis supernaturalis, & sic per beatitudinem supernaturalem appetitus naturalis hominis perfectè satiatur, nec desiderat alium finem naturalem, quia Deus est uterque finis; at licèt personalitas Verbi divini contineat eminenter personalitatem propriam seu creatam, tamen non est propria, nec creata: ergo humanitas Christi unita Verbo, semper remanet aversa à proprio bono entitativè sumpto; idcircò semper appetit illud in actu secundo. *Ad secundum*, dico, quòd non valet, quia homo naturaliter appetit scire & cognoscere, sed non appetit modum sciendi nec habendi scientias, & consequenter dum scit satiatur, sive sciat per laborem, sive per infusionem, sive per unum habitum scientiæ, sive per plures: At humanitas Christi nedùm appetit naturaliter personari, sed etiam

per

per tale suppositum, ad quod habet naturalem convenientiam & proportionem: ergo dum est actu unita Verbo, licèt sit personata & subsistat, nihilominùs retinet appetitum naturalem ad tale suppositum quo est privata, & ad quod naturaliter determinatè & specialiter tendit. *Ad tertium*, dico, quòd non valet, quia materia informata forma continente perfectiones omnium formarum corruptibilium, adhuc alias appeteret; quoniam appetit omnes formas in ordine ad compositum, & consequenter cùm informata tali forma etiam faceret compositum sicuti faceret cum aliis, semper appeteret alias licèt esset actuata, & perfectius compositum simul cum tali forma efficeret. Idem dico de lapide, si esset extra centrum, qui semper gravitaret actu & tenderet ad proprium centrum: ergo quamvis humanitas Christi unita personalitati divinæ, subsistat & personetur perfectè, cùm non subsistat nec personetur juxta inclinationem à natura inditam, semper appetit sic & connaturali modo personari.

Obj. 2. Si enim humanitas Christi naturaliter appeteret propriam subsistentiam, etiam appeteret naturaliter separationem sui à Verbo, quandoquidem eam habere non posset, nisi dimitteretur à Verbo, cùm personalitas increata & creata simul eamdem naturam terminare nequeant. Sicut si lapis naturaliter appetit locum deorsum, necessariò etiam & naturaliter appetit recedere à loco sursum, eò quòd simul in centro & in loco sursum existere nequeat. Item humanitas Christi pateretur violentiam in Verbo, quia privaretur illo quod naturaliter appetit; appetitus autem naturalis frustratus, violentiam patitur.

Resp. negando antecedens; quia humanitas Christi non appetit propriam personalitatem appetitu elicito & efficaci, qualis requiritur ut appetendo propriam personalitatem, appetat sepa-

ſeparationem à Verbo: nam materia appetitu innato appetit formas quas non habet, tamen non appetit deſtructionem formæ quam habet, quia, ut dicunt Philoſophi, appetit appetitu innato & deſiderii: Idem dico igitur de humanitate Chriſti. Nec patitur violentiam, quia violentia aut appetitus fruſtratus provenit à forma oppoſita, vel à carentia ſimpliciter formæ; ſed humanitas Chriſti non informatur forma oppoſita, nec remanet informis ſimpliciter: ergo nullam violentiam patitur, licèt naturaliter deſideret propriam perſonalitatem.

Accidens Euchariſticum, ſeu ſeparatum à ſubjecto, exiſtit perfectiori modo, quàm ſi inhæreret ſubjecto; tamen appetit inhærentiam quando ſeparatum eſt, licèt nullam patiatur violentiam: intellectus etiam in patria, qui videt Deum in ſe, appetit adhuc cognoſcere illum connaturali modò, ſcilicet ex effectibus, nullam tamen patitur in ſe violentiam; quia forma quam habet, modo perfectiori complet & ſatiat, ſed non exhaurit inclinationem ſeu modum connaturalem; ac proinde humanitas Chriſti retinet appetitum innatum ad ſubſiſtentiam connaturalem, licèt ſubſiſtat modo perfectiori: aliud quippè eſt perfectius, & aliud connaturalius, & licèt illud expellat iſtud in actualitate aut exercitio, ita ut illo poſito, ſæpè non ponatur iſtud; numquam tamen expellit illud quantùm ad inclinationem & appetitum ſubjecti: qua de cauſa res perfectiores & ordinis altioris, dum adveniunt, connaturali non adveniente, dicuntur vices gerentes aut ſupplentes, ut agnoſcatur, naturales eſſe proprias, debitas & appetitas à ſubjecto, quia gerere vices alterius, eſt gerere vices alterius debiti & neceſſarii, neceſſitate rei exigentis aliquo titulo præſentiam illius, cujus vices geruntur. Idcircò humanitas Chriſti in qua perſona Verbi gerit vices perſonalitatis humanæ,

næ, habet appetitum ad ipsam subsistentiam humanam, quæ debetur illi, estque illi connaturalis. Natura secundùm appetitum innatum præfert supernaturalibus naturalia, cum quibus habet naturalem proportionem, & majorem convenientiam ab intrinseco & naturaliter.

QUÆSTIO V.

An Verbum divinum ad suam subsistentiam, sanguinem, aliosque humores corporis Christi assumpserit?

DIco, quòd sanguis corporis Christi hypostaticè Verbo divino unitus est, sive ad ejus subsistentiam assumptus. Prob. 1. Verbum assumpsit immediatè perfectum & integrum corpus humanum: ergo assumpsit immediatè sanguinem. Antecedens patet, consequentia prob. Sanguis pertinet ad integritatem & perfectam consistentiam corporis: ergo fuit immediatè assumptus. Prob. antecedens 1. Remoto sanguine, corpus humanum non est essentialiter substantialiter perfectum: ergo pertinet ad perfectionem & integritatem corporis. 2. Anima exercet in corpore plures operationes vitales mediante sanguine, ut patet in motibus iræ, timoris, gaudii: irascimur enim dum sanguis fervet, timemus dum contrahitur, & gaudemus dum diffunditur; ergo pertinet ad integritatem & perfectionem essentialem corporis. 3. In die judicii corpora resurgent cum sanguine, ut docent omnes Theologi: ergo est de integritate corporis; nam si esset purum alimentum corporis, non verò de constitutione naturæ humanæ, nec de integritate corporis, non resurgeret, quia corpora gloriosa non indigent alimento.

Confirm. Redemptio hominum tribuitur sanguini Christi: ergo spectat ad integritatem corporis, & est immediatè unitus Verbo. Antecedens patet, 1. Joan. 1. *Sanguis Iesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato*, Et ad Ephes. 1. *In quo* (scilicet in Christo) *habemus redemptionem per sanguinem ejus*, Nec valet dicere, quòd redemptio tribuitur sanguini, quia à persona Christi effusus est, & unitus Verbo mediatè: Non valet, inquam, quia sequeretur, quòd pretium salutis nostræ conveniret lacrymis, cùm à persona Christi proveniant, & Verbo mediatè uniantur. Consequentia verò prob. quoad 1. partem: Verbum assumpsit corpus mortale & passibile, ut per mortem crucis homines redimeret: ergo sanguis quem Christus pro salute nostra obtulit, est pars hujusmodi hostiæ, & ad integritatem corporis assumpti spectat, Prob. quoad 2. partem, Clemens VI. in extravag. *Vnigenitus* sancit unam guttam sanguinis Christi propter unionem ad Verbum esse sufficientem pro redemptione totius generis humani: ergo est immediatè unitus Verbo.

Prob. 2. Verbum divinum ponitur sub speciebus panis ex vi verborum, *Hoc est &c.* Ratio est, quia Verbum est immediatè unitum corpori; sed idem Verbum ponitur sub speciebus vini ex vi verborum, *Hic est enim calix sanguinis &c.* ergo Verbum debet esse immediatè unitum sanguini sicut corpori; aliàs poneretur sub speciebus vini per concomitantiam, seu ratione corporis cui esset unitum, sicut sanguis per concomitantiam ponitur sub speciebus panis, seu ratione corporis cui unitur; & corpus sub speciebus vini ratione sanguinis cui unitur, quod est falsum: ergo sanguis unitur Verbo immediatè sicut corpus.

Dices 1. Sub speciebus panis ponitur ex vi verborum idem corpus integrum quod Verbum assumpsit; sed ex vi verborum sub spe-

cie-

ciebus panis non ponitur sanguis, sicut ponuntur corpus, manus &c. ergo sanguis non est pars corporis Christi à Verbo immediatè assumpti. Resp. distinguendo majorem; Sub speciebus panis ponitur ex vi verborum idem corpus integrum, quantùm ad ea quæ spectant ad primariam integritatem & constitutionem corporis, concedo; quantùm ad ea quæ spectant ad integritatem operationis, & constitutionem secundariam, nego majorem, & concessa minori, nego consequentiam; quia sanguis, licèt non sit pars integralis corporis in primaria constitutione sicut caput, manus & aliæ partes solidæ, tamen est pars integralis integritate operationis. Tum quia est pars humanitatis. Tum quia requiritur, ut corpus vita perficiatur. Tum quia est id quo mediante anima exercet operationes vitales: ergo est pars corporis assumpti, licèt non ponatur sub speciebus panis ex vi verborum, sicut caput. Ratio hujus discriminis est. 1. Quia Verbum divinum assumpsit corpus humanum, ut esset homo sicuti cæteri homines (absque peccato) ideòque assumendo corpus, assumpsit sanguinem; at in Eucharistia instituit sacrificium & Sacramentum, in memoriam Passionis & crucis, in qua sanguis fuit à corpore separatus; ideòque dum corpus ponitur ex vi verborum *Hoc est &c.* sub speciebus panis, non ponitur sanguis nisi per concomitantiam. 2. Quia illa verba consecrationis significant corpus Christi per modum cibi; & verba consecrationis, *Hic est enim calix &c.* significant sanguinem per modum potus: ergo.

Dices 2. Si Verbum divinum assumpsisset immediatè sanguinem, sequeretur 1. quòd assumpsisset duas naturas. 2. quòd Verbum per communicationem idiomatum posset dici sanguis; sed utrumque est falsum. Resp. negando utramque sequelam majoris. 1. Quia san-

guis & corpus non sunt duæ naturæ in humanitate, absolutè & simpliciter loquendo, cùm corpus & sanguis ordinentur ad integram & completam humanitatem constituendam: nam ex adversariis, Verbum assumpsit corpus & animam rationalem; tamen non assumpsit duas naturas, quia corpus & anima ordinantur ad hominem; ita similiter non assumpsit duas naturas, licèt assumpserit corpus & sanguinem, quia ordinantur ad integram constitutionem naturæ humanæ. 2. Quia communicatio denominationis non desumitur à partibus, aliàs Verbum diceretur anima, corpus, manus, pes &c. quod tamen non licet ex communi usu Doctorum: ergo Verbum non debet dici sanguis sicut homo, nec sicut caro; quia homo aut caro est natura integra, & sanguis est pars humanitatis aut naturæ.

Dices: Verbum non assumpsit, quod semel dimisit, juxta illud vulgare D. Damasc. effatum, *Quod semel assumpsit, numquam dimisit*: sed aliquando dimisit sanguinem, ut patet ex Bulla Pii II. ad Abbatem S. Mariæ Xantonensis Diœcesis, ubi summus Pontifex dicit, veritati fidei non repugnare, asserere Redemptorem nostrum de sanguine effuso in cruce, ob ipsius Passionis memoriam, partem aliquam in terris reliquisse: ergo non assumpsit sanguinem. Resp. concessa minori, ut patet in spina sacelli Regii Parisiensis, in ferro lanceæ Romæ asservato, in sacra sindone Taurinensi, in ampulla vitrea S. Mariæ Magd. apud S. Maximinum in Gallo Provincia; majorem esse falsam. Ad illud D. Damasc. dico intelligendum esse de partibus integris, adæquatè sumptis, seu de toto sanguine; & solidis, non de partibus fluidis & quæ non sunt absolutè necessariæ ad integritatem physicam & primariam corporis humani, quales sunt aliquæ guttæ sanguinis, quæ servantur in terris, quas non reassumpsit resurgendo, quia ad integritatem corporis minimè sunt necessariæ. Idem dico de præputio, quod

quod si apud nos adhuc remaneat, non est hypostaticè unitum Verbo divino, ut existimant plures Doctores.

Ex dictis inferes 1. Verbum assumpsisse immediatè pituitam, choleram, melancholiam & phlegmam, spiritus vitales & animales. Tum quia sunt de integritate hominis, & ad veritatem corporis humani pertinent sicut sanguis. Tum quia commiscentur cum vero & proprio sanguine. 2. Verbum hypostaticè assumpsisse immediatè dentes, ungues & capillos, ut tenent Mastrius, Delgadillo & alii. Tum quia Scotus in 3. dist. 6. q. 1. loquitur de his partibus, sicut loquitur de carne ipsa. Tum quia spectant ad integritatem & perfectionem naturæ assumptæ, qua ratione in sententia omnium Theologorum homines resurrecturi sunt cum capillis & unguibus. Tum quia non solùm serviunt ad ornatum, sed etiam habent specialia munera in corpore, & ad debitam aliarum partium conservationem requiruntur. 3. Inferes Verbum non assumpsisse hypostaticè lacrymas, sudorem, salivam & alias superfluitates & excrementa humani corporis; quia sunt excrementa quæ ad integritatem aut perfectionem ejus non pertinent.

Nec pertinent, seu nec conferunt ad finem incarnationis, nempè hominum salutem; & consequenter non est ratio, ob quam partes illæ excrementitiæ fuerint assumptæ immediatè à Verbo divino: nam Filius Dei assumpsit id, quod assumpsit, immediatè, ut esset verus homo, & factus est homo, ut homines redimeret, & consequenter assumpsit immediatè id quod pertinet ad integritatem humani corporis, & confert directè vel indirectè ad finem incarnationis, nempè ad hominum salutem.



DISPUTATIO IX.

De ordine assumptionis.

EXaminatis unionis hypostaticæ extremis, nimirùm persona assumente & natura assumpta, modò examinandus est assumptionis ordo.

QUÆSTIO I.

An priùs fuerint assumptæ partes humanitatis, quàm tota humanitas, & anima Christi priùs fuerit unita Verbo, quàm corpus?

DIfficultas non est de prioritate temporis, sed de prioritate naturæ secundùm ordinem executionis: certum enim est 1. quòd in eodem instanti temporis assumpsit corpus & animam. 2. quòd ordine intentionis priùs assumpsit naturam, quàm partes. Unde

Dico 1. Quòd ordine executionis priùs natura fuit assumpta à Verbo humanitas, quàm partes. Prob. 1. Verbum primò & immediatè unitur humanitati: ergo priùs natura assumpsit humanitatem, quàm partes. Consequentia patet; nam ordo assumptionis idem est ac ordo unionis hypostaticæ; & assumptio humanitatis à Verbo, nihil aliud est, quàm unio humanitatis cum Verbo. Antecedens verò prob. 1. Verbum incarnatione primò & immediatè est homo,

mo, & econverso. Tum quia prædicatio, *Deus est h mo*, est immediata & primaria. Tum quia colligitur ex Symb. Athanas. *Sicut anima & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus*: Unde sicut anima unitur immediatè & primariò carni, & caro animæ; ita divinitas unitur in persona Verbi primò & immediatè humanitati & humanitas divinitati: ergo Verbum primò & immediatè unitur humanitati, & consequenter priùs natura assumpsit humanitatem, quàm partes. Prob. 2. principale antecedens: Verbum divinum unitur primò & immediatè illi, quod primò terminabile erat; assumpsit enim naturam humanam juxta dispositiones & exigentiam ejusdem naturæ: sed humanitas est priùs terminabilis, quàm partes: ergo Verbum priùs natura unitur humanitati, seu priùs assumpsit humanitatem.

Prob. minor 1. Verbum divinum terminavit naturam in ratione personæ: ergo priùs terminavit, quod erat personandum & complendum; sed humanitas erat personanda & complenda; anima erat completa in ratione animæ, & corpus in ratione corporis; prætereà, corpus completur per animam, ideòque humanitas sola erat personanda & complenda, ut resultaret homo completus: ergo priùs natura terminavit & assumpsit humanitatem, quàm partes. 2. Partes dependent dependentia totius, & præcipuè apud Thomistas qui subsistentias partiales non dari contendunt; idcircò subsistunt subsistentia totius: ergo Verbum, quod gerit vices subsistentiæ totius, priùs natura terminat dependentiam humanitatis. 3. Verbi personalitas non sustentat nec personat partes, ut sustentet & personet humanitatem; in triduo enim sustentabat partes, & non sustentabat totum, nec erat homo; sed econtra sustentat & personat humanitatem, ut sustentet & personet partes, & ut sit homo: ergo subsistentia pri-

mò debetur humanitati, & consequenter humanitas priùs natura fuit assumpta, quàm partes. 4. In illo instanti naturæ, in quo Verbum assumpsit naturam humanam, subsistentia deficiebat primò humanitati. Tum quia eam exigebat ratione sui, partes verò ratione humanitatis. Tum quia subsistentia quam Deus impedivit, erat subsistentia humanitatis: ergo subsistentia Verbi fuit priùs natura communicata humanitati.

Dico 2. Verbum divinum priùs natura assumpsisse animam quàm corpus. Hæc conclusio est communis: Verbum enim priùs natura unitur animæ, quàm corpori, quia D. August. Damasc. Nazian. dicunt Verbum assumpsisse corpus media anima, seu per animam: ergo priùs assumpsit animam quàm corpus. *Deinde*, anima est medium *quo* assumptionis corporis, ut patet apud Theõlogos nostros: ergo est priùs natura assumpta.

Obj. 1. Gonetus: Eodem modo communicata fuit subsistentia divina (mediante qua facta fuit assumptio) toti humanitati & ejus partibus, quo eis convenit subsistentia humana eis connaturalis; sed subsistentia humana in ordine executionis priùs natura convenit animæ rationali, deinde corpori cui unitur per informationem, & denique toti humanitati ex utroque resultanti: ergo ordine executionis priùs natura fuerunt assumptæ partes humanitatis, quàm tota humanitas. Major patet; nullum enim est fundamentum invertendi in assumptione humanitatis ad Verbum, modum & ordinem naturalem, cùm non sint multiplicanda miracula sine necessitate, & gratia non minùs abhorreat à superfluo, quàm natura. Minor verò prob. ex D. Thom. 1. p. q. 76. art. 1. ad 5. & de spiritualibus creaturis art. 3. ad 3. cujus verba brevitatis gratia omitto. Ratio etiam id suadet, nam anima rationalis fit per creationem: ergo

per

per illam accipit esse subsistentiæ, & non per generationem; sed per hoc quòd unitur corpori, non amittit illud esse, aliàs frustra produceretur à Deo per creationem: ergo priùs natura subsistit, quàm uniatur corpori, subindeque priùs natura illi convenit subsistentia, quàm toti humanitati.

Resp. concessa minori, negando majorem: Magnum siquidem est fundamentum subvertendi in assumptione humanitatis ad Verbum, modum & ordinem naturalem quem in communicatione subsistentiæ natura servat. 1. Quia in generatione partes necessariò præcedunt totum ut *quod*, seu sunt causa productiva totius, ideoque priùs natura subsistunt; cùm si non subsisterent, nunquam totum resultaret nec subsisteret; at in assumptione, partes non sunt medium *quod*, nec causa per quam totum est assumptibile, aliàs Verbum non potuisset de potentia absoluta priùs natura assumere totum quàm partes, quod est improbabile; nam in eodem signo in quo Verbum assumpsit partes, totum erat assumptibile: ergo est fundamentum subvertendi modum. 2. Subsistentia naturalis resultat ex re cujus est; subindeque cùm partes præcedant totum, priùs subsistunt: at subsistentia divina provenit ab extrinseco: ergo non servat ordinem subsistentiæ naturalis, sed ordinem sibi convenientem; unde cùm Verbo primò conveniat humanitas, priùs natura assumpsit humanitatem, quàm partes. 3. Actio assumptiva humanitatis debet incipere ubi desinit actio causativa ejusdē. Tum quia partes includuntur in humanitate assumenda, ideoque assumens non potest assumere partes inclusas, nisi consequenter ad humanitatem partes includentem: nam qui sumit ignem v. g. priùs accipit calorem, quàm ignem, & priùs ignem seu compositum, quàm materiam & formam: qui destruit, priùs destruit totum, quàm partes.

Tum quia actio causativa agit, ut res sit & existat, ideoque incipit per ea quæ rem ab intrinseco & essentialiter constituunt; at actio assumptiva non agit, ut res sit, cùm ipsam supponat; sed ut subsistat: ergo non incipit, ubi incipit actio causativa, sed ubi desinit, cùm actio extrinseca qualis est assumptiva, ad interiora perveniat per exteriora: ergo subsistentia divina non fuit communicata humanitati eodem modo quo communicata fuisset subsistentia connaturalis.

Obj. 2. Per animam rationalem constituitur humanitas in esse humanitatis, & consequenter in esse assumptibilis: ergo est medium quo humanitas fuit assumpta à Verbo, quàm tota humanitas. Similiter corpus est causa materialis constituens humanitatem: ergo est etiam medium quo tota humanitas unitur Verbo divino. Prob. consequentia: quod enim constituit humanitatem in ratione totius, reddit eam in suo genere aptam, ut completè subsistat: ergo etiam ut aliena subsistentia personam constituente terminari possit.

Resp. argumentum non militare contra nos, quia non probat Verbum priùs natura assumpsisse partes ut *quod* quàm totum, ut contendit conclusio nostra; sed probat partes esse medium *quo* assumptionis totius humanitatis, quod certissimum est apud omnes: nam anima est causa, cur humanitas sit assumptibilis, sed non est causa priùs assumpta à Verbo, nec in ipso priùs subsistit, licèt reddat humanitatem aptam, ut completè subsistat.

Obj. 3. Ordo intentionis & ordo executionis in essentialiter subordinatis (qualiter sunt partes & totum) opposito modo se habent, ita ut, quod est primum in intentione, sit ultimum in executione, & econtra: ergo cùm in intentione priùs sit assumpta humanitas, quàm ejus partes, in executione priùs assumptæ sunt ipsæ partes, quàm tota humanitas. Resp. argumentum esse

ve-

verum in ordine causalitatis, & falsum in ordine assumptionis, ut patet ex responsione ad primum argumentum.

Dices contra secundam conclusionem: Verbum non assumpsit corpus mediante anima: ergo non assumpsit priùs natura animam, quàm corpus. Consequentia patet, quia posterius assumitur mediante priori; ideòque si corpus non fuerit assumptum mediante anima, sequitur ipsum Verbum non assumpsisse priùs natura animam, quàm corpus. Probatur igitur antecedens: Si Verbum divinum assumpsisset corpus mediante anima, sequeretur, quòd hoc ipso, quòd per mortem separata fuisset anima à corpore, dissoluta fuisset unio ipsius corporis cum Verbo; deficiente enim medio quo unum unitur alteri, deficit etiam unio cum eodem, sicque deficiente unione animæ cum corpore, deficeret unio Verbi cum corpore cui unitur mediante anima unita corpori; sed hoc est falsum: quod enim fuit à Verbo semel assumptum, nunquam fuit dimissum: ergo, &c.

Respondeo negando antecedens: nam anima est causa, cur corpus est assũptibile à Verbo divino ex *vi* præsentis decreti: & nego sequelã. Tum quia ut ex separatione unius ab alio, sequatur separatio alterius, seu ex separatione animæ à corpore, sequatur separatio Verbi ab eodem corpore, requiritur, quòd corpus fuerit assumptum mediante ipsa anima ut medium *quod* priùs assumptum, non autem ut mediũ *quo*, in quo sensu anima est medium assumendi corpus. Tum quia licèt anima sit causa assumendi corpus, tamen nõ est causa qua mediante conservatur unio Verbi cum corpore: multa enim ab alio dependent in fieri, à quo tamen non dependent in conservari, ut monet D. Thomas: ergo licèt Verbum fuerit unitum corpori mediante anima ipsi unita, potuit tamen idem corpus remanere unitum Verbo in triduo, quamvis ab anima separatum.

QUÆSTIO II.

An gratia habitualis habuerit rationem medii, seu dispositionis physica aut moralis, ad unionem hypostaticam?

DIco, quòd gratia habitualis non est medium disponens humanitatem ad unionem hypostaticam. Prob. 1. Omne medium disponens, est priùs in subjecto, quàm forma seu res ad quam disponit; sed gratia habitualis non fuit priùs in anima Christi, quàm subsistentia Verbi; imò nec debuit, nec potuit esse: ergo non est medium physicum, nec morale, nec congruum ad unionem hypostaticam. Major patet. Minor verò prob. 1. Christi anima eo naturæ ordine habuit subsistere in Verbo, ait Gonet. hic n. 20. ex D. Thoma, quo de se debuisset subsistere propria subsistentia, si ab illo assumpta non esset; at si assumpta non fuisset ad subsistentiam Verbi divini, priùs natura habuisset subsistere sua subsistentia, quàm recipere gratiam sanctificantem: ergo anima Christi priùs natura habuit subsistentiam Verbi, quàm gratiam sanctificantem. 2. Gratia habitualis est principium operandi, cùm, ut dixi in proprio loco, sit indistincta à charitate: ergo non potest esse nisi in subjecto, quod sit operationis capax. Subsumo: sed nullum subjectum potest esse capax operationis, quin subsistat; ut est evidens: ergo humanitas Christi priùs fuit subsistens subsistentia Verbi qua subsistit, quàm informata gratia habituali. 3. In quolibet subjecto essentialiter & intrinsecè constituendo, essentialia & substantialia præcedunt accidentalia & extranea: ergo subsistentia quæ est de constitutivo & complemento substantiali huma-


humanitatis, præcedit gratiam quæ accidentaliter perficit. 4. Si gratia habitualis esset priùs in humanitate Christi, quàm subsistentia Verbi, in illo priori Christus esset Filius adoptivus Dei, cùm gratia sit forma adoptionis; sed hoc est falsum: ergo.

Dices 1. Subsistentia divina est supernaturalis: ergo nequit communicari humanitati quæ naturalis est, quin priùs sit disposita & elevata per gratiam habitualem, quæ est qualitas supernaturalis. Resp. negando consequentiam; quia quod elevatur ad formam supernaturalem terminativam in ratione sustentantis, & constitutivam in ratione ultimi complementi, non debet priùs esse dispositum & elevatum per aliquam dispositionem superadditam, sicut dum elevatur ad formam quæ constituit in ratione operantis: ergo humanitas terminari potest & uniri subsistentiæ supernaturali, quin per gratiam habitualem disponatur; sed sufficit, quòd sit communicabilis & terminabilis.

Dices 2. Verbum & humanitas maximè distant: ergo non possunt uniri sine aliquo disponente. Resp. negando consequentiam, quia Verbum & humanitas non uniuntur tanquam actus & potentia, sed tanquam terminans & terminabile, ad quod nulla requiritur dispositio distincta, sicut ad unionem actus à potentia maximè distantis, cum ipsa potentia.

Vel nego consequentiam, quia ut ea quæ maximè distant, uniantur, non egent aliquo disponente ea, sed solùm aliquo approximante ea, cùm maximè distantium unio, primò & per se exigat approximationem eorumdem. Tandem nego consequentiam de gratia habituali; dato enim, quòd humanitas aliquam exigat dispositionem, non sequitur tamen ipsam esse gratiam sanctificantem, quia non tollit, nec tollere potest distantiam infinitam quæ est inter humanitatem & divinitatem, subinde-

deque gratia non poteſt eſſe diſpoſitio illa quam exigit argumentum: ergo nullo modo eſt diſpoſitio, ſeu nec phyſica, nec moralis ad unionem hypoſtaticam, ut ſuadet illud Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus quaſi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis*, quibus verbis ſanctus Joannes ſignificat, quòd Chriſtus habuerit plenitudinem gratiæ, quia erat unigenitus Dei filius, ſeu gratiam fuiſſe collatam Chriſto priùs natura ſubſiſtenti, ut inquit Scotus in 3. diſt. 2. quæſt. 2. §. *quantum ad articulum*. Ergo gratia habitualis exiſtens in anima Chriſti non fuit diſpoſitio ad unionem hypoſtaticam.



DISPUTATIO X.

De gratia Chriſti.

De omnibus divinis chariſmatibus, eximiiſque Chriſti dotibus in hac diſputatione agendum eſt, & primò de gratia. Unde ſit.

QUÆSTIO I.

An humanitas Chriſti ſanctificetur formaliter per aliquod donum ſubſtantiale, à gratia habituali diſtinctum?

Dico, quòd humanitas Chriſti Domini eſt grata, & ſancta formaliter per gratiam habitualem. Ita Scotus in 3. diſt. 10. in fine. Prob. Divi-

Divinitas prout à personalitate distincta virtualiter, non sanctificat formaliter humanitatem Christi: ergo sanctificatur per gratiam habitualem. Consequentia est evidens: Nam ex Goneto hìc art. sequenti (quem omittam, quoniam in hac quæstione solvetur) humanitas Christi non sanctificatur à modo unionis, seu per unionem quam aliqui Thomistæ inter humanitatem & Verbum constituunt, nec per personalitatem Verbi, sed per divinitatem, inquit: Unde si antecedens sit falsum, consequentia est evidens. Prob. igitur antecedens. 1. Divinitas est immensa & infinita sicut sancta; sed non reddit humanitatem Christi formaliter immensam nec infinitam: ergo nec formaliter sanctam, cùm non sit major ratio. 2. Ut divinitas præstet formaliter humanitati sanctitatis effectum, requiritur, quòd ei ut forma physica uniatur, vel per solam terminationem, ut fatetur Gonet. n. 56. sed divinitas non potest per modum formæ physicæ humanitati uniri; cùm physica informatio dicat imperfectionem naturæ divinæ repugnantem, ut fatetur etiam Gonet. Nec per terminationē unitur humanitati, ut existimat & respondet Gonet. Nam ut divinitas per terminationem sanctificet formaliter humanitatem, oportet, quòd eam terminet immediatè & formaliter, aliàs sanctificaret mediatè & identicè, non verò formaliter & ratione unionis cum divinitate, sicut est infinita & ubique ratione termini, non autem ratione alicujus in se existentis: ergo divinitas non sanctificat formaliter humanitatem Christi. 3. Esse formaliter sanctum est esse sanctum intrinsecè: sed divinitas licèt terminet humanitatem, est extrinseca respectu ejusdem: ergo non sanctificat formaliter & intrinsecè ipsam; subindeque sanctificatur per aliquid intrinsecè sanctificans, & formaliter in ipsa existens; aliàs anima justi esset sanctior anima Christi, cùm esset sancta intrinsecè, & anima Christi extrinsecè:

ex

ex quo sequitur humanitatem Christi per divinitatem esse sanctam personalitet tantùm, quia humanitas ex vi unionis hypostaticę præcisè aliquam eximiam acquirit sanctitatem ob intimam & physicam conjunctionem cum Verbi personalitate, quam non haberet purus homo quantumcumque gratia habituali persusus, non verò formaliter & in ordine ad vitam æternam.

Prob. 2. Effectus formalis & primarius alicujus formæ non potest præstari ab alio quàm ab ipsa forma, cùm nihil aliud sit quàm ipsamet forma ut communicata subjecto: sed esse formaliter sanctum est effectus formalis & primarius gratiæ habitualis, ut docent omnes Theologi, juxta Trident. sess. 6. cap. 7. ergo anima Christi non est formaliter sancta per divinitatem, sed per gratiam habitualem.

Resp. Gonet. concessa majori, distinguendo minorem: Esse formaliter sanctum sanctitate accidentali, est effectus formalis gratiæ habitualis, concedit minorem; esse formaliter sanctum sanctitate substantiali, negat minorem & consequentiam: Nam per unionem hypostaticam (inquit) anima Christi non habet, quòd sit formaliter sancta sanctitate accidentali, sed substantiali atque personali.

Contra: Anima Christi non potest formaliter sanctificari sanctitate increata, substantiali, & sanctitate creata accidentali, seu substantialiter formaliter, & accidentaliter formaliter: ergo. Prob. antecedens: quia tota capacitas humanitatis in ordine ad sanctificari, expleri potest per gratiam unionis, substantialiter sanctificantem: ergo tota expletur, nec aliam recipere potest; cùm virtus sanctificandi quæ est in Verbo, communicetur humanitati, quantùm communicari potest; ideoque si per sanctitatem increatam sanctificetur formalirer & in ordine ad vitam æternam, nequit iterùm sanctificari formaliter in ordine ad vitam æternam accidentali sancti-

tate.

tate. *Deinde*, ex Thomistis, humanitas est infinitè sancta per sanctitatem increatam: ergo nequit per gratiam seu sanctitatem accidentalem sanctificari. Tum quia infinito nihil potest addi. Tum quia sanctificari per sanctitatem increatam; & sanctificari per sanctitatem accidentalem & creatam, sunt in eodem sanctitatis ordine respectu humanitatis; sicut compleri per subsistentiam increatam, & compleri per subsistentiam creatam: ergo quemadmodum humanitas per subsistentiam increatam formaliter completa, nequit compleri per creatam; ita pariter humanitas formaliter & actu sanctificata per sanctitatem increatam, nequit sanctificari per sanctitatem creatam: sed certum est apud omnes Theologos, quòd sanctificatur per gratiam habitualem: ergo non sanctificatur actu & formaliter per gratiam unionis; sed tantùm personaliter, quia sanctitas increata substantialiter, formaliter & actu sanctificans, continet sanctitatem creatam seu gratiam habitualem, & sanctificat nobiliori modo: ergo si humanitas Christi sanctificetur formaliter & actu in ordine ad beatitudinem per sanctitatem superiorē seu increatam, superflua est sanctitas creata & inferior.

Prob. 3. Christus quatenùs est homo & prædestinatus, convenit univocè cum aliis prædestinatis & sanctis. Tum quia est eorum caput & exemplar, juxta illud ad Rom. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*. Tum quia est beatus formaliter visione beatifica creata, sicut alii sancti & prædestinati: sed alii sancti & prædestinati sanctificantur formaliter & actu per gratiam habitualem, & beatificantur per actum visionis beatificæ & actum fruitionis: ergo Christus est sanctus formaliter per gratiam habitualem, per quam alii sancti sunt, sicuti est beatus formaliter per id per quod alii sunt beati, seu per actus visionis & fruitionis.

Obj.

Obj. 1. Gonetus: Conc. Francfor. (omitto Authoritates D. Thomæ) epist. ad Episc. Hispaniæ ait, *Christus natura unctus, non per gratiam, quia in illo plenè fuit divinitas.* Et Cyril. lib. 4. in Joan. cap. 29. *Christum unctum esse, non sicut alios sanctos & reges, sed quia Verbum caro.* Item Nazian. orat. 36. inquit, *Christus dicitur propter divinitatem, ea enim unctio est humanitatis, non operatione, ut in Christis cæteris, ungens, sed totius ungentis præsentia, cujus hic effectus est, ut id quod ungit, homo nuncupetur, & quod ungitur, Deus fiat.* Et ibidem subdit Christum esse, *Divinitate delibutum, hæc enim humanitatis unctio est.* Similiter Damasc. lib. 1. de imaginibus. Demum Germanus Patriar. Constantinop. dicit Christum esse unctum tamquam Regem & Sacerdotem, unctione incarnationis; ex quibus locis sic licet arguere: Apud Patres Ecclesiæ idem est esse unctum ac sanctum formaliter, unde Justi, *Christi* vocantur, juxta illud Psalm. 104. *Nolite tangere Christos meos:* sed Christus in quantùm homo, est substantialiter unctus à divinitate, quæ, ut ait Nazian. *Humanitatis unctio est:* ergo Christus in quantùm homo, est substantialiter sanctus per aliquod donum à gratia habituali distinctum.

Resp. Concilium per *Ly natura* non intelligere naturam esse formalem sanctitatem Christi, sed Christum esse sanctum ab instanti conceptionis, sicut homines dicuntur natura filii iræ, id est, ab instanti conceptionis, non verò per naturam tamquam per formam; & per *Ly non per gratiam*, intelligere Christum non esse sanctum gratis, nec per merum favorem sicut alii sancti, quoniam sanctitas aut gratia sanctificans, Christo erat debita, saltem ex congruentia, ut advertit Boyvinus, quia in illo plena fuit divinitas, quæ cùm nequeat sanctificare formaliter, gratiam sanctificantem exigebat in Christo: ergo ex Concilio, Christi humanitas non est for-

maliter sancta per quid distinctum à gratia habituali. Ad SS. Patres dico, quòd non loquebantur de forma qua Christus est sanctus & unctus, sed de modo & gradu, ac si dixissent Christum non esse sanctum sanctitate positiva, qua sancti operatione transeunt à statu peccati ad statum gratiæ; nec sanctitate mutabili, neque unctum unctione sensibili, veluti Sacerdotes & Reges, sed unctione interna & invisibili; ideòque SS. Patres non dicunt humanitatem Christi non esse formaliter sanctam per formam seu gratiam habitualem, qua nos sancti sumus, sed tantùm non esse sanctam eodem modo, nec eodem gradu, cùm sit sancta per gratiam habitualem à primo instanti conceptionis, ex congruentia &c. *Ad argumentum*, dico esse unctum, dupliciter sumi posse, 1. in ordine ad cultum, 2. in ordine ad vitam æternam, quæ est sanctitas perfecta & consummata: In primo sensu, vasa sacra uncta sunt, B. Virgo uncta fuit etiam, crux &c. In secundo sensu, uncti sunt Filii Dei, seu sancti & justi dumtaxat. Unde esse unctum in primo sensu, non est esse formaliter sanctum sanctitate, de qua Patres loquuntur: nam si Verbum assumpsisset naturam leonis, illa natura esset uncta, tamen non esset sancta formaliter, sicut Patres sunt sancti. Distinguo igitur minorem: Christus in quantùm homo, est substantialiter unctus à divinitate, in ordine ad cultum latriæ, concedo; & sic intelligendus est Nazian. dicens, *Divinitas humanitatis unctio est*: Est unctus in ordine ad vitam æternam, nego minorem & consequentiam; quia esse unctum in hoc ultimo sensu dumtaxat, idem est apud Patres, ac esse formaliter sanctum, & ordinatum ad vitam æternam, cujus semen est gratia.

Obj. 2. Ex vi gratiæ unionis sanctificatur formaliter humanitas Christi; sed gratia unionis est aliquid substantiale, à gratia habituali distinctum: ergo humanitas Christi sanctificatur

tur formaliter ab aliquo substantiali, distincto à gratia habituali. Minor patet. Major prob. Homo per gratiam habitualem habet, quòd sit formaliter sanctus, quia per illam trahitur ad esse divinum, seu ad participationem naturæ divinæ quæ est ipsa sanctitas per essentiam, & Filius Dei constituitur, & quia gratia habitualis habet repugnantiam cum peccato; at hęc tria multò perfectiùs conveniunt gratiæ unionis: ergo per illam humanitas Christi sanctificatur formaliter. Major patet. Minor verò suadetur quantùm ad singulas partes: In primis enim per gratiam unionis, humanitas Christi multò perfectiori modo trahitur ad esse divinum, quàm per gratiam habitualem; nam per illam trahitur ad esse divinum in se, per istam verò trahitur ad esse divinum solùm per participationem. *Deinde*, Christus ut homo, per gratiam unionis fit nobiliori modo Dei Filius, quàm justi per gratiam habitualem; cùm per gratiam unionis Christus sit Filius Dei naturalis, & justi per gratiam habitualem, Filii solùm adoptivi constituantur. Item unio hypostatica majorem habet incompossibilitatem cum peccato, quàm gratia habitualis: ergo &c.

Confirm. Donum in radice continens omnia alia dona ad ordinem gratiæ spectantia, reddit subjectum amicabiliter dilectum à Deo, in quo consistit esse sanctum formaliter; sed gratia unionis est donum humanitati factum, continens omnia alia dona ad ordinem gratiæ spectantia, nimirùm grariam habitualem, virtutes, dona, gloriam &c. cùm ex vi illius hæc omnia humanitati Christi sint debita: ergo gratia unionis constituit ratione sui humanitatem Christi sanctam & Deo gratam formaliter.

Resp. negando majorem. Ad cujus prob. concessa majori, distinguo minorem: Hæc tria multò perfectiùs in ordine actus primi & radica-

dicaliter conveniunt gratiæ unionis, quàm gratiæ habituali, concedo; In ordine actus secundi & formaliter, nego minorem & consequentiam; quia ut gratia unionis formaliter sanctificet, oportet, quòd trahat animam ad esse divinum, constituat hominem Filium Dei adoptivum, & habeat repugnantiam cum peccato in ordine actus secundi; at gratia unionis trahit hominem ad Deum per communicationem idiómatum ob intimam conjunctionem naturæ creatæ cum divina in supposito Verbi; non verò formaliter, ut gratia habitalis: nec constituit hominem Filium Dei naturalem, sed tantùm proprium & non extraneum; aliàs Christus in quantùm homo reduplicativè, esset formaliter Filius naturalis Dei, quod Gonet. non concedit. Nec opponitur physicè & immediatè cum peccato. Tum quia ex Goneto non est formalis sanctitas. Tum quia est relatio: ergo non convenit gratiæ unionis sanctificare formaliter, licèt effectus gratiæ habitualis ipsi competant nobiliori modo; cùm non sint in eodem ordine, nec in ordine sanctitatis formalis, sed tantùm in ordine sanctitatis personalis, quæ fit per communicationem idiomatum, & per conjunctionem sancti cum non sancto; non verò in ordine sanctitatis formalis quæ fit per formam inhærentem, denominantem, & formaliter intrinsecè constituentem, de qua loquimur, & de qua humanitas Christi est sancta.

Ad confirm. distinguo majorem: Donum in radice continens alia dona ad ordinem gratiæ spectantia, reddit subjectum amicabiliter dilectum à Deo, si sit in subjecto per modum formæ, ipsumque constituat intrinsecè dilectum, concedo; Secùs, nego majorem: Nam ideò sanctitas increata sanctificat Deum, quia inest ipsi intrinsecè per modum formæ seu attributi; & gratia habitualis sanctificat animam, quia inest ipsi intrinsecè per modum for-

mæ afficientis & perficientis. Unde concessa minori, nego consequentiam; quia gratia unionis non est in Christo per modum formæ: divinitas enim dicitur de humanitate identicè & per communicationem idiomatum: ergo nequit eam sanctificare formaliter, licèt contineat gratiam habitualem & alia dona, cùm non insit humanitati per modum formæ, ut ad sanctificationem formalem requiritur; sed tantùm identicè, terminativè, extrinsecè, & per communicationem idiomatum, quemadmodum infinitas eam infinitizat, supernaturalitas supernaturalizat &c.

Ex dictis *inferes* 1. animam Christi recepisse gratiam in primo instanti conceptionis, ut colligitur ex illo Luc. 1. *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei. Inferes* 2. Gratiam habitualem non sequi in Christo ad gratiam unionis tamquam veram passionem illius, per simplicem quandam dimanationem & resultantiam; quia unio hypostatica non est principium formale gratiæ habitualis, cùm habeat esse per creationem. *Inferes* 3. Christum in primo instanti conceptionis ad gratiam habitualem consequendam, per actum liberum se disposuisse. Tum quia humanitas Christi priùs natura fuit suppositata, quàm gratia habituali illustrata, ut dictum est suprà. Tum quia, ut ait Gonet. Angeli acceperunt gratiam habitualem per propriam dispositionem, & ad eam se præparaverunt per actum charitatis quem in primo instanti creationis elicuerunt: ergo idem (inquit) cum proportione de Christo dicere licebit. *Inferes* tandem gratiam habitualem Christi esse ejusdem speciei cum nostra. Tum quia caput & membra debent informari forma ejusdem rationis: ergo cùm nos simus membra Christi, habemus cum ipso eamdem specificè gratiam. Tum quia Christus est nobis similis in omnibus absque peccato: ergo gratia qua est sanctus, est ejusdem speciei cum nostra.

Tum

Tum denique quia gratia habitualis est participatio divinæ naturæ, cujus consortes nos efficit, ut dictum est in proprio loco: ergo debet esse una specificè in Christo, qui est Sanctus Sanctorum & caput prædestinatorum, & in nobis qui sumus ejus membra, cum quibus habet conformitatem in ratione sanctificantis. Antecedens est certum, consequentia etiam patet: nam natura divina est omninò una, ac proinde ipsius participatio, videlicet gratia habitualis, debet etiam esse una in omnibus Justis, qui in sacris paginis vocantur Dii.

Instabis: Ergo Christus non est justus formaliter per gratiam habitualem, nec sanctus, sed per divinitatem, quia est Deus per essentiam, non verò per participationem ut Justi: *Nego* instantiam: quia Christus est Deus per essentiam ratione substantiæ, & naturæ divinæ sibi communicatæ, & similiter per participationem ratione gratiæ habitualis: nec implicat hoc, cùm sit Deus & homo simul. Unde anima Christi non potest esse sancta formaliter per substantiam & naturam divinam sibi communicatam, quia sanctificari formaliter, est sanctificari per formam intrinsecè inexistentem; sed per gratiam habitualem, quæ est forma intrinsecè existens in anima Christi: Fateor tamen, quòd ipsa anima Christi est personalitèr sancta per subsistentiam Verbi, seu quia subsistit in supposito divino, quod cùm sit formaliter, intrinsecè & essentialiter sanctum, sanctificat humanitatem personaliter & fundamentaliter, non autem formaliter. Tum quia, ut jam dixi, non est forma respectu humanitatis. Tum quia humanitas non petit sanctificari formaliter per subsistentiam increatam, nec per aliquid increatum.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Ad quid in Christo gratia habitualis necessaria fuerit?

DIco 1. quòd gratia habitualis fuit etiam necessaria in anima Christi, ut connaturaliter actus supernaturales eliceret. Tum quia gratia habitualis, cùm à charitate habituali omninò indistincta sit, est principium operandi supernaturaliter: ergo ut voluntas Christi eliciat connaturali modo actus supernaturales, indiget gratia quæ est principium operandi supernaturaliter. Tum quia anima Christi cùm sit entitativè naturalis, non est inclinata ad actus supernaturales: ergo ut ad illos inclinetur, illosque connaturaliter eliciat, indiget principio supernaturali, nempè gratia.

Dices 1. Gratia actualis sufficit, ut anima elevetur connaturaliter ad actus supernaturales, ut patet in actu contritionis à peccatore elicito: ergo anima Christi non indigebat gratia habituali. *Resp.* negando antecedens: Verum etenim est, quòd gratia actualis sufficit, ut actus supernaturalis fiat; sed non sufficit, ut fiat connaturaliter. Ratio hujus rei est, quia nullum principium inclinatur connaturaliter ad suum effectum, nisi præter actualem motionem, inclinetur per aliquam formam in se permanentem, vel residentem: ergo voluntas Christi, ut actus supernaturales eliceret connaturaliter, indigebat gratia habituali.

Dico 2. Quòd gratia habitualis necessaria fuit in Christo ad merendum connaturali modo præmium supernaturale; de potentia tamen absoluta, sine illa præmium supernaturale promereri potuit. Prob. 1. pars: Præmium supernaturale non potest dari nisi propter actus super-

natu-

naturales, cùm præmium & meritum æqualitatem proportionis servent; atqui actus supernaturalis, qui solus meritorius & dignus est præmio supernaturali, non potest connaturali modo produci sine gratia habituali, ut probat conclusio præcedens: ergo gratia habitualis necessaria fuit in Christo ad merendum connaturali modo præmium supernaturale. Prob. 2. pars: Tum quia de potentia absoluta Dei, potest dari meritum de condigno absque gratia habituali: Tum quia ut dictum est in 1. tom. intellectus creatus potest divinitùs videre Deum sine lumine gloriæ: Tum quia Deus potest supplere omnem efficientiam causæ secundæ; sed gratia est causa efficiens respectu actus supernaturalis producti: ergo &c.

Dices 2. Nullus actus humanæ voluntatis Christi potest esse supernaturali præmio dignus, quin sit supernaturaliter vitalis; sed non potest esse sic vitalis sine gratia habituali, quæ est principium vitalitatis supernaturalis: ergo. Resp. nego minorem de potentia absoluta: Nam cùm voluntas sit potentia vitalis, potest per aliquod auxilium supernaturale extrinsecum adjuvari & elevari ad productionem actuum supernaturalium, ut patet in peccatore fideli, qui mediante divino auxilio elicit actus supernaturales, cùm gratia habitualis sit principium intrinsecum & radicale.

Dices iterùm: Visio beatifica non potest esse etiam de potentia absoluta sine lumine gloriæ: ergo nec actus charitatis sine habitu, seu gratia habituali, quę, ut in proprio loco dictum est, non distinguitur realiter à charitate. *Nego* antecedens, ut patet ex dictis in tractatu de visione Dei, & consequentiam. Vel concesso antecedente, nego consequentiam & paritatem: quia visio beatifica est essentialiter permanens & æterna, ideoque indiget habitu aliquo infuso, quo intellectus determinetur

ad eliciendum visionis actum: at charitatis actus non est essentialiter permanens: ergo non exigit essentialiter habitum, ita ut non possit elici de potentia absoluta sine gratia habituali. Hinc est quòd gratia habitualis fuit necessaria animæ Christi Domini, nedum ut esset formaliter sancta, ut probat quæstio præcedens; sed etiam ut connaturaliter eliceret actus supernaturales, & ut connaturali modo mereretur præmium supernaturale apud Deum Patrem.

QUÆSTIO III.

An omnes virtutes fuerint in Christo?

DIco 1. Fuisse in anima Christi Domini omnes virtutes supernaturales & per se infusas, exceptis illis quæ cum statu beatifico repugnant: unde ex moralibus virtutibus, pœnitentia fuit in Christo: & ex Theologicis non fuit fides, nec spes. Prob. 1. pars. Tum quia omnis perfectio naturalis, aut moralis quæ est in beatis, non debuit deesse Christo; sed virtutes morales quæ non repugnant statui beatifico, sunt in beatis: ergo. Tum quia ad gratiam habitualem consequuntur omnes virtutes; *Apud eum*, ait Christus de justo, *veniemus, & apud eum mansionem faciemus*; sed gratia habitualis fuit perfectissima in Christo: ergo & virtutes supernaturales & infusæ.

Prob. 2. pars: Pœnitentiæ virtus consistit in actu voluntatis, quo quis vult vindicare peccatum contra Deum commissum, ad compensandam injuriam Deo illatam; cùm pœnitere idem sit ac pœnam tenere de peccato commisso:

ſo: quòd autem peccatum ſit commiſſum ab eo, vel ab alio, non pertinet ad rationem eſſentialem pœnitentiæ, ut ait Scotus. Ratio eſt, quia pœnitentia eſt actus juſtitiæ vindicativæ, quæ eſt ad ſe & ad alterum; non enim implicat, quòd pœnam teneam de malo, quod Petrus commiſit, nec quòd peccatum ab ipſo contra Deum commiſſum vindicem: ergo cùm ad pœnitentiam non requiratur neceſſariò contritio, aut dolor proprii peccati, vel propriæ vitæ, ut exiſtimat Gonet. ſed ſufficiat, quòd ſit alterius, virtus pœnitentiæ eſt Chriſto concedenda.

Prob. 3. pars. Tum quia fides ordinatur ad viſionem beatificam, cujus vices gerit, juxta illud Pauli 1. ad Cor. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*: ergo adveniente viſione fides ceſſat: ergo in Chriſto in quo fuit viſio beatifica, non fuit fides, ut ſuadet Apoſt. dicens, *Cùm venerit, quod perfectum eſt, evacuabitur, quod ex parte eſt*. Idem dico de ſpe. Vide ſuprà in tract. de virtutibus.

Dico 2. Etiam virtutes naturales & per ſe acquiſibiles fuiſſe in Chriſto. Tum quia in intellectu humano Chriſti datur ſcientia acquiſita & naturalis, præter ſcientiam infuſam & beatam: ergo in voluntate præter virtutes infuſas & ſupernaturales, dantur naturales & acquiſibiles, ut modo connaturali & proportionato perficiatur. Tum quia virtutes naturales & acquiſibiles tendunt ad perfectionem intellectus & voluntatis: ergo. Tum quia Chriſtus elicuit actus naturales erga materias virtutum naturalium: ergo &c.

Dices: Virtutes infuſæ ponuntur in potentiis animæ, ut facultatem præſtent benè operandi in ordine ad ſupernaturalia; ſed Chriſti anima hanc facultatem perfectiſſimè habuit ex unione ad Verbum: ergo virtutes tum infuſæ & ſupernaturales, tum naturales & ac-

quisibiles in Christo sunt superfluæ. Resp. negando minorem: quia Verbum divinum non unitur potentiis animæ Christi in ratione principii operativi, alioquin videret & amaret intellectu divino & voluntate divina, sicut subsistit subsistentia divina: ergo non habet ex unione facultatem operandi in ordine ad supernaturalia, cùm operatio sit actus principii operativi.

Ex dictis infertur fuisse in Christo magnificentiam & liberalitatem, justitiam vindicativam, eutrapeliam & philotimiam, non verò virtutem piæ affectionis ad credendum. Prob. 1. Liberalitas & magnificentia versantur erga divitias, non solùm illas distribuendo, prout quomodo & quando oportet, sed etiam illas penitùs contemnendo, ut advertit Gonet. quod Christus fecit, ut in sacra Scriptura patet: ergo habuit liberalitatem & magnificentiam. 2. Illæ virtutes non consistunt in actuali exercitio, sed in qualitate permanente, quæ sit productiva actus liberalitatis & magnificentiæ; unde pauperes possunt esse liberales: ergo Christus, licèt fuerit pauper & obediens, nihilominùs fuit liberalis & magnificus.

Patet etiam de justitia vindicativa, ut constat ex illo Joan. 8. in quo legitur Christum dixisse Judæis, *Ego dæmonium non habeo*; & in alio loco, ubi legitur Christum ejecisse de templo ementes & vendentes. Patet etiam de eutrapelia, licèt circa jocos & ludos versetur, quia Christus jocorum & ludorum exercitium contempsit: ergo eutropeliam habuit, quia hæc virtus non consistit, nec versatur circa jocos & ludos exercendos tantùm, sed etiam circa ludos ut contemnendos. Patet etiam de philotimia: nam hæc virtus inclinat appetitum ad parvos honores acceptandos, ut ait Gonet. ex D. Thoma; sed Christus acceptavit parvos honores de facto, cùm turbæ clamaverunt, *Ho-*

sanna Filio David, benedictus qui venit in nomine Domini: ergo proprius actus philotimiæ non repugnabat Christo, sed ipsum aliquando exercuit. Tandem, patet ultima pars; quia pia voluntatis affectio ad credendum, est medium ad fidei actum & motus habitus fidei; sed in Christo nullus est habitus fidei, nullusque actus: ergo nec medium ad actum fidei, seu nec pia affectio ad credendum.

Quæres, an Christus virtutes morales per se acquisibiles, propriis actibus comparaverit, vel illas per infusionem acceperit? *Resp.* Omnes virtutes morales per se acquisibiles, Christo fuisse à primo instanti suæ conceptionis infusas. Tum quia Christus in primo instanti conceptionis suæ habuit omnes animæ potentias optimè dispositas in ordine ad finem tam naturalem, quàm supernaturalem: ergo habuit in eodem instanti virtutes naturales, sicut supernaturales; seu acquisibiles, sicut infusas; cùm per virtutes naturales & acquisibiles potentiæ disponantur in ordine naturali, sicut per infusas in ordine supernaturali. Tum quia perfectius est & dignius Christo, habuisse à primo instanti conceptionis virtutes per se acquisibiles, quàm illas decursu temporis suis actibus comparasse, quia comparatio virtutis supponit subjectum in carentia ejusdem; & carentia virtutis, quædam imperfectio est, cùm supponat subjectum saltem non perfectum simpliciter: ergo dicendum est Christum habuisse illas virtutes per infusionem, cùm Christo concedendum sit id quod est dignius & perfectius.

Dices: Si Christus habuisset per infusionem virtutes morales per se acquisibiles, sequeretur quòd voluntas Christi non habuisset vim naturalem acquisitivam virtutum; vel quòd si habuisset, fuisset frustranea: sed utrumque est falsum: ergo habuit virtutes morales per acquisitionem. *Nego* minorem quoad utramque

artem; nam ut potentia aut virtus aliqua non sit propriè frustranea, sufficit, quòd illustret subjectum, & quòd ipsum subjectum habeat actum ad quem ordinatur, sive sit à virtute existente in subjecto, sive ab alio perfectiori agente, qui infundendo actum, non reddit virtutem inutilem, sed solùm suspendit ejus influxum ne producat actum, quem ipse vult infundere.

QUÆSTIO IV.

An in Christo fuerint dona Spiritus sancti, & gratiæ gratis datæ?

DIco I. In anima Christi Domini fuisse omnia Spiritus sancti dona, quæ sunt Intellectus, Scientia, Consilium, Fortitudo, Pietas, Timor & Sapientia: sed hæc septem dona fuerunt in Christo: *Requiescet super eum*, dicitur Isa. 11. de Christo, *Spiritus Domini; Spiritus sapientiæ & intellectus; Spiritus consilii & fortitudinis; Spiritus scientiæ & pietatis; & replebit eum timore Domini*: ergo &c. Tum quia dona Spiritus sancti remanent in beatis saltem quoad habitum, & dicunt perfectionem sine imperfectione: ergo fuerunt in Christo. Tum quia anima Christi perfectè movebatur à Spiritu sancto, ut constat ex illo Luc. 4. vers. 1. *Iesus autem plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane, & agebatur à spiritu in desertum diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo*: ergo dona Spiritus sancti fuerunt in Christo. *Tandem*, intellectus humanus Christi, dum à Spiritu sancto movetur. 1. Elevatur ad firmiter judicandum de rebus divinis propter rationes supernaturales. 2. Ad penetranda prima principia,

pia. 3. Ad deducendas conclusiones ex primis principiis. 4. Ad judicandum quid hic & nunc agendum sit. 5. Ad Deum heroicè colendum, & proximum sublevandum. 6. Ad difficilia peragenda. 7. Denique inclinat intellectum, ut se submittat divinę potestati: ergo Christus habuit sapientiam, intellectum, scientiam, consilium, fortitudinem, pietatem & timorem filialem seu reverentialem, non verò servilem, quia timor servilis spectat ad peccatum cavendum propter pœnam luendam; Christus autem qui peccare non poterat, nullum timorem servilem habuit, sed habuit timorem filialem & reverentialem, quia affectu reverentiæ & cultus à Spiritu sancto excitato ferebatur in Deum.

Dico 2. quòd in Christo fuerunt excellentissimè omnes gratiæ gratis datæ: nam ex Eph. 4. habetur, *Unicuique data est gratia secundùm mensuram donationis Christi*: Et Joan. 20. *De plenitudine ejus omnes accepimus*: ergo in Christo in quo fuit plenitudo gratiæ, & ad instar aut mensuram cujus Deus dedit nobis gratias, fuerunt omnes gratiæ gratis datæ & gratum facientes. *Prætereà*, D. August. ait, *sicut in capite sunt omnes sensus, ita in Christo omnes gratiæ*. Luc. 4. dicitur de Christo, *Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant ex ore ipsius*. *Denique*, Christus habuit 1. fiduciam impetrandi ac patrandi miracula, ut probat illud Joan. 11. *Ego autem sciebam, quia semper me audis*. 2. Sapientiam, ut patet ex dictis. 3. Gratiam sanitatum & gratiam virtutum: dixit enim paralytico, *Tolle grabatum tuum & ambula*. 4. Interpretationem sermonum, ut constat ex Matth. 5. 12. & 22. Luc. 4. ubi legitur Christum Scripturarum sensum aperuisse. 5. Donum linguarum, discretionem spirituum: cognoscebat enim secreta cordium: donum Prophetiæ, &c.

Dices contra primam conclusionem; Ex do-

nis Spiritus sancti superiùs enumeratis, quædam sunt quæ includunt imperfectionem; nam consilium importat dubitationem, quia ibi tantùm adhibetur consilium, ubi est hæsitatio de eo, quod faciendum est, ac proinde importat imperfectionem. Scientia etiam datur, ut conclusiones deducantur ex principiis, & dependenter ab ipsis: ergo ista duo dona non sunt in Christo. *Nego* antecedens & ejus probationem, quia consilium præcisè & formaliter sumptum nullam hæsitationem importat in consultante, imò adhibetur, ne eveniat hæsitatio de eo, quod faciendum est. Nego etiam aliam probationem quæ test de scientia; quia non est imperfectio in intellectu humano deducere conclusiones ex principiis, cùm natura rei hoc exigat, seu conclusio exigat deduci ex principiis, & intellectus creatus teneatur servare ordinem naturæ.



DISPUTATIO XI.

De perfectione gratiæ Christi.

Visis gratiæ Christi, veritate, existentia & effectibus, in præsenti disputatione examinandæ sunt proprietates ejus; ideò fit

QUÆ.

QUÆSTIO I.

An gratia Christi habitualis infinita sit?

SUpponendum est gratiam Christi tripliciter considerari posse. 1. Ut est accidens seu qualitas physica, & penes ordinem quem dicit ad subjectum in quo recipitur. 2. In esse gratiæ, & penes ordinem ad effectus ad quos se extendit. 3. In esse moris, & secundùm valorem & moralem æstimationem quam habet. Difficultas non est in primo sensu, quia omne ens creatum est finitum. Tum quia infinitas entitativa est proprietas entis Dei. Tum quia omnia quæ Deus creavit, sunt finita, ut patet ex illo Sap. 11. *Deus omnia fecit in numero, pondere & mensura*; sed gratia est ens creatum: ergo in ratione entis non est infinita. Unde difficultas est, an sit infinita in ratione gratiæ, & in esse moris considerata, seu secundùm quandam dignitatem moralem quam habet à supposito Verbi divini cui conjungitur?

Dico igitur, quòd gratia Christi in ratione gratiæ non est infinita, nec in ratione moris considerata. Prob. Si gratia habitualis Christi esset infinita in ratione gratiæ, sequeretur, quòd aliqua creatura esset infinitè perfecta; sed hoc est falsum: ergo gratia habitualis Christi non est infinita in ratione gratiæ. Minor patet, quia solus Deus est infinitè perfectus ut *quod* & ut *quo*, cùm infinitas formalis & perfectio infinita, soli Deo competant. Major prob. Gratia habitualis (quæ creatura est) dicit in ordine ad operationem, perfectionem simpliciter: ergo si infinita sit in ratione gratiæ, perfectio simpliciter simplex quam dicit, infinita est; idcircò datur in creatura perfectio

ſimpliciter ſimplex, quæ eſt formaliter infinita: ſed hoc eſt falſum; aliàs gratia habitualis eſſet formaliter in Deo, in quo formaliter ſunt omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices. 2. Quælibet qualitas habet terminum ſuæ magnitudinis: ergo gratia habitualis, quæ in ratione gratiæ & perfectionis eſt qualitas, habet etiam in ratione gratiæ & perfectionis terminum ſuæ magnitudinis, & conſequenter finita eſt. 3. Sanctitas increata longè præſtantior eſt omni ſanctitate creata, ſeu gratia habituali; ſed ſanctitas increata eſt infinita: ergo gratia habitualis Chriſti in ratione gratiæ & ſanctitatis accidentalis, nequit eſſe infinita, nec infiniti valoris; aliàs ſanctitas increata, non eſſet in omni ſenſu nec abſolutè præſtantior gratia Chriſti; cùm infinitum excedi nequeat in ſenſu in quo infinitum eſt.

Denique, concluſio probata manet ſupra diſp. 3. quæſt. 3. in qua dictum eſt, ſanctificationem Chriſti non eſſe valoris ſimpliciter infiniti. Tum quia gratia habitualis eſt principium quo operationum: ergo ſi gratia eſſet infinita, opera eſſent infinitè meritoria: ſed hoc non eſt: ergo nec gratia eſt infinita. Tum quia opera licèt ſint à perſona infinita, tamen ſunt finita: ergo licèt gratia valorem ſuum à Verbo accipiat, eſt etiam finita. Tum quia Gonetus hìc n.12. probat infinitatem gratiæ habitualis Chriſti, ex infinitate valoris operationum ejus: ergo ſi opera Chriſti ſint valoris ſimpliciter finiti, ut patet ſuprà, gratia habitualis Chriſti eſt etiam finita in ratione moris, ſeu ſecundùm dignitatem moralem quam habet à ſuppoſito Verbi divini cui conjungitur. Tum quia ex Goneto gratia Chriſti eſt infinita ſecundùm valorem & dignitatem quam habet ex perſona Verbi, quia (inquit) ſe extendit, aut extendere poteſt ad effectus infinitos: ſed non poteſt ſe magis extendere quàm ſatisfactio

Christi: ergo si satisfactio ratione extensionis & pretii non sit infinita, nec gratia infinita est.

Obj. 1. Gonetus ex D. Thoma hic art. 11. ex quibus verbis istud argumentum conficit: Gratia sub ratione gratiæ pensatur per ordinem ad effectus ad quos se extendit, vel extendere potest; sed gratia Christi, quantùm est de se, potest se extendere ad infinitos effectus, nempè ad infinitorum hominum redemptionem & sanctificationem, eò quòd in illo gratia reperiatur tamquam in capite: ergo gratia Christi, in ratione gratiæ considerata, infinita dici potest,

Confirm. exemplo quod D. Thom. adducit: quia enim lux est in sole, tamquam in universali principio quod potest illuminare infinitos homines, saltem successivè, & habere omnes effectus lucis, in ratione lucis infinita dicitur: ergo similiter cùm gratia sit in Christo tamquam in capite & in universali principio, & possit se extendere ad infinitos effectus, & sanctificare infinitos homines, si darentur, debet dici infinita in ratione gratiæ.

Confirm. ampliùs: Gratia data fuit humanitati Christi sine mensura, juxta illud Joan. 3. *Non ad mensuram dat Deus spiritum filio*: & aliis ad mensuram datur gratia, juxta illud Paul. ad Ephes. 4. *Unicuique nostrum datur gratia secundùm mensuram donationis Christi*: ergo gratia Christi habitualis, sub aliqua ratione, sine mensura intelligitur: sed quod est sine mensura, infinitum est; nam omne finitum mensuram habet: ergo gratia Christi habitualis, sub aliqua ratione infinita est. Unde cùm sub ratione entis vel qualitatis, non sit infinita, saltem in ratione gratiæ, infinita dici debet.

Resp. argumentum non probare gratiam esse infinitam, sed tantùm altioris ordinis ad offensam reparandam: nam homo v. g. est perfe-

ctior viventibus materialibus, quorum numerus est infinitus: ergo homo in esse viventis est infinitus, mala consequentia: Ita à pari ut gratia Christi se extendat ad infinitorum hominum redemptionem, non requiritur, quòd sit infinita, sed sufficit, quòd sit altioris ordinis. Idem dico ad 1. confirm. quia non probat solem esse infinitum in ratione lucis; sed tantùm altioris ordinis ad homines illuminandos, ut illuminandos, & ad omnes effectus lucis: nam, caput influit in membra, & in infinita, si infinita essent numero: ergo caput est infinitum: non valet, sed est altius membris dumtaxat: ergo gratia habitualis Christi non est infinita, sed altioris ordinis tantùm ad homines redimendos, qui licèt sint numero infiniti, gratia tamen potest esse ipsis major & extensior, modò in ordine altiori existat, quin sit infinita.

Ad 2. confirm. dico, quòd *Ly non ad mensuram*, non denotat infinitatem, nec idem est, ac sine mensura; sed tantùm abundantiam, & Christum esse fontem omnium gratiarum, ut suadet illud Joan. 1. *De plenitudine ejus nos omne accepimus*, quemadmodum dicimus mare aut cœlum esse immensum. Unde neganda est consequentia; cùm gratia Christi non sit absolutè & intrinsecè sine mensura; sed solùm comparativè ad gratias hominum, & dicatur sine mensura, sicut fons dicitur sine mensura, comparativè ad rivulos. Omitto argumentum desumptum ex infinitate satisfactionis Christi, cùm ex dictis constet de opposito.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An in Christo sit gratiæ plenitudo, subindeque gratia tam intensa, ut omnem gratiam Angelorum & hominum collectivè sumptam excedat?

SUb alio titulo agitari solet apud Scotistas præsens difficultas, nimirum an gratia Christi sit summa ex actualibus & possibilibus. Pro cujus rei notitia advertendum est 1. Aliquid posse dici summum dupliciter, positivè scilicet vel negativè. Summum positivè, est illud quod non habet majus, nec æquale: Et summum negativè, est illud, quod non habet majus; sed habet æquale. Unde difficultas est, an gratia Christi quæ summa est, sit summa positivè ex actualibus, id est, an excedat omnes gratias in hominibus & Angelis existentes, imò & possibiles? quod dupliciter etiam sumi potest. 1. Respectu potentiæ Dei ordinariæ. 2. Respectu potentiæ extraordinariæ.

Dico 1. quòd Gratia Christi est summa positivè ex actualibus & possibilibus respectu potentiæ Dei ordinariæ, subindeque plenitudo gratiæ est in Christo tam intensiva, quàm extensiva, secundùm potentiam Dei ordinariam. Prob. 1. Christus est fons totius gratiæ sanctificantis. Tum quia in ipso Deus posuit omnes sapientiæ & scientiæ thesauros. Tum quia de plenitudine ejus omnes accepimus. Tum quia unicuique nostrum datur gratia secundùm mensuram donationis Christi. Tum quia est caput omnium prædestinatorum. Tum quia in ipso habitat plenitudo divinitatis corporaliter, ut ait Paulus: ergo gratia Christi est positivè summa ex actualibus & possibilibus, id est, gratia Christi est major gratia hominum & Angelorũ quem-

riquemadmodum aqua fontis excedit aquam rivulorum, & vita pleniùs residet in capite & in corde, quàm in membris, cùm Christus ratione gratiæ sit caput hominum & Angelorum. Antecedens patet. Prob. conseq. Deus Christum Angelorum & hominum caput instituens, statuit non conferre gratiam majorem, nec æqualem gratiæ Christi. Tum quia intentio instituendi Christum, caput, includit intentionem dandi gratias capitis, quæ ex se sunt majores gratiis membrorum. Tum quia si Deus secundùm ordinariam providentiam statuisset conferre gratiam majorem, vel æqualem, aliquis Angelus vel homo eam habuisset: ergo gratia Christi est positivè summa ex possibilibus secundùm ordinariam Dei potentiam; id est, Deus de potentia ordinaria non potest dare gratiam majorem.

Prob. 2: Christus est magis gratus Deo, quàm omnes Angeli & homines. Tum quia colligitur ex illo Matth. 17. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Et ex illo Joan. 1. *Pater diligit Filium, & omnia dedit ei in manu ejus.* Tum quia anima Christi propinquiùs conjungitur Deo, quàm Angeli & homines, ratione unionis hypostaticæ. Tum quia Deus diligit Angelos & homines propter Christum: ergo gratiæ Christi plenitudo excedit omnes gratias Angelorum & hominum, subindeque est positivè summa ex possibilibus respectu potentiæ ordinariæ Dei. Prob. consequentia: Gratia habitualis est id quo homo est formaliter gratus Deo: ergo ille qui est magis gratus, majorem gratiam habet; subsumo: sed Christus est magis gratus Deo quàm omnes Angeli & homines: ergo gratia Christi est major. *Prætereà*, gratia habitualis est id quo Christus est formaliter sanctus, ut dixi suprà: sed Christus est positivè sanctior Angelis & hominibus, ut est manifestum: ergo ejus gratia est positivè summa, &

major

major gratiis tam creatis, quàm de potentia ordinaria creandis.

Confirm. In unoquoque genere datur unum quod est regula & mensura cæterorum, ut dicunt Philosophi: ergo in genere gratiæ & in ordine sanctorum, datur unus sanctus qui est regula & mensura aliorum, seu qui est sanctior & in linea gratiæ cæteris præstantior; subsumo, sed ille sanctus nequit esse alius quàm Christus: ergo gratia Christi est major, & excedit omnem gratiam Angelorum omnium & hominum simul sumptorum, & consequenter est positivè summa ex possibilibus.

Dices 1. Plures sancti in Scriptura dicuntur pleni gratia, ut B. Virgo, D. Stephanus & Apostoli: ergo gratia Christi non est positivè summa, sed tantùm negativè: nam anima Virginis potest continere tantam gratiam, quantam continere potest anima Christi: ergo si sit gratia plena sicut Christus, gratia Christi nequit esse major gratia Mariæ. Resp. 1. negando consequentiam: quia *Ly Plenum* in sacra Scriptura frequētiùs sumitur pro quadam magnitudine & abundantia, ut patet ex illo Matth. 23. ubi dicitur de sepulchris, *Plena sunt ossibus mortuorum*; tamen sepulchra non erant omninò plena ossibus. Resp. 2. negando etiam consequentiam, quia plenitudo gratię in sanctis est tantùm subjectiva, seu ex parte subjecti; quia B. Virgo, D. Stephanus & Apostoli habuerunt totam gratiam quam recipere potuerunt secundùm statum & officium; unde habent plenitudinem gratiæ, quatenùs sunt membra Christi; idcircò sunt membra Christi plena gratia. At Christus habet plenitudinem formalem, seu se tenentem ex parte gratiæ, id est, habuit totam gratiam quæ de potentia ordinaria haberi aut dari potest, & subjectivam, seu quatenùs est caput in ordine gratiæ, ideoque non est membrum plenum gratia, sed caput: ergo gratia Christi est major & posi-

positivè summa, cùm gratia capitis ipsi soli competere possit de lege ordinaria, & gratia capitis sit major gratia membrorum, & aqua fontis sit major aqua rivulorum, quamvis rivuli sint aqua pleni sicut fons.

Instabis: Ergo gratia B. Virginis non est major gratia D. Stephani, qui est membrum Christi gratia plenum, sicut B. Virgo; sed hoc est contra SS. Patres: ergo vana est solutio. Resp. negando instantiam, quia B. Virgo est membrum dignius & principalius: ergo majorem gratiam habet.

Dices 2. Deus non creavit naturam summam cùm de potentia ordinaria naturam perfectiorem creare possit: ergo nec gratiam positivè; subindeque gratia Christi non est positivè summa ex possibilibus respectu potentiæ ordinariæ Dei. Resp. negando consequentiam. Tum quia congruum erat conferre humanitati subsistenti in supposito divino & infinito, gratiam summam; & nulla necessitate congruum fuit creare naturam summam. Tum quia gratia est participatio divinæ naturæ: ergo congruum fuit creare gratiam summè participantem. Tum quia natura manifestat omnipotentiam & sapientiam Dei dumtaxat; gratia verò manifestat omnipotentiam, sapientiam & misericordiam: ergo debet esse summa, licèt natura non sit talis.

Tum quia unio hypostatica est opus summum positivè, cùm humana conjungat divinis; ideoque licèt Deus non creaverit naturam summam, nihilominùs debuit creare gratiam summam propter incarnationem, quæ est verè opus summum, opus mirabile & opus Dei, quia Deus nulla necessitate congrua fuit compulsus ad summam naturam condendam, fuit autem compulsus ad summam gratiam, intuitu scilicet Christi, in quo natura humana subsistit supposito divino, quæ quidem natura ex congruitate debet sanctificari formaliter per

gra-

gratiam summam, & habere plenitudinem gratiæ, ut exaltetur super omnes homines, nedum in natura, seu in ordine subsistentium, in quo est singularis ratione suppositi; sed etiam in ordine gratiæ, in quo nequit super cæteros homines extolli, nisi per gratiam summam.

QUÆSTIO III.

An gratia habitualis Christi, de potentia Dei absoluta augeri possit?

IN præcedenti quæstione liquidò constat gratiam habitualem Christi esse positivè summam ex possibilibus respectu potentiæ ordinariæ Dei; subindeque non posse eadem potentia augeri. In præsenti verò examinandum est, an augeri possit de potentia absoluta, id est, an sit etiam positivè summa ex possibilibus respectu omnipotentiæ absolutæ Dei? Gonetus existimat Scotum negativam partem docuisse, at major Scotistarum pars aliter sentit de Doctore subtili; unde

Dico 1. Quòd gratia habitualis Christi non est positivè summa ex possibilibus respectu omnipotentiæ absolutæ Dei, subindeque potest esse major intensivè de potentia absoluta. Prob. Si non posset dari gratia intensivè major gratia Christi, hoc proveniret vel ex parte Dei, qui non posset de potētia absoluta creare majorem, vel ex parte subjecti, nempè animæ Christi, quæ non posset eam recipere, vel ex parte gratiæ, quæ in Christo haberet ultimum gradum quem transgredi non posset: sed ex nullo capite hoc provenit: ergo. Prob. minor 1. Deus est

est agens supernaturale infinitæ virtutis: ergo potest augere gratiam Christi, quæ est intensivè finita, & potest producere aliam intensiorem. 2. Anima seu subjectum recipit gratiam per potentiam obedientialem passivam: ergo potest divinitùs elevari ad recipiendam majorem gratiam. *Deinde*, licèt anima non posset recipere gratiam majorem, tamen hoc non obstat, quoniam potentia creandi gratiam, per subjecti capacitatem minimè limitatur. 3. Gratia Christi est qualitas intensivè finita; ergo augeri potest. Tum quia potest concipi major absque ulla contradictione, & consequenter potest à Deo creari illa major quæ concipitur. Tum quia si sit finita, Deus potest velle majorem; subindeque gratia Christi non est positivè summa ex possibilibus respectu omnipotentiæ Dei extraordinariæ, cùm sic possit habere nedùm gratiam æqualem, sed etiam majorem.

Dices 1. Gratia habitualis fuit data & debita Christo, ratione unionis hypostaticæ: ergo fuit summa ex possibilibus respectu omnipotentiæ absolutæ. Antecedens patet: Consequentia verò prob. Unio hypostatica exigebat gratiam congruam; sed unio hypostatica est summa ex possibilibus respectu omnipotentiæ absolutæ: ergo Deus dedit Christo gratiam summam ex possibilibus respectu omnipotentiæ absolutæ. Resp. negando consequentiam, ad cujus prob. dico 1. quòd unio hypostatica, licèt sit summa ex possibilibus respectu potentiæ absolutæ, non exigebat tamen gratiam summam respectu omnipotentiæ absolutæ, sed tantùm respectu potentiæ ordinariæ, quia non exigebat gratiam condignam, nec in eodem gradu intensam: nam unio est id, propter quod Deus dedit gratiam Christo: ergo oportet, quòd illa unio sit major, & consequenter, quòd gratia non sit summa ex possibilibus respectu omnipotentiæ absolutæ, sicut unio. Dico 2. Minorem esse

fal-

falsam, quia Deus poterat creare de potentia absoluta unionem perfectiorem, quia talis unio est finita, cùm uniat Deum humanitati finito modo: ergo intendi potest, & esse major de potentia absoluta Dei.

Dices 2. Si gratia Christi potuisset augeri, aucta fuisset per opera Christi, quæ meritoria erant augmenti gratiæ; sed non fuit aucta: ergo &c. Resp. distinguendo antecedens: Si gratia Christi potuisset augeri de potentia ordinaria, aucta fuisset per opera meritoria Christi, concedo; Si potuisset augeri de potentia absoluta, nego majorem; & concessa minori, nego consequentiam: quia Christi meritum erat circa præmium de potentia ordinaria largiendum dumtaxat; idcircò meruit præmium, quod Deus dare poterat de potentia ordinaria; non verò illud, quod dare poterat de potentia absoluta.

Dices 3. Gratia quam Christus habet, est finita, ut jam dictum est, etiamsi sit positivè summa: ergo potest augeri. Probatur consequentia: Finitum est illud cui aliquid potest addi, infinitum verò est illud cui nihil potest addi: ergo si gratia Christi sit finita, potest de potentia ordinaria, seu ea qua contulit, ipsam augere Deus, id est, ei aliquem gratiæ gradum addere. *Respondeo* negando consequentiam; ad cujus probationem, nego consequentiam: quia quod habet summum gradum suæ perfectionis, quamtumvis sit finitum, non potest reddi majus; non quia hoc posito fieret infinitum, si ulterior gradus adderetur, sed propter incompossibilitatem: nam si gratiæ summæ adderetur novus gratiæ gradus, non esset ampliùs summa: ergo non potest augeri. Sic infert Frassenius ex Doctore.

Respondeo secundò, argumentum esse verum respectu omnipotentiæ Dei extraordinariæ, quæ potest addere gratiæ Christi aliquem

quem gradum, ut patet ex probationibus conclusionis: nam si sit finita habendo quidquid Deus dare potest de potentia ordinaria, & secundùm præsens decretum quo decrevit conferre Christo gratiam majorem omnibus de potentia ordinaria conferendis; potest alio decreto possibili, ipsa gratia ita augeri, ut sit major omnibus de absoluta Dei potentia conferendis, nec per hoc erit infinita.



DISPUTATIO XII.

De gratia Christi capitali.

Consideratis & quantùm pro modulo nostro licuit sufficienter examinatis omnibus quæ ad gratiam habitualem spectant, jam supersunt declaranda ea quæ de gratia capitali dicuntur.

QUÆSTIO I.

An Christus sit actu caput hominum viatorum, in statu peccati vel infidelitatis existentium?

Suppono tamquam certum, Christum esse caput Ecclesiæ. Tum quia constat ex pluribus sacræ Scripturæ locis, Rom. 12. *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent; ita multi sumus unum corpus in Christo*. Hebr. 3. *Ipsum* seu Christum *dedit caput super omnem Ecclesiam*.

ſiam. Et cap. 5. ait, *Vir eſt caput mulieris, ſicut Chriſtus Eccleſiæ*. Juxta illud ad Coloſſ. 1. *Chriſtus eſt caput corporis ſui, quod eſt Eccleſia*. Tum quia Chriſtus habet reſpectu Eccleſiæ omnes conditiones & functiones quas caput naturale habet reſpectu membrorum, putà ordinem, perfectionem & influxum: ergo eſt caput Eccleſiæ. Hoc ſuppoſito, examinandum eſt, an ſit etiam actu caput peccatorum & infidelium? Dixi *actu caput*, quia certum eſt, quòd eſt caput in potentia; unde

Dico 1. Chriſtum eſſe actu caput fidelium etiam in mortali exiſtentium. Prob. Nam Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, ut dictum eſt ſuprà: ergo eſt caput illorum omnium qui Eccleſiam componunt, ſeu qui ſunt de corpore Eccleſiæ; ſed fideles ſunt de corpore Eccleſiæ, etiam illi qui in peccato mortali exiſtunt. Tum quia Eccleſia eſt collectio fidelium. Tum quia per fidem homo unitur Eccleſiæ. Tum quia ex meritis Chriſti, peccatores recipiunt dona Spiritus ſancti, auxilia ſupernaturalia &c. ergo ſunt membra Eccleſiæ, & Chriſtus eſt eorum caput.

Dices 1. Membra Chriſti non poſſunt eſſe ſibi invicem contraria; ſed juſti & peccatores inter ſe contrariantur: ergo peccatores in mortali exiſtentes, nequeunt eſſe membra Chriſti. 2. Fideles ſine charitate ſeu gratia, ſunt membra mortua: ergo non ſunt verè & propriè membra Chriſti. Reſp. ad 1. negando majorem; nam ut ſint membra corporis myſtici, ſufficit, quòd in aliquo conveniant, licèt in aliis diſſideant; unde cùm fideles peccatores conveniant cum juſtis in fide, ſpe & in donis ſupernaturalibus, quæ caput influit; ſunt membra Chriſti, licèt non habeant gratiam ſicut juſti. Ad 2. nego conſequentiam: ſufficit enim quòd uniantur capiti per fidem, ut ſint membra verè & propriè.

Dico 2. Chriſtum non eſſe actu caput hæreti-

reticorum, licèt baptizati sint; sed tantùm potentia. Prob. Hæretici & infideles sunt extra Ecclesiam: ergo non sunt actu membra Christi nec Ecclesiæ. 2. Christus influit in omnia membra; sed non influit actu in hæreticos, nec infideles, quoniam non est cum ipsis conjunctus: ergo non sunt membra Christi actu, sed tantùm potentia. Tum quia infideles quamdiù vivunt, possunt recipere influxum vitę spiritualis à Christo. Tum quia habent liberum arbitrium, quod à Deo è malo in bonum flecti potest. Tum quia Christus pro infidelibus & hæreticis mortuus est; ideòque quamvis Christus non sit eorum caput actu, est tamen potentia; quia possunt converti & esse membra Ecclesiæ, & consequenter membra Christi.

Dices: Deus propter merita Christi dat actu infidelibus inspirationes: ergo sunt membra Christi, sicut fideles & justi. Resp. negando consequentiam, quia non dat infidelibus inspirationes propter merita Christi quatenùs est caput, sed quatenùs est author meriti; nec dat ipsis quatenùs sunt membra Christi actu, sed quatenùs possunt esse; cùm det ipsis inspirationes & gratiam excitantem, ut sint & fiant membra Christi.

Ex dictis colligitur 1. Christum esse caput non solùm fidelium qui post ejus adventum vixerunt, sed etiam antiquorum Patrum qui fuerunt in lege naturæ, vel in lege scripta. Tum quia receperunt dona supernaturalia ex vi meritorum Christi venturi. Tum quia erant sancti. 2. Christum esse caput beatorum. Tum quia sunt membra Ecclesiæ triumphãtis, cujus Christus est actuale caput; licèt non habeant fidem, quoniam fides est forma membrorum Ecclesiæ militantis. Tum quia adepti sunt beatitudinem mediante gratia Christi. 3. Christum esse caput hominum non solùm secundùm animas, sed etiam quantùm ad corpora. Tum quia in re-

sur-

ſurrectione influet in corpora noſtra gloriam accidentalem. Tum quia conſtat ex Apoſt. 1. ad Cor. 6. *Neſcitis, quoniam corpora veſtra, membra ſunt Chriſti?* Tandem, colligitur Chriſtum non eſſe caput damnatorum. Tum quia damnati ſunt extra Eccleſiam. Tum quia ſunt omnis gratiæ & gloriæ incapaces.

Quæres, an Chriſtus ut homo, non ſolùm hominum, ſed etiam Angelorum caput dici poſſit? Reſp. affirmativè. Tum quia ex Apoſt. ad Coloſſ. 2. conſtat, *Eſt caput omnis principatus & poteſtatis*. Tum quia Eccleſia triumphans comprehendit Angelos & homines beatos; ſed Chriſtus eſt caput Eccleſiæ triumphantis: ergo eſt caput Angelorum. Tum quia D. Auguſt. in Pſal. 36. concione 3. ait, *Chriſtus caput eſt, cujus membra ſunt omnes qui ab initio fuerunt juſti, conjunctis etiam legionibus Angelorum & exercitibus*. Tum quia Chriſtus ſecundùm humanitatem eſt Angelis ſuperior dignitate, eſt illis præſtantior & perfectior, & in eos influit gratiam & gloriam. Tum denique quia imperio ſuo movet Angelos ad ſalutem hominum procurandam, eoſque ad noſtram cuſtodiam deputat: ergo eſt caput Angelorum.

Dices 1. Chriſtus non redemit Angelos: ergo non eſt caput eorum. 2. Nulla eſt conformitas inter humanitatem Chriſti & Angelos: ergo non eſt caput eorum, cùm inter caput & membrum debeat eſſe proportio. 3. Non eſt ſponſus Angelorum: ergo non eſt eorum caput. Reſp. ad 1. Chriſtum redemiſſe Angelos per præſervationem, quod ſufficit, ut ſit eorum caput. Ad 2. nego antecedens, quia humanitas Chriſti & Angeli habent eandem ſpecie charitatem & gratiam ſanctificantem, atque beatitudinem: ergo habent conformitatem. Ad 3. nego antecedens, quia Angeli habent charitatem, quæ eſt vinculum perfectionis, & conjunctionis Angeli cum Chriſto, cum quo per chari-

ta-

tatem sunt duo in uno spiritu, sicut in matrimonii Sacramento, sponsus & sponsa sunt duo in carne una.

Dices iterum: De natura capitis est, esse altius membris, & in ordine superiori; sed Christus ut homo, est ordinis inferioris ad Angelos: ergo nequit esse eorum caput. *Respondeo*, hoc esse verum in physicis, vel in moralibus, dum caput est ex natura rei: falsum verò in moralibus, dum caput fit aut est ex divina atque suprema ordinatione, quæ potest instituere quemcumque voluerit. Unde cùm Christus sit caput ex gratia speciali distincta ab unione & gratia habituali, sequitur, quòd potest esse caput Angelorum, etiamsi ut homo sit ordinis inferioris ad Angelos. Vel respondeo, Christum ut hominem Angelis præeminere, & esse in ordine supernaturali ratione personalitatis, sicque esse caput totius Ecclesiæ, seu hominum viatorum & Angelorum, cùm sit altior ipsis Angelis propter majorem ad Deum propinquitatem.

QUÆSTIO II.

An Christus ut homo sit ita caput Angelorum, quòd ipsis gratiam & gloriam, etiam essentialem, meruerit?

SEnsus difficultatis est, an Christus promeruerit Angelis gratiam sanctificantem & gloriam essentialem? Plures Scotistæ quos citat & sequitur Mastrius, existimantes Christum nulla habuisse merita nisi à carne passibili & passione dependentia, tenent partem negativam. Alii verò aliter sentiunt, nedùm de gloria accidentali seu de illuminationibus, ministe-

nisteriis &c. sed etiam de gloria essentiali; unde

Dico, quòd Christus ut homo ita est caput Angelorum, ut ipsis gratiam & gloriam essentialem meruerit. Hæc conclusio est plurium Scotistarum, quos citat & sequitur Delgadillo, & est conformior principiis Scoti. Prob. Christus fuit prævisus ut absolutè futurus, antequàm Deus haberet decretum conferendi gratiam & gloriam Angelis, ut docet Scotus, & ut patet suprà disp. 4. de motivo incarnationis: ergo ex hoc principio Scoti cogimur fateri Christum meruisse gratiam & gloriam Angelis, ac primis parentibus in statu innocentiæ. Prob. consequentia 1. Principalis ratio qua Thomistæ probant oppositum, est quia Deus prædestinavit Christum post prævisionem peccati: nam (inquiunt) Christus fuit prævisus post præscientiam peccati, sicque gratia fuit collata Angelis ante prævisionem Christi, cùm gratia collata fuerit ante prævisionem peccati: ergo cùm ex principiis Scoti liquidò constet Christum fuisse prævisum ante prævisionem peccati, constat etiam ex Doctore gratiam fuisse collatam Angelis post prævisionem Christi. 2. In illo priori signo in quo ex Scoto Christus fuit prævisus, fuerunt etiam prævisi ejus actus dilectionis & amoris liberè eliciendi: ergo Deus poterat propter illos actus liberè eliciendos, velle conferre gratiam Angelis & primis parentibus; sed si hoc fieri poterat, factum fuisse dicendum est. Tum quia extollit excellentiam Christi, cùm reddat Angelos Christo obligatos. Tum quia gloriosius est Angelis habere vitam æternam per merita Christi, quàm omninò gratis & sine meritis: ergo Christus meruit gloriam essentialem Angelis.

Prob. 2. ex SS. Patribus. Hiero. super epist. ad Ephes. 2. ait, *Christum pacem attulisse cælestibus & terrenis, quia in suo sanguine cælestia & terre-*

terrestria copulavit; atque ita factum esse, ut crux Christi non solùm terræ, sed etiam cœlo; non solùm hominibus, sed etiam Angelis profuerit. D. Gregor. homil. 14. in cap. 40. Ezech. ait, *Vnigenitus Patris qui sursum est firmitas Angelorum, inferiùs factus est hominum redemptio.* D. Bern. serm. 22. in Cant. ait, *Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo, ne laberetur &c.* D. Gregor. in cap. 2. libri primi Regum, *Nullus* (inquit) *hominum neque Angelorum est sanctus nisi per Christum*: ergo ex SS. Patribus, Christus est causa meritoria sanctitatis & gloriæ essentialis Angelorum.

Resp. Gonet. SS. Patres, & præsertim D. Bernardum loqui de Christo non ut homine, sed ut Deo, ut constat ex verbis antecedentibus, *Quoniam* (inquit) *qui erat Angelis sanctificatio, redemptio factus est nobis*: supponunt enim verba illa, Christum, antequàm fieret nobis redemptio, atque adeò priusquàm fieret homo, factum fuisse sanctificationem Angelorum: cùm ergo dicit Bern. *Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo, ne laberetur*, solùm vult, quòd per Christum in quantùm Deum, steterunt Angeli boni, sicut per eumdem Christum in quantùm Deum & hominem, redemptus est homo lapsus: eodem modo exponi debent alii Patres.

Contra 1. Si sancti Patres locuti fuissent de Christo ut Deo, non dixissent *Christus erexit*, sed *Deus erexit*. Tum quia nullum opus ad extra attribuitur specialiter Filio. Tum quia nullum opus attribuitur Deo ratione humanitatis, nec sub nomine Christi. Tum quia si hæc expositio valeret, quidquid Patres dicunt de Christo, posset de Christo ut Deo intelligi. 2. Verba illa, *Quoniam qui erat Angelis sanctificatio, redemptio factus est nobis*, non denotant Christum ut Deum esse sanctificationem nostram, sed Christum futurum & prævisum fuis-

fuisse sanctificationem Angelorum & redemptionem nostram. 3. SS. Patres loquebantur de causa meritoria; nam sanctificatio Angelorum & redemptio hominum respiciunt Christum sub eodem genere causæ: sed Deus nequit esse causa meritoria, ut patet: ergo loquebantur de Christo ut homine.

Prob. 3. Omne quod est tale per participationem, revocari debet ad illud quod est tale per se, ut patet in corpore luminoso, quod ad solem revocatur, & sic de cœteris; sed Angeli sunt sancti per participationem & per adoptionem, adoptati enim sunt ad æternam hæreditatem tamquam extranei: ergo ad Christum revocantur, ut ab illo & per illum, gratiam sanctificationis & adoptionis obtineant; & consequenter non sunt adoptati ad gloriam Filii naturalis independenter à Christo, qui est Filius naturalis gloriæ.

Confirm. Omnes Angeli dum erant in via peccare poterant. Tum quia erant liberi. Tum quia aliqui peccaverunt; sed illi qui non peccaverunt, pervenerunt ad gloriam per meritum Christi futuri. Tum quia constat ex Joan. 14. *Nemo venit ad Patrem, nisi per me*: hæc enim vox *Nemo*, excludit tam Angelos, quàm homines, ut patet in istis Scripturæ locis, *Nemo bonus nisi solus Deus. Nemo novit Filium nisi Pater. Neminem viderunt nisi solum Iesum*. Tum quia meruisset gloriam puris propriis meritis, vel alienis? propriis nequaquam; quia Gonet. supponit meritum puræ creaturæ, illam gloriam ex æquo & justo promereri non posse. Si meritis alienis; non nisi Christi, cùm aliud non detur meritum quod Angelis possit esse proficuum: ergo boni Angeli steterunt in gratia & pervenerunt ad beatitudinem ex vi meritorum Christi futuri.

Prob. denique: Christus qui de facto gratiam, & gloriam essentialem sibi meruit, ut fatetur

Gonet. infrà disp. de merito Christi, habuit gratiam & gloriam modo nobiliori, & est sanctior Angelis & prædestinatis, nedùm quoad intensionem & sanctitatis gradus, sed etiam quantùm ad modum & circunstantias: ergo Angeli habuerunt gratiam & gloriam essentialem dependenter à meritis Christi. Antecedens patet: Consequentia verò prob. 1. Si Angeli habuissent gratiam & gloriam immediatè à divina voluntate, independenter à meritis alienis, habuissent eam modo quo Christus eam habuit; sicque gratia Angelorum esset independens à meritis Christi, & à solo Deo dependeret sicut gratia ipsiusmet Christi: ergo Christus non habuisset gratiam modo nobiliori quàm Angeli. 2. Christus est sanctior hominibus. 1. Quia gratiam intensiorem habet. 2. Quia habet illam à solo Deo absque meritis, & homines habent illam à Deo, dependenter à meritis Christi: ergo si Christus sit sanctior Angelis omnimodò, oportet, quòd gratia Angelorum à Christo dependeat. 3. Gratia Angelorum magis dependet quàm gratia Christi; sed si non dependeat à meritis Christi, non magis dependet, cùm gratia Christi dependeat à Deo sicut gratia Angelorum: ergo gratia Angelorum dependet à meritis Christi, & gratia Christi à solo Deo. *Tandem*, gratia Christi dicitur omninò singularis: ergo Angeli non habuerunt gratiam titulo gratuitæ donationis sicut Christus, sed titulo meritorum, non propriorum, sed Christi.

Obj. 1. Gonet. triplici Scripturæ testimonio. *Primum* habetur Luc. 2. ubi Angelus alloquens pastores post Christi nativitatem gratulabũdus, dicebat, *Euangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator*: his enim verbis satis indicat, Christum solis hominibus natum esse, alioquin tanti beneficii meminisset; nec solis pastoribus, cæterisque hominibus, sed

etiam

etiam Angelis natum esse Salvatorem prædicasset. Unde Bernardus & Guerricus Abbas dicunt (at brevitatis gratia verba non adduco) Christum Salvatorem solis hominibus natum esse. *Secundum* testimonium habetur Matth. 18. & Luc. 15. ubi Christus parabolam inducit pastoris, qui 99. oves in deserto reliquerat, ut centesimam quæ perierat, salvam faceret: communis enim Patrum interpretatio in hunc locum est, per 99. oves in deserto relictas, significari novem Angelorum choros, quos Christus verus & bonus pastor, in cœlo quodammodò deseruit, dum è sinu Patris in uterum B. Virginis descendit, ut ovem centesimam, quæ hominem designat, à patria aberrantem & peccato perditum quæreret, & sanguine proprio salvum faceret. Ita hanc parabolam explicant DD. Ambr. Gregor. & venerab. Beda, in illud 15. Luc. *Quis ex vobis homo qui habet centum oves, &c. Tertius* locus sumitur ex 2. cap. ad Hebr. ubi Apost. loquens de excellentia Christi supra Angelos, sic habet: *Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur ex uno omnes; propter quam causam non confunditur eos vocare fratres, dicens, Nunciabo nomen tuum fratribus meis; & iterum Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi Deus, quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem*: ex quibus verbis sic formatur argumentum; Omnes qui sanctificantur à Christo, atque adeò quibus ipse meruit gratiam sanctificantem, quæ est gratia essentialis, vocantur pueri & fratres Christi; sed Angeli non possunt pueri & fratres Christi appellari: ergo. Major est propositio Apostoli, minor verò prob. Illi dicuntur ab Apostolo pueri & fratres Christi, qui communicaverunt carni & sanguini; sed Angeli non communicaverunt carni & sanguini, utpote spiritus puri: ergo vocari nequeunt pueri & fratres Christi.

Resp. ad 1. Angelum non dixisse, *Quia natus est nobis*, sed potiùs *vobis hodie Salvator*. 1. Quia non loquebatur de Salvatore præservativo; sed de reparativo & sublevativo, unde cùm Angeli non sint redempti, nec sublevati per merita Christi, sed tantùm præservati; non dixit *nobis*, sed *vobis*. 2. Ut pastores inferre possent nuncium non esse hominem peccatorem; sed Angelum, cui fidem adhibere poterant; sicque etiam intelligendi sunt SS. Patres. *Ad secundum*, dico parabolam esse intelligendam de assumptione naturæ humanæ, non verò de salute; unde verum est, quòd Christus bonus & verus pastor deseruit in cœlo novem choros Angelorum, ut hominem sibi uniret, juxta Patres super illud Apost. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ*, non autem ut solis hominibus gratiam & gloriam procuraret: Deus enim proposuit in Christo restaurare omnia, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt, ut ait Apost.

Ad tertium, dico Apostolum loqui de sanctificante & sanctificatis per meritum Passionis, propter quam causam Christus frater noster & caro nostra est, tum quia mortuus est ut fidejussor noster, & factus est pro nobis debitor, non verò de sanctificante & sanctificatis simpliciter & quomodocumque: ergo Apostolus non loquitur de Christo in carne passibili: nec de Angelis qui sanctificati fuerunt ex meritis Christi prævisi ut glorificatoris. Unde ad argumentum distinguo majorem: Omnes qui sanctificantur à Christo moriente, aut parturiente in cruce, vocantur pueri & fratres Christi, concedo; à Christo glorificatore, & antecdenter ad præscientiam peccati præviso, vocantur pueri & fratres Christi, nego majorem; & concessa minori, nego consequentiam: quia Deus dedit gratiam & gloriam essentialem Angelis & Adamo in statu innocentiæ ex vi meritorum Christi.

ſti glorificatoris, qui veniſſet Adamo non peccante.

Obj. 2. D. Thomas (inquit) negat judicio Chriſti ut hominis, Angelos ſubiici quantùm ad præmium eſſentiale, & damnationem æternam; quæ doctrina verificari non poteſt, ſi Chriſtus Angelis meruit præmium eſſentiale: ſi enim antiqui Patres, licèt ante incarnationem juſtificati, eo ipſo tamen, quòd ex meritis Chriſti juſtitiam ſuam habuerunt, ſubſunt judicio Chriſti humano in fine mundi futuro; quare ad Chriſtum ut hominem non pertinebit judicare Angelos in extremo judicio de merito eſſentiali & præmio illi correſpondente, ſi tale præmium ex meritis & gratia Chriſti conſecuti ſunt?

Reſp. negando conſequentiam, quia licèt Angeli non ſubjiciantur judicio Chriſti, ut vult D. Thom. hoc non obſtat: nam judicio Chriſti ſubjiciuntur homines, quia puniendi aut præmio donandi ſunt propter merita aut demerita, ut patet ex Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei*. Et ratio eſt, *Eſurivi enim & dediſtis mihi manducare*. Poſteà dicet his qui à ſiniſtris erunt, *Diſcedite à me maledicti; eſurivi enim & non dediſtis mihi potum*. Non autem quia gratiam & gloriam eſſentialem ex meritis Chriſti receperunt: ſed Angeli habuerunt gratiam in inſtanti creationis, & ſtatim fuerunt in termino in quo non meruerunt nec demeruerunt: ergo non ſunt judicandi. 2. SS. Patres judicabuntur, quia obtinebunt gloriam corporis: ergo Angeli qui corporis expertes ſunt, non debent judicio Chriſti ſubjici, ſicut SS. Patres, licèt gratiam & gloriam ex meritis Chriſti præviſi habuerint, ſicut ipſi SS. Patres.

Obj. 3. Decretum de conferenda gratia & gloria ex meritis Chriſti, dependet ex præviſione peccati Adami, ſaltem in genere cauſæ materialis & occaſionalis; ſed decretum de conferen-

ferenda gratia & gloria essentiali Angelis, non dependet ex prævisione peccati Adami: ergo decretum illud non innititur præscientiæ meritorum Christi, nec ab illa dependet, subindeque gratia & gloria essentialis Angelis collata, non est ex meritis Christi; sed ex mera & gratuita liberalitate Dei. Major prob. Christus & ejus incarnatio decreta fuerunt dependenter à prævisione peccati Adami, ita ut illo non peccante Filius Dei non venisset: ergo, &c. Minor prob. 1. Cùm Adamus ex suggestione mali Angeli jam damnati lapsus fuerit, Deus priusquàm statueret permittere peccatum primi parentis nostri, ac proinde priusquàm illud præsciret, debuit habere voluntatem permittendi lapsum primi Angeli; subindeque & voluntatem efficacem conservandi bonos Angelos in gratia, eosque consequenter remunerandi gloria essentiali; aliàs reprobatio malorum Angelorum esset prior prædestinatione bonorum, quod tamen omnes negant: ergo similiter, imò à fortiori, priusquàm Deus decerneret permittere peccatum Adami, illudque præsciret, voluit conferre Angelis gratiam & gloriam essentialem. 2. Prob. eadem minor principalis: Gratia quæ est dependens ex prævisione peccati, est gratia sanans & redimens, ut de se patet; sed gratia collata Angelis non est hujusmodi, ut enim dicitur Matth. 9. *Non est opus valentibus medico, sed his qui male habent*: ergo, &c.

Resp. concessa minori cum probationibus, negando majorem cum probatione: In duplici enim statu consideranda sunt merita Christi; alia sunt Christi glorificatoris, qualia sunt v. g. actus dilectionis & charitatis, quos elicuisset etiam si Adam non peccasset, cùm venisset ut glorificator; alia verò sunt Christi Redemptoris, qualia sunt effusio sanguinis, similesque actus ad mortem ordinati. Ista merita de-

dependent ex prævisione peccati Adami, cùm Christus non venisset ut Redemptor, si Adam non peccasset; at illa, seu Christi glorificatoris non dependent ex prævisione peccati Adami, cùm Christus sic consideratus, fuerit prævisus & prædestinatus ante prævisionem peccati Adami, ut dictum est suprà: ergo decretum de conferenda gratia & gloria ex meritis Christi, potest antecedere prævisionem peccati Adami.

Obj. 4. Omne meritum Christi pro his quos sanctificavit, ita fuit Passione & morte sua consummatum, ut nemo per Christum sanctificatus sit, nisi pro eo Christus passus & mortuus sit; unde quicumque excluditur à sanguine & morte Christi, etiam ab ejus merito & sanctificatione excluditur: sed Angeli à sanguine & morte Christi excluduntur: ergo, &c. Minor est certa, & passim docetur à SS. Patribus. August. enim in Enchiridio cap. 61. sic ait, *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro omnibus tradidit illum: non enim pro Angelis mortuus est Christus*. (Idem sentiunt & expresè dicunt D. Bern. Gregor. quorum verba brevitatis gratia omitto.) Major autem prob. ex illo Hebr. 10. *Vna oblatione consumavit in sempiternum sanctificatos*: Quibus verbis apertè declarat, quòd quicumque sanctificati sunt, illa una oblatione qua Christus in ara crucis seipsum in sanctificationem pro peccatis obtulit, gratiam & sanctificationem obtinuerunt; subindeque, quòd omne Christi meritum pro his quos sanctificavit, Passione & morte sua consummatum fuit. Ratio etiam id suadet, nam convenientissimum est, ut omne Christi meritum pro his quos sanctificavit, in perfectissimo ejus opere completum & consummatum sit; sed Christi Passio & mors fuit opus Christi perfectissimum, & præstantissimum, quia in ea completum est totum pondus charitatis ipsius, juxta illud Apost. ad

Rom. 5. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quia cùm peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Quæ verba exponens D. Thom. subdit, *In hoc quod dicit, commendat, immensitatem quandam divinæ charitatis assignat:* ergo, &c.

Confirm. In his quæ Christus pro seipso meruit, consummavit meritum suum per Passionem & mortem, juxta illud Luc. 24. *Nonne sic oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Et ad Philip. 2. *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltavit illum:* ergo à fortiori omne Christi meritum pro his quos sanctificavit, Passione & morte sua consummatum est.

Resp. ad argumentum concessâ minori de morte sublevativa & reparativa, non autem de morte præservativa, negando majorem. Tum quia meritum Christi potuit à Deo acceptari, licèt esset morte & Passione consummandum, quia hoc pendet à divina dispositione, quæ potuit acceptare merita solùm ut prævisa, & intuitu ipsorum sanctificare Angelos, ut de facto in doctrina Scoti sanctificavit Deiparam, antecedenter ad prævisionem eorumdem meritorum ut in morte & Passione consummandorum. Tum quia meritum Christi non dicitur consummatum Passione & morte, causaliter, ita ut mors sit causa totius meriti; sed terminativè, quia mors aut Passio est ultima actio meritoria Christi: ergo Christus meruit antecedenter ad Passionem & mortem, putà per actus dilectionis & charitatis erga Deum & proximũ. Ad prob. dico Apost. loqui de sanctificatis positivè, seu de illis qui de statu peccati ad statum gratiæ transierunt, quos una oblatione Christus sanctificavit; non verò de sanctificatis privativè, seu de illis qui à statu puræ naturæ ad statum gratiæ transire potuerunt, qua sanctificatione Angeli fuerunt sanctificati; licèt enim nunquam

exti-

extiterint sine gratia, tamen eorum naturalia ad gratiam præsupponuntur. *Ad rationem*, dico quòd est vera de sanctificatis positivè, seu de redemptis, non verò de sanctificatis privativè aut præservatis, quales sunt Angeli, quos Deus intuitu meritorum Christi ante præscientiam peccati, prævisi, præservavit à peccato & sanctificavit, quia illi, scilicet redempti, Deo sic ordinate redimendi erant morte Christi, ut colligitur ex illo Isa. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, &c.* isti verò non erant redimendi; sed tantùm à peccato præservandi: ergo convenientius fuit eos sanctificare & præservare ante mortem, cùm tunc peccare potuerint, quàm post mortem Christi.

Ad confirm. nego paritatem: quia cùm Christus non sibi meruerit nisi gloriam sui corporis, suique nominis exaltationem, ut fatetur Gonet. in his quæ pro seipso meruit, consummavit meritum suum per Passionem & mortem, quia corpus erat glorificandum & nomen exaltandum post mortem, ut probant verba suprà citata, *Nonne oportuit Christum pati*, id est mori, *& ita intrare in gloriam suam?* at Angeli erant sanctificandi ante mortem & Passionem Christi: ergo Christus ipsis meruit gratiam ante mortem per actûs charitatis & dilectionis erga Deum & proximum, ante præscientiam peccati Adami prævisos.

Obj. ultimò: Nullus justificatus per merita Christi, est glorificatus ante merita Christi per Passionem consummata; sed Angeli sunt glorificati ante merita Christi per Passionem consummata: ergo per merita Christi justiacati non sunt. Minor est certa de fide, & patet ex illo Matth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*. Major verò prob. exemplo Patrum antiquorum qui incarnationem præcesserunt: ideò enim illi non sunt glorificati ante Passionem Christi, quia eorum gratia, erat gratia de-

rivata à Christo, & ideò non debebat priùs consummari in membris, quàm in capite à quo derivabatur.

Resp. negando majorem, ad cujus prob. nego paritatē. Tum quia Patres habebant aliquod peccatum, putà originale, per Passionem expiandum; at ex parte Angelorum nullum erat peccatum expiandum: ergo non erat ratio differendi gloriam Angelorum usque ad Passionem, sicut gloriam hominum. Tum quia gloria hominum dependebat à satisfactione Christi, & pretio in ara crucis exhibendo in debitum reconciliationis; at gloria Angelorum dependebat à meritis Christi, præcisè ut sunt merita ejus. Unde cùm reconciliatio aut satisfactio exhiberi non potuerit, nisi in cruce, & merita Christi prævisa, fuerint digna aut meritoria gloriæ Angelorum, non fuit ratio differendi gloriam Angelorum, sicut gloriam hominum. Tum quia Deus erat offensus à peccatis hominum, ideoque erat per mortem Christi satisfaciendus; at non erat offensus ab Angelis ad gloriam prædestinatis: ergo non debuit eodem modo se gerere erga utrosque.

Tum quia Christus debuit ascendere in cœlum ut triumphator principis hujus mundi, atque adeò ascendens in altum solam captivam ducere captivitatem, ob quam liberandam venerat in mundum; sed Angeli boni non erant in captivitate sicut antiqui patres: ergo Angeli non debebant expectare consummationem meritorum Christi per mortem & passionem, & simul cum Christo in cœlum ascendere, sicut ascenderunt Sancti Patres qui erant in captivitate, quam Christus ascendens in altum, duxit captivam: ergo ex dictis restat Christum meruisse Angelis gratiam.

Hoc verum esse sic evinco: nam Apocalip. cap. 12. vers. 11. legitur de prælio facto in cœlo, *Et ipsi*, id est Angeli, *vicerunt eum*, id est, *dia-*

diabolum, ut ex præcedentibus & subsequentibus verbis constat, *propter sanguinem agni & propter verbum testimonii sui, & non dilexerunt animas suas usque ad mortem*, quibus suadetur Angelos sanctos non peccasse cum malis, propter sanguinem Christi seu ipsius gratiam, intuitu Christi futuri eis concessam à Deo. Undè Christus in sacra Scriptura dicitur Sol, quia sicut Sol in medio planetarum collocatus, superiores & inferiores irradiat, nec est qui se abscondat à calore ejus; ita Christus à Deo Patre prævisus, Angelos & homines irradiavit nec est qui se abscondat à calore, seu meritis & dilectione ejus.

QUÆSTIO III.

Per quam gratiam Christus in ratione capitis Ecclesiæ constituatur?

DIco, quòd gratia capitis in Christo consistit in dignitate aut potestate quam Deus illi contulit in Angelos & homines. Ita omnes Scotistæ. Prob. Christus nequit esse caput hominum & Angelorum, quin sit electus & institutus à Deo. Tum quia Deus solus est Dominus & Rex supremus Angelorum & hominum: ergo nulla creatura in ipsos Angelos & homines influere potest, quin sit ad hunc finem electa & instituta à Deo. Tum quia dignitas capitis nihil physicum importat; sed dumtaxat aliquid morale, seu deputationem à supremo Domino factam, qua supremus Dominus subjicit suos subditos alteri tamquam capiti, ut patet in judice cui Rex confert authoritatem judicandi: ergo Christus est formaliter caput Ecle-

clesiæ per potestatem quam Deus illi contulit in Angelos & homines. Prob. consequentia: Electio est actus divinæ voluntatis, quo Deus contulit Christo authoritatem in Angelos & homines, ut patet ex illo Eccl. 45. *Ipsum elegit ab omni vivente, offerre sacrificium Deo, incensum & bonum odorem, in memoriam placere pro populo suo, & dedit illi in præceptis suis potestatem, in testamentis judiciorum, docere Iacob testimonia, & in lege sua lucem dare Israel.* Ex quibus verbis colligitur Christum habere potestatem in Israel, id est, in Ecclesiam, quia fuit à Deo specialiter electus ex omni carne. *Deinde*, Christus est caput Ecclesiæ, quia ipsi subjiciuntur omnia Ecclesiæ membra; sed ratio formalis subjiciens omnia Christo, est potestas quam Deus ipsi contulit in Angelos & homines: ergo hæc dignitas constituit Christum, caput Ecclesiæ.

Obj. Gonetus: Forma dans Christo ut homini radicale posse ad influxum in membra Ecclesiæ, gratia capitalis est: sed gratia habitualis hoc præstat: ergo. Major patet: Gratia enim capitalis ea dicitur quæ est influxiva in alios, cùm de ratione capitis sit in membra influere. Minor verò suadetur: Christus influit in membra Ecclesiæ, per meritum & satisfactionem; sed gratia habitualis dat Christo ut homini posse radicaliter mereri: ergo dat illi posse radicaliter influere in membra Ecclesiæ.

Confirm. Ad rationem capitis tres solùm conditiones requiruntur, nimirum prioritas, eminentia & influxus; sed gratia Christi habitualis tres illas conditiones habet: Ergo. Minor prob. In primis enim gratia habitualis Christi est prior gratia cæterorum hominum; tum quia magis accedit ad Deum; tum etiam quia est finis & exemplar gratiæ gratis datæ aliis hominibus, sicut prædestinatio Christi est finis & exemplar nostræ prædestinationis: Est etiam emi-

eminentior gratia hominum & Angelorum, cùm sit multò perfectior & abundantior, & Christus gratiæ plenitudinem habeat. *Denique*, Christus per eam influit in Ecclesiæ membra; ergo conditiones ad rationem capitis requisitas habet.

Resp. distinguo antecedens: Forma dans Christo ut homini radicale posse ad influxum in membra Ecclesiæ, gratia capitalis est, fundamentaliter, radicaliter & congruenter, concedo; Formaliter & actu, nego. Distinguo similiter minorem: Gratia habitualis Christi hoc præstat fundamentaliter, concedo; Formaliter & actu, nego minorem & consequentiam de gratia capitali formali: Nam gratia habitualis & gratia unionis, sunt rationes fundamẽtales propter quas Deus instituit Christum caput Ecclesiæ, aut ob quas Deus illi contulit potestatem in Angelos & homines: sicut enim Rex confert judici authoritatem judicandi, quia eximia negotiorum notitia, morumque probitate pollet; quin tamen notitia & morum probitas ipsum constituant judicem, nisi fundamentaliter aut congruenter, non verò formaliter, cùm sit & constituatur talis per dignitatem & authoritatem Regis, illi in subditos Regis concessam; ita pariter Deus contulit Christo authoritatem in Angelos & homines, quia erat homo Deus & summè sanctificatus: ergo hæc dignitas constituit formaliter Christum caput Ecclesiæ, non autem gratia habitualis, quæ non est influxiva in alios physicè & ex natura sua; sed moraliter & ex divina ordinatione instituente Christum caput omnium hominum. Unde cùm Christus, licèt in membra Ecclesiæ influat per meritum & satisfactionem, non influat ex vi meriti & gratiæ; sed ex vi divinæ electionis aut potestatis specialiter illi concessæ; sequitur, quòd gratia habitualis non est id, quod constituit Christum formaliter caput, sed tan-

tùm

tùm fundamentaliter. Ad confirm. dico, quòd gratia Christi habitualis non habet conditiones ad rationem capitis requisitas, nimirùm prioritatem, eminentiam & influxum, ex natura sua & physicè; sed ex divina ordinatione qua Deus instituit Christum caput Ecclesiæ: ergo gratia habitualis non est forma quæ actu & formaliter constituit Christum caput Ecclesiæ; sed tantùm fundamentaliter. Idem dico de gratia unionis.

Confirmatur: Gratia habitualis non sanctificat formaliter ex natura rei, nec physicè, sed solùm ex divina ordinatione statuente qualitatem gratiæ talem præstare effectum, ut in proprio loco diximus cum omnibus Scotistis, qui unanimi consensu docent gratiam habitualem non constituere nos Filios Dei adoptivos, nec membra Christi physicè; sed moraliter: ergo eadem gratia nequit ex se instituere Christum caput Ecclesiæ; subindeque Christus est caput hominum & Angelorum formaliter & actu per quamdã dignitatem aut potestatem, quam Deus ei contulit in Angelos & homines, & per quam subjecit omnia sub pedibus ejus.



DISPUTATIO XIII.

De scientia beata animæ Christi.

Brevitatis gratia omitto disputationem de scientia Christi in communi, quia quæritur dumtaxat, an intellectus humanus Christi intellexerit per intellectionem increatam & divinam, & an sic intelligere potuerit? unde sit

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An Christus, dum esset viator & in terris degens, scientiam beatam habuerit, illamque à primo conceptionis instanti receperit?

SUppono 1. tamquam de fide certum, in Christo fuisse scientiam seu intellectionem creatam, quia in Christo sunt duo intellectus, sicut duæ voluntates & duæ naturæ. 2. Intellectum humanum Christi non potuisse etiam de potentia absoluta per increatam Dei intellectionem intelligere. Tum quia constat ex D. Aug. lib. 5. contra Julianum. Tum quia intellectus creatus qui naturalis est, nequit habere operationem substantiæ supernaturalis, cùm operari sequatur esse.

Dico 1. Christum adhuc viatorem & in terris degentem, vidisse divinam essentiam, subindeque habuisse scientiam beatam. Tum quia patet ex illo Joan. 17. *Pater quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam quam dedisti mihi*, & ex aliis similibus. Tum quia Christus fuit causa meritoria sanctitatis hominum: ergo fuit perfectior in via aliis hominibus, & consequenter beatus. Tum quia cùm Christus esset Deus & homo, congruum erat, ut humanitas videret intuitivè Deum cui erat hypostaticè unita.

Dico 2. Christum scientiam beatam, seu visionem beatificam à primo instanti conceptionis habuisse. Tum quia hoc spectat ad majorem dignitatem & excellentiam Christi. Tum quia habebat gratiam sanctificantem, quæ requiritur ad consummationem, seu ad gratiam consummatam, quæ est beatitudo. Tum

quia

quia colligitur ex Ps. 64. *Beatus quem elegisti & assumpsisti*: sed humanitas fuit assumpta ab instanti conceptionis: ergo & in eodem istanti fuit beata.

Dices 1. Joan. 17. habetur, *Clarifica me Pater claritate quam habui, priusquam mundus esset apud te*. Et Luc. 23. *Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*? Ergo Christus ante Passionem non videbat intuitivè Deū, nec erat beatus; aliàs non dixisset *Clarifica me &c.* Resp. negando consequentiam, quia hæc & similia Scripturæ verba, intelligenda sunt de claritate, gloria & exaltatione nominis & corporis Christi, quam Christus non habuit nisi in morte & Passione, ut suadet illud Pauli, *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen*.

Dices 2. Christus in terris degens habuit tristitiam: ergo non fuit beatus, quia tristitia est prorsùs incompatibilis cum beatitudine. Resp. negando consequentiam, quia Christus reapsè tristis fuit in via; sed secundùm partem inferiorem, & hoc ex divina dispensatione, non verò secundùm partem superiorem, secundùm quam semper habuit summum gaudium ac æternam fœlicitatem.

Hìc obiter observa pro majori responsionis intelligentia, duplicem esse animæ portionem: superiorem videlicet & inferiorem, ut monent communiter omnes Doctores, quin tamen portio superior & portio inferior intellectus (item portio superior & inferior voluntatis) sint duæ potentiæ distinctæ: sic docet Scotus in 2. dist. 24. quæst. unica. Ubi etiam docet, quòd portio superior & inferior distinguuntur penes diversa objecta; nam dum facultates animæ, nimirum intellectus, voluntas & memoria occupantur aut versantur circa æterna & spiritualia, tunc anima agit secundùm portionem superiorem: quando autem eædem facultates animæ

mæ versantur circa temporalia & humana, tunc anima agit secundùm portionem inferiorem. Ratio hujus divisionis est, quia ut inquit D. Augustinus apud Doctorem loco citato §. *est igitur*, portio superior intendit regulis æternis & superioribus contemplandis, inferior autem intendit temporalibus agendis secundùm regulas æternas.

Unde Christus secundùm portionem inferiorem, scilicet quatenus facultates animæ ipsius occupabantur circa temporalia & humana, erat tristis; & quatenus eædem facultates versabantur circa æternam, spiritualia & divina, habebat summum gaudium, hoc est, secundùm portionem superiorem: nec implicat, quòd tristitia & gaudium, & præsertim ex divina dispensatione, sint simul in eodem subjecto circa diversa objecta; cùm de facto fuerint in Christo, qui delectabatur de morte ut utili ad redemptionem hominum, & tristabatur de illa prout dissona naturæ.

QUÆSTIO II.

An anima Christi per scientiam beatam omnes creaturas possibiles in essentia divina cognoscat?

DIco, quòd anima Christi per scientiam beatam cognoscit in divina essentia omnes creaturas possibiles. Prob. 1. ex Goneto tom. 1. tract. de visione: Beati vident aliquas creaturas possibiles: ergo Christus videt omnes. Prob. consequentia: Quia Christi scientia est major scientia seu cognitione beatorum; imò est positivè summa ex possibilibus respectu omnipotentiæ Dei, sicut gratia; sed non potest esse

esse positivè summa ex possibilibus, quin attingat omne id, quod per scientiam potest attingi, puta actualia, futura & possibilia; & elevet intellectum humanum Christi ad cognitionem omnium cognoscibilium, quemadmodum gratia habitualis elevat animam ad omne meritum: ergo &c.

Confirm. Beatus qui videt aliquas creaturas possibiles, videt illas, quia essentia divina quæ est objectum voluntarium, eas ipsi repræsentat secundùm ejus merita, vel secundùm speciale beneplacitum Dei? Si primum: ergo Christus videt omnes, quia dato, quòd beatus videat aliquas propter merita, cùm merita Christi sint ex Goneto intrinsecè infinita, meretur videre omnia possibilia. Si secundum; etiam videt omnes creaturas possibiles, quia beneplacitum Dei erga Christum est positivè summum ex possibilibus: ergo si creaturæ possibiles, cognoscibiles sint ab intellectu creato, Christus eas cognoscit.

Prob. 2. Quilibet beatus videt omnia quæ ad proprium statum beatificum pertinent, ut fatetur Gonet tom. 1. sed ad statum beatificum animæ Christi spectat cognitio omnium possibilium: ergo &c. Prob. minor 1. Christus est finis & Dominus universorum, caput & Judex omnium hominum. 2. Deus omnia subjecit sub pedibus ejus, ut ait Scriptura. 3. Anima Christi cognoscit aliquam creaturam possibilem, aliàs nihil eorum quæ Deus cognoscit scientia simplicis intelligentiæ, cognosceret; quod est falsum: ergo omnes creaturæ possibiles pertinent ad proprium statum beatificum Christi, ideòque videntur omnes ab ipso.

Prob. 3. Non est ponendus terminus in cognitione Christi erga creaturas possibiles, ita ut cognoscat aliquas, & alias ignoret: ergo dato, quòd cognoscat aliquas, cognoscit omnes. Prob. antecedens 1. *In ipso*, idest, in Chri-

sto

sto *sunt omnes thesauri scientiæ & sapientiæ, Dei*, ut ait Apost. ad Colos. 2. quod non potest intelligi nisi ex parte objectorum: ergo. 2. Joan. 3. dicitur Deum non dedisse Christo spiritum, id est cognitionem, ad mensuram; si enim Christus non cognosceret omnia possibilia, sed tantùm aliqua, spiritus esset illi datus ad mensuram: ergo &c. 3. Satisfactio Christi est sufficiens pro peccatis hominum possibilium: ergo cognitio Christi attingit possibilia. Prob. consequentia: Christus cognoscit perfectè & distinctè virtutem suæ Passionis: ergo cognoscit homines possibiles pro quibus est sufficiens.

Obj. Gonetus: Cognitio omnium possibilium in divina essentia cognita, est divinæ essentiæ comprehensio: sed implicat intellectum creatum, & consequenter intellectum animæ Christi, Dei essentiam comprehendere: ergo & omnia possibilia in eo cognoscere. Minor patet, major autem in qua est difficultas, sic ostenditur: Eo modo unum in alio cognoscitur, quo in illo continetur; sed creaturæ continentur in Deo ut effectus in causa: ergo in illo cognoscuntur sicut effectus in causa; sed cognitio omnium effectuum in aliqua causa ex vi cognitionis illius, est causæ comprehensio: ergo cognitio omnium possibilium in divina essentia cognita, est divinæ essentiæ comprehensio. Minorem subsumptam probat S. Doctor: Quantò perfectior cognoscitur causa, tantò plures effectus cognoscuntur in illa: ergo non possunt effectus alicujus causæ cognosci ex vi cognitionis causæ, nisi in causa, cognita omni perfectione possibili; sed cognitio causæ perfectæ omni perfectione possibili, est illius comprehensio: ergo cognitio omnium effectuum in aliqua causa, est ipsius comprehensio.

Resp. negando majorem, ut expresè patet tom. 1. tract. de visione, disp. 5. quæst. 4. Ad

prob.

prob. concesso sillogismo, nego subsumptum; quia ut cognitio causæ sit comprehensio ejusdem, præter effectus in ipsa causa contentos, oportet quòd attingat omnes gradus perfectionum ejus intensivè, & absolutè consideratos, quos tamen anima Christi non videt, licèt omnia possibilia videat. Ad prob. nego consequentiam; quia cognitio effectuum, est cognitio causæ, sed non est comprehensio ejusdem; alioquin beati qui Deum & creaturas existentes vident, comprehenderent Deum: ergo licèt quantò perfectiùs cognoscitur causa, tantò plures in illa cognoscantur effectus, tamen non comprehenditur, cùm cognitio non sit comprehensio, quamvis comprehensio sit cognitio. Vide in 1. loco suprà citato.

Quæres, an scientia beata Christi ad omnia præsentia, præterita & futura se extendat? Resp. affirmativè. Tum quia cognoscit possibilia, seu ea quæ Deus attingit per scientiam simplicis intelligentiæ, ut probat quæstio præcedens: ergo cognoscit etiam ea quæ attingit per scientiam visionis, seu præterita, præsentia & futura, cùm non sit major ratio. Tum quia hoc spectat ad excellentiam Christi. Tum quia beati vident in Verbo totum universum, prout includit suas partes principales, & ea quæ pertinent ad proprium statum, ut dictum est in primo tomo: ergo etiam Christus videt hæc omnia quæ Deus videt per scientiam visionis.

Dices; Hæc propositio Arnaldi de Villanova Medici, *Quàm citò anima Christi fuit unita divinitati, statim ipsa anima scivit omnia quæ Deus scit*, fuit damnata in Directorio Inquisitorum 2. p. quæst. 11. ergo &c. Resp. negando consequentiam, quia propositio fuit damnata propter fundamenta Arnaldi; ille enim Doctor existimabat nullam aliam cognitionem fuisse in Christo, præter increatam

tam Verbi, quod errorem Monothelitarum redolebat.

Dato enim & non concesso, quòd in Christo nulla sit cognitio nisi cognitio increata Verbi, inde sequitur Christum non habere aliam volitionem, nisi volitionem increatam Verbi, ut est manifestum: quippè sancti Patres Monothelitarum hæresim impugnant ex eo, quòd in Christo sit duplex natura, & duplex cognitio, ac proinde duplex etiam debet esse volitio in Christo: ergo fundamentum Arnaldi de Villanova Medici, nempè nullam aliam cognitionem fuisse in Christo præter increatam Verbi, redolet errorem Monothelitarum; cùm ex ipso sequatur unam dumtaxat esse in Christo voluntatem; quod damnatum fuit in plurimis Conciliis contra Monothelitas.



DISPUTATIO XIV.

De scientia infusa animæ Christi.

CUm præter scientiam beatam qua Christus cuncta videt, detur scientia infusa, illa considerata, modò examinanda est ista; unde sit

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An omnia objecta naturalia, ab anima Christi per scientiam infusam supernaturalem, distinctè & in particulari cognita fuerint?

SUppono 1. tamquam certum, id quod Gonetus resolvit in prima quæst. hujus disput. quam omitto, nempè præter scientiam beatam, fuisse in anima Christi Domini scientiam per se infusam, qua nimirum per species à Deo infusas cognovit res in genere proprio. Tum quia non pugnat cum scientia beata, cùm de facto ambæ sint in beatis. Tum quia in Christo sunt omnes thesauri scientiæ & sapientiæ Dei. Tum quia est perfectio. Tum quia Christus cognoscit res creatas in proprio genere per species immediatè infusas à Deo, ut probat illud Joan. 7. *Quomodo hic litteras scit, cùm non didicerit?* ergo datur in Christo scientia per se infusa. Nec valet dicere scientiam per se infusam esse superfluam, ubi est scientia beata, quæ cùm sit perfectior, omnia attingit; non valet (inquam) quia licèt scientia beata sit perfectior, non habet tamen modum cognoscendi scientiæ infusæ, nec perficit intellectum in genere in quo ipse intellectus per scientiam beatam attingit omnia in Verbo, & per infusam extra Verbum & in proprio genere: ergo non est superflua.

Suppono 2. Scotum non negare Christum per scientiam inditam, res naturales distinctè & in particulari, seu secundùm rationes individuales & numericas cognovisse, ut existimat Gonet. sed tantùm Christum cognovisse eas in particulari & secundùm rationes individuales per species

cies universales, ut patet in tract. de Angelis; unde cùm Gonetus hic hanc quæstionem agitatam in 2. tom. tract. de Angelis, disp. 9. qu. 3. nempè, an res singulares cognoscantur per species universales? minimè tractet, Doctorem nostrum non impugnat.

Dico igitur 1. Christum per scientiam infusam cognovisse omnia objecta naturalia, tam secundùm rationes communes & genericas aut specificas, quàm secundùm propriam & distinctam cujusque individui rationem, in sensu explicato, seu per species universales cognovisse objecta secundùm rationes communes; & per species particulares, secundùm propriam & distinctam cujusque individui rationem. Prob. Christus habuit omnes perfectiones, ad quas intellectus humanus est in potentia obedientiali. Tum quia Christus habuit omnes perfectiones creaturis possibiles. Tum quia habuit in voluntate gratiam positivè summam; sed intellectus humanus animæ Christi est in potentia obedientiali ad speciem infusam respectu omnium intelligibilium: ergo habet species infusas omnium objectorum naturalium. Prob. minor: Species infusæ intelligibilium sunt in Angelis: ergo intellectus Christi qui omni perfectione potitur, est in potentia obedientiali respectu omnium intelligibilium, subindequè cognoscit ea, tam quoad rationem communem, quàm quoad rationem individualem, cùm hæc cognitio ducat ad perfectionem animæ Christi.

Dico 2. Christum per scientiam infusam cognoscere quidditativè omnia dona supernaturalia quæ de facto sunt. Tum quia species entium supernaturalium potest infundi, & perficere subjectum absque ulla contradictione aut repugnantia, cùm ut constat, tendat ad perfectionem intellectus: ergo est in Christo. Tum quia per scientiam infusam cognoscit entia naturalia in pro-

proprio genere & extra Verbum: ergo cognoſcit ſupernaturalia, cùm non ſit potior ratio, ut notat Petrus Fulienſis in idea Theologiæ ſpeculativæ.

Dices 1. Unus & idem intellectus nequit ſimul elicere duas operationes circa unum & idem objectum: ergo cùm intellectus Chriſti per ſcientiam beatam cognoſcat objecta naturalia tam ſecundùm rationem communem, quàm ſecundùm rationem individualem, non cognoſcit ea per ſpecies infuſas, ſive communes, ſive individuales. Reſp. diſtinguendo antecedens: Unus & idem intellectus nequit elicere duas cognitiones aut operationes adæquatas circa unum & idem objectum, concedo; inadæquatas, quarum una ſubordinetur alteri; nego antecedens & conſequentiam: quia cognitio per medium infuſum, qua intellectus Chriſti cognoſcit v.g. Petrum, eſt adæquata, dum idem Petrus cognoſcitur per ſcientiam beatam, cui ſubordinatur. *Inſtabis*; Sciẽtia beata debet excludere ſcientiam infuſam, quia majus lumen excludit minus. *Nego* inſtantiam, quia ſcientia beata & ſcientia infuſa non ſunt in eodem ordine, cùm una ſit cognitio objecti in Verbo, & alia extra Verbum & in proprio genere.

Dices 2. Si Chriſtus habuiſſet ſpecies omnium rerum, de facto ſimul omnia cognoviſſet: ſed hoc eſt falſum: ergo. Reſp. negando ſequelam majoris, quia intellectus humanus cognoſcit ſecundùm ſuam virtutem naturalem; unde cùm in Chriſto, intellectus ſit virtutis finitæ, non poteſt ſe convertere ad percipienda quæcumque objecta ſimul; ſed modò unum, modò aliud, licèt habeat ſpecies omnium, ut patet in Angelis.

Dices 3. Dona ſupernaturalia, putà lumen gloriæ, viſio beatifica, &c. excedunt quodlibet aliud lumen creatum, & ſunt ſuperioris ordinis ad illud: ergo non poſſunt cognoſci ab intelle-

ctu

ctu Christi per scientiam infusam, quæ est lumen creatum. Resp. negando consequentiam: Non enim implicat, quòd res altioris ordinis, per lumen inferioris ordinis apprehendantur & cognoscantur, ut constat de Deo, qui per lumen gloriæ intuitivè cognoscitur.

Dices 4. Si Christus per scientiam infusam potuisset cognoscere ea quæ excedunt lumen creatum, videlicet lumen gloriæ, visionem beatificam, &c. cognovisset per eamdem scientiam visionem elicitam tam à se, quàm ab aliis beatis: sed hoc est falsum, quia per eamdem scientiam cognovisset intuitivè objectum visionis beatificæ, putà Deum ut authorem gloriæ, quod est improbabile: ergo per scientiam infusam non cognovit omnia dona supernaturalia quæ de facto sunt.

Respondeo negando minorem & probationem ejus, nimirùm inde sequi Christum per scientiam infusam cognoscentem visionem beatificam ab aliis beatis elicitam, cognoscere etiam Deum ut authorem gloriæ; quia qui videt medium quo percipitur objectum, non percipit objectum illud intuitivè, ut diximus in primo tomo de specie impressa Dei, quam ibi possibilem deffendimus. Ratio est, quia medium *quo* non est ratio repræsentativa, sed solùm ratio repræsentandi; visio non est ratio repræsentativa Dei, sed ratio videndi, aut id quo videmus, non autem id quod videmus: ergo potest cognosci, quin Deus cognoscatur intuitivè.

QUÆSTIO II.

An anima Christi per scientiam infusam supernaturalem, cogitationes cordium occultas, & futura contingentia cognoverit?

DIco, quòd anima Christi per scientiam infusam supernaturalem, occultas cordium cogitationes, & futura cõtingentia cognovit. Prob. 1. pars. Tum quia constat ex sacra Scriptura Matth. 9. *Cùm vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit, Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Et cap. 12. *Iesus autem sciens cogitationes eorum*. Item Joan. 21. cùm Christus interrogasset Petrum his verbis, *Simon Ioannis amas me?* respondit Petrus & dixit ei, *Domine tu nosti omnia, tu scis quia amo te*. Tum quia est judex omnium actionum, verborum & cogitationum nostrarum, juxta illud Joan. 1. *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*: ergo cognoscit cognitiones nostras.

Dices 1. Christus cognoscebat cogitationes cordium per scientiam beatam: ergo non cognoscebat eas per scientiam infusam. Resp. negando consequentiam, quia cognoscere per scientiam beatam & per scientiam infusam, sunt duo modi cognoscendi diversi, quorum unus non officit alteri, & ambo tendunt ad perfectionem, ut ex dictis patet: ergo uterque est Christo concedendus.

Dices 2. Angeli non cognoscunt cogitationes cordis humani, ut dictum est in 2. tomo: ergo Christus ut homo nequit eas cognoscere. Resp. negando consequentiam, quia Christus est caput Angelorum & hominum, & judex omnium actionum nostrarum: ergo congruum est quòd cognoscat corda nostra. *Instabis*: Soli Deo com-

competit cognitio cogitationum & affectuum cordis, ut patet ex illo Jerem. 17. *Pravum est cor hominis & inscrutabile, & quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda*. Resp. Cognitionem cogitationum convenire soli Deo ex propria perfectione intrinseca & naturali, Christo autem ex privilegio speciali: Deus enim voluit conferre Christo propter ministerium ad quod destinabatur, cognitionem cogitationum cordis humani, quam denegavit Angelis & hominibus.

Prob. 2. pars. Tum quia patet in sacra Scriptura Matth. 26. *Antequàm gallus cantet, ter me negabis*. Et Luc. 10. *Væ tibi Corosain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent*. Et Joan. 14. n. 29. *Et nunc dixi vobis priusquàm fiat, ut cùm factum fuerit credatis*. Tum quia futurum contingens est ens cognoscibile. Tum quia cognitio futurorum contingentium pertinet ad perfectionem prudentiæ; vir enim prudens debet prævidere futura, idcircò Christus qui fuit vir prudens, cognovit futura. Tum quia cognitio futurorum spectabat ad statum & ministerium Christi, qui erat Propheta magnus: ergo cognoscebat futura.

Dices; Scotus in 3. dist. 14. §. *ad quæstionem*, litt. C. *in fine* ait, *Et si dicatur, quòd potuit hanc habere per species infusas, hoc est falsum*: ibi enim Doctor quærit, an Christus noverit omnia in genere proprio, & concludit negativè de futuris contingentibus: ergo nostra conclusio adversatur Doctori. Resp. cum Frassenio & aliis recentioribus, Doctorem ibi loqui de cognitione intuitiva futurorum contingentium, quæ non potest haberi per speciem, ut patet ex verbis præcedentibus, quæ sunt hæc, *Ideò cum multa objecta non fuerint, nec esse potuerint præsentia illi intellectui secundùm existentiam actualem illo-*

rum, non potuit habere notitiam intuitivam: non verò de cognitione abstractiva, de qua agimus, quæ per speciem haberi potest, ut probat Doctor.

Quæres 1. Quomodo anima Christi per scientiam supernaturalem infusam, futura contingentia cognoscat, & an cognoscat creaturas possibiles? Resp. ad 1. quòd cognoscit futura immediatè in seipsis per speciem repræsentativam illorum. Tum quia non cognoscit ea in causa, quia est indifferens ex se ad producendos vel non producendos effectus contingentes; nec in decreto divinæ voluntatis determinantis futuritionem, quia per scientiam beatam cognoscit futura contingentia in essentia divina; idcircò cùm objecta debeant aliter cognosci per scientiam infusam quàm per beatam, non cognoscuntur in essentia divina per scientiam infusam: ergo cognoscit ea immediatè in seipsis. Tum quia ens ut futurum, est intelligibile in seipso: ergo Christus cognoscit illud immediatè in seipso, cùm per proprias species cognoscat omnia ea quæ per proprias species sunt in seipsis repræsentabilia.

Resp. ad 2. quòd per scientiam infusam cognoscit extra Verbum omnes creaturas possibiles. Tum quia habere potuit species infusas possibilium. Tum quia in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. Tum quia ex cognitione possibilium non sequitur comprehensio Dei, ut dictum est suprà contra Gonetum: ergo Christus per scientiam infusam cognovit omnes creaturas possibiles.

Argumenta quæ solitò ab adversariis proponuntur contra hanc responsionem, soluta manent in quæstione secunda præcedentis disputationis, ubi resolutum manet Christum per scientiam beatam videre omnes craturas possibiles; ideoque non sunt hìc iterùm proponenda.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An Christi anima per scientiam infusam, evidenter cognoverit mysterium Trinitatis, quoad an est?

DIco, animam Christi per scientiam inditam cognoscere mysterium Trinitatis quoad an est? idque evidenter, evidentia non in attestante, sed per speciem infusam, in qua quidditativè visionem suam beatam extra Verbum contemplatur. Prob. Tum quia Christus per scientiam infusam cognoscit quidditativè entia supernaturalia creata, quæ dicunt habitudinem transcendentalem ad Deum ut unum & trinum: ergo cognoscit Deum ut trinum. Tum quia Angeli, ut docet Scotus in 2.dist.9.qu.2.in sua creatione habuerunt cognitionem mysterii Trinitatis: ergo talis cognitio est concedenda Christo ut viatori: nam ut viator sæpè locutus est de mysterio Trinitatis, ut Judæos instrueret; & ut viator Deum ut trinum adoravit, quod sine ejus cognitione præstare non potuit, & consequenter cognovit mysterium Trinitatis per scientiam infusam, quoniam scientia beata, per quam anima Christi cognoscit Trinitatem, non competebat ipsi ut viatori; sed ut comprehensori: ergo in Christo in quo sunt omnes perfectiones, fuit species infusa in qua cognoscebat mysterium Trinitatis & alia mysteria. Contra hanc conclusionem nullum proponi potest argumentum, quod non pugnet possibilitatem speciei impressę Dei: Unde non sunt hìc iterùm proponenda argumenta, cùm soluta maneant in 1. tom.

Quæres 1. An scientia infusa animæ Christi fuerit discursiva, & perfectior scientia Angelorum? Resp. affirmativè. Ratio primi est, quia anima Christi per scientiam infusam potuit ha-

bere cognitionem unius rei ortam ex cognitione alterius, quia ex cognitione causæ potuit cognoscere effectum, nempè hominem esse risibilem quia est rationalis: potuit etiam scientia infusa uti discurrendo, ut docet Gonet. ergo fuit discursiva reverà non quoad acquisitionem, ut optimè notat Gonetus, sed quoad usum. Ratio secundi est. Tum quia conducit ad majorem excellentiam Christi. Tum quia gratia Christi est major gratia Angelorum. Tum quia Christus est magister omnium. Tum quia Christus est Angelorum caput & rex. Tum quia Christus est unigenitus Dei Filius: ergo scientia infusa Christi est major scientia infusa Angelorum.

Quæres 2. An Christus per scientiam infusam potuerit intelligere sine conversione ad phantasmata? Resp. quòd potuit pro voluntatis suæ arbitrio, ut ait Mastrius, quia poterat uti scientia infusa per recursum ad phantasmata, & independenter ab ipsis: habebat enim duplicem modum intelligendi, scilicet comprehensorum & viatorum; idcircò poterat intelligere modo quo beati intelligunt independenter à sensibus, & modo quo viatores intelligunt dependenter à phantasmatibus.

Quæres 3. An scientia infusa Christi fuerit actualis, vel habitualis? *Respondeo*, quòd erat habitualis permanens in intellectu per modum qualitatis concurrentis cum intellectu Christi ad cognitionem actualem. Id inferri potest ex responsione ad præcedens dubium; nam Christus pro libito utebatur scientia infusa: ergo talis scientia erat habitualis, quæ est illa per quam sciens est tantùm in actu primo, & utitur tali scientia pro voluntatis suæ arbitrio, alioquin intellectus Christi non potuisset suspendere actum, seu cessare ab actu cognitionis per scientiam infusam, quod est falsum; quia in Christo modus intelligendi ex-

tra

tra visionem beatificam, est operari modo humano, seu voluntario & libero.



DISPUTATIO XV.

De scientia Christi acquisita.

VIsis omnibus quæ de scientia beata & de scientia infusa dicuntur, modò examinanda sunt ea quæ ad scientiam acquisitam spectant.

QUÆSTIO I.

An præter scientiam beatam & infusam, constituenda sit in anima Christi Domini scientia per se acquisibilis?

SUppono tamquam certum, scientiam per se acquisibilem esse illam quæ tametsi de facto à Deo aliquando infundatur, per se tamen & connaturaliter petit nostris actibus acquiri; ad differentiam scientiæ per se infusæ, quæ actibus nostris acquiri non potest, cùm essentialiter petat à Deo infundi. Unde difficultas inter Scotistas & Thomistas non est, an Christus habuerit scientiam per se acquisibilem? liquidò enim constat ex dictis Christum habuisse scientias per accidens infusas, quæ nihil aliud sunt quàm scientiæ per se acquisibiles: sed est, an habuerit illas propriis actibus, labore & industria, ut viatores acquirunt illas, an verò per infusio-

nem? quæ difficultas in quæst. sequenti resolvenda est, modò

Dico breviter, quòd constituenda est in anima Christi scientia ex genere suo acquisita. Ita omnes. Prob. Tum quia constat ex sacra Scriptura ad Hebr. 5. *Didicit ex his quæ passus est, obedientiam*. Isa. 8. *Antequàm sciat puer vocare patrem & matrem, &c.* Luc. 2. *Puer Iesus proficiebat ætate & sapientia apud Deum & apud homines*. Tum quia hæc scientia conducit ad excellentiam Christi. Tum quia voluntas ejus præter virtutes per se infusas, habuit virtutes per se acquisibiles: ergo intellectus præter scientias per se infusas, habuit scientias per se acquisibiles. Tum quia intellectus humanus Christi Domini, est in potentia ad intelligendum modo humano: ergo per scientias per se acquisibiles.

Dices: Scientia acquisibilis aut acquisita non remanet in patria cum visione beata, ut dictum est in 1. tom. ergo nequit esse in Christo in quo est scientia beata. Resp. negando consequentiam, quia dum in 1. tom. dicimus Theologiam seu scientiam acquisitam, non remanere entitativè in patria cum scientia beata, loquimur de scientia acquisita fundata in fide, qualis est Theologia aut scientia mysteriorum, quæ cùm necessariò à fide dependeat, sublata fide tollitur scientia; at scientia acquisita de qua hìc loquimur, est independens à fide, cùm in Christo nulla fides reperiatur: idcircò optimè remanere potest in patria, simul cum visione beatifica.

Respondeo iterùm concesso antecedente, negando consequentiam alia ratione; nimirùm quia Christus erat viator & comprehensor: ergo licèt scientia acquisita non remaneat in patria cum comprehensoribus, potest nihilominùs remanere in Christo, quia est, viator: nam si in patria non perseveret, hoc est, quia beati

beati non sunt viatores; subindeque scientia acquisita potuit esse in Christo cum scientia beata, sicut in ipso status viatorum est cum statu comprehensorum.

Dices 2. Scientia acquisita est valdè imperfecta. Tum quia paulatim & successivè gigni petit. Tum quia attingit res spirituales imperfectè, seu ad modum rerum materialium: ergo non potuit esse in Christo cui repugnat imperfectio. *Nego* antecedens, ad cujus probationes dico successionem in acquisitione scientiæ humanæ non importare imperfectionem simpliciter simplicem, quia hoc congruit homini, cui melius est scientiam acquirere, quàm non acquirere: ergo potuit esse in Christo, qui erat homo viator.

QUÆSTIO II.

An Christus scientias per se acquisibiles, propriis actibus sibi comparaverit, vel eas à Deo per infusionem receperit?

DIco, quòd Christus scientiam per se acquisibilem propriis actibus non sibi comparavit, sed eam solùm à Deo per infusionem recepit. Prob. 1. Datur in Christo scientia ex genere suo acquisita, ut docet Gonet. quæst. præced. ergo est in ipso per infusionem & independenter à phantasmatibus, non verò comparata actibus propriis per abstractionem specierum à phantasmatibus. Prob. conseq. 1. ex D. August. 15. de Trinit. quem refert Mastrius tom. 3. disput. 4. n. 56. Necessitas nostra intelligendi dependenter à phantasmatibus, est in nobis propter peccatum Adæ; in ejus enim pœnam datus est hic infirmus intelligendi modus: ideoque existimat

hunc ſtatum potiùs eſſe pœnalem, quàm naturalem; ſed Chriſtus caruit peccato originali: ergo à lege acquirendi ſcientiam dependenter à phantaſmatibus ſolutus fuit, & conſequenter habuit omnem ſcientiam per infuſionem. 2. Beati habent ex vi beatitudinis per infuſionem, omnem ſcientiam naturalem quam in via acquirere non potuerunt; Deus enim infundit ipſis omnem ſcientiam, ut impleat omne naturale deſiderium, quod homo habet, ut communiter dicunt Thomiſtæ; ſed Chriſtus ab inſtanti conceptionis fuit beatus: ergo ex vi beatitudinis in inſtanti conceptionis in quo fuit beatus, habuit per infuſionem omnem ſcientiam per ſe acquiſibilem, quam tunc acquirere non poterat. 3. Chriſtus in utero Virginis, perfectum habuit rationis uſum; idcircò Jerem. 31. appellatur vir adhuc in utero Virginis, *Mulier circumdabit virum*. Unde D. Bern. hom. 2. ſuper *Miſſus eſt*, ait: *Non minor fuit ſapientia Ieſus conceptus, quàm natus, parvus, quàm magnus*: ergo Chriſtus Dominus habuit in utero Virginis & independenter ab abſtractione ſpecierum & in inſtanti conceptionis, ſapientiam aut ſcientiam quam habuit in cruce; ſed Chriſtus ut magnus & in cruce, habuit omnem ſcientiam per ſe acquiſibilem: ergo habuit etiam illam in utero matris, quod fieri non potuit niſi per infuſionem.

Prob. 2. Chriſtum nulla decuit ignorantia aut privatio ſcientiæ naturaliter debitæ, etiam pro breviſſimo tempore. Tum quia in ipſo erant omnes ſapientiæ & ſcientię theſauri. Tum quia Chriſtus fuit ſemper plenus ſcientię, juxta illud Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus quaſi unigeniti a Patre, plenum gratiæ & veritatis*: Quod non debet intelligi de ſola ſcientia infuſa, ut putat Gonet. quia fuit plenus ſcientia beata, quæ non eſt in linea ſcientiæ infuſæ; ideoque hoc intelligi debet de alia ſcientia præter infuſam. *De-*

inde,

inde, scientia per se acquisibilis & experimentalis erat utilis Christo, quatenùs erat caput Ecclesiæ & fidejussor noster; at si ab initio conceptionis non habuisset scientias omnes naturales per infusionem à Deo, sed eas paulatim propriis actibus sibi comparasset, habuisset per aliquod tempus imperfectionem ignorantiæ in ipsa naturali scientia, & privationem illius: ergo Christus ab initio conceptionis recepit à Deo per infusionem scientiam per se acquisibilem.

Resp. Gonet. negando minorem. Tum quia (inquit) Christus ab initio conceptionis per scientiam per se infusam omnia objecta naturalia cognovit. Tum etiam quia carentia scientiæ per se acquisibilis pro aliquo tempore, in Christo non erat ignorantia privativa, sed negativa; quia pro eo tempore non erat ei debita illa scientia, supposita assumptione naturæ in statu infantili; sicut nec erat imperfectio, quòd in ætate infantili careret loquela, quia permittebat agere naturæ, quod cujusque status proprium est.

Contra: Christus ab initio conceptionis per scientiam beatam cognovit omnia objecta, nihilominùs recepit scientiam per se infusam: ergo recepit scientiam per se acquisibilem, non obstante per se infusa. *Deinde*, carentia scientiæ per se acquisibilis pro omni tempore erat ignorantia privativa: nam pro omni tempore etiam in statu infantili, illa scientia erat debita Christo. Tum quia intellectus ejus erat aptus natus ad habendam scientiam per se acquisibilem. Tum quia non minùs erat debita ipsi scientia acquisibilis, quàm virtus moralis per se acquisita; sed si non recepisset virtutes morales acquisitas, fuisset in privatione perfectionis: ergo. Idem dico de scientia. Tum quia in cõceptione, Christus fuit perfectior & dignior in genere cognitionis per specierum ab-

abstractionem acquisitæ, quàm puer qui modò nascitur, ut est evidens? ergo vel habuit scientiam acquisitam, vel si non habuerit illam, non fuit in negatione sicut puer, sed in privatione, quia negatio est pejor privatione, cùm omnis negatio sit maligna. *Tandem*, propter unionem hypostaticam plus debebatur in ordine naturali intellectui humano Christi, quàm intellectui purè humano: ergo dato quòd scientia acquisita non sit debita homini in statu infantili, est debita Christo; & consequenter si ab initio conceptionis non habuisset scientias omnes naturales per infusionem à Deo, habuisset per aliquod tempus imperfectionem ignorantiæ privativè, licèt carentia loquelæ in statu infantili non fuerit imperfectio. Ratio discriminis est, quia loquela consistit in actibus potentiæ corporis; unde quia potentiæ corporis non erant aptæ ad usum in statu infantili, Christus non erat in ignorantia privativa; at intellectus erat aptus ad cognitionem objectorum per speciem acquisibilem: non enim minor fuit sapientia Jesus conceptus, quàm natus, nec parvus, quàm magnus, ait D. Bernar. *Deinde*, erat aptus ad cognoscendum Deum per scientiam beatam: ergo &c.

Prob. 3. Christus ut homo non est Filius Dei adoptivus, nec extraneus, ut docet Gonet. infrà: ergo habet immediatè à Deo Patre omne bonum intellectuale quo gaudet, & quod nos qui extranei sumus, per laborem, industriam & studium nobis comparamus; sed comparamus nobis scientiam naturalem per se acquisibilem: ergo Christus habuit illam à Deo Patre tamquam hæreditatem per infusionem, ut ratione scientiæ præ cæteris excelleret, & esset in primo instanti reali conceptionis sapientior in omni genere scientiæ & modo sciendi, omnibus hominibus; sed non fuisset sapientior Virgine Maria, B. Josepho & aliis in genere scientiæ per se acquisibilis, ut patet, si non recepisset ab initio

con-

conceptionis scientiam illam per infusionem: ergo eam recepit, cùm pro omni tempore fuerit sapientior in omni scientia. *Tandem*, infusio scientiæ per se acquisibilis cedit in excellentiam Christi, ut patet ex dictis: ergo est ipsi concedenda.

Obj. 1. Si Christus scientiam per se acquisibilem, propriis actibus non acquisivit, sed eam solùm per infusionem à Deo accepit, sequitur intellectum agentem Christi fuisse omninò otiosum & frustraneum; sed hoc non est dicendum: ergo nec illud. Sequela prob. Proprium officium intellectus agentis, est facere species intelligibiles actu, abstrahendo eas à phantasmatibus, ut docent Philosophi in lib. de anima: ergo si intellectus agens animæ Christi species aliquas non abstraxit à phantasmatibus, sed omnes Christus à Deo per infusionem accepit, erit omninò otiosus & frustraneus: frustrà enim est id quod non habet propriam operationem, ut dicitur 2. de cœlo text. 17. cùm unum quodque sit propter suam operationem. Hæc ratio (inquit) nedùm probat fuisse in anima Christi species propriis actibus comparatas, sed etiam ipsum habitum scientiæ.

Resp. negando sequelam. Tum quia ex tunc & pro tunc agibilitas perficiebat ipsum intellectum, cùm officium intellectus agentis sit etiam perficere naturam. Tum quia intellectus agens fuit in Adamo, quamvis habuerit per infusionem species acquisibiles, nec tamen dicitur in eo otiosus & frustraneus. Tum quia potentia pro quocumque statu non dicitur otiosa & frustranea, quæ ex se habet vim producendi suum actum, nisi illum ab alia causa jam productum haberet; v. g. Theologia acquisita, ex Goneto remanet in beatis cum visione beatifica cui subordinatur, & in qua eminenter continetur; tamen non est otiosa, nec frustranea, quia redderet intel-

intellectum beati scientem, nisi per visionem beatificam sciens esset: Facultates nutritiva & augmentativa erunt in corporibus gloriosis, in quibus tamen nullam operationem exercebunt, nihilominùs non erunt otiosæ nec frustraneæ, quia habebunt productum perfectum actum: ergo intellectus agens in Christo non est otiosus nec frustraneus, quamvis nullam speciem intelligibilem faciat, cùm habeat virtutem faciendi eam, eamque faceret, nisi Deus ipsi illam indidisset. Tum denique quia ut advertit Fraslen, intellectus agens deservire poterat ad excipiendas & formandas species deservientes ad experimentalem cognitionem, in qua Christus poterat proficere.


Obj. 2. Christo non solùm sunt tribuendæ omnes scientiæ, sed etiam quælibet illarum secundùm proprium & connaturalem modum habendi illam; sic enim non solùm est perfectus per diversas scientias atque perfectiones, verùm etiam & diversis modis: Sicut ergo Christus habuit scientiam beatam secundùm proprium modum illius, scilicet permanenter, & non tantùm transeunter, ut aliqui in via habuerunt; & sicut habuit scientiam per se infusam secundùm modum proprium illius, scilicet per infusionem: Ita scientiam humanam seu natura sua acquisibilem habere debuit modo humano, scilicet per acquisitionem, non verò eam solùm per infusionem à Deo recipere. *Addit*, quòd cùm Christus ad paupertatem nostram ultrò ac volens se dimiserit, omnia quoque nobis connaturalia, quæ statum ejus non dedecerent, admisit; sed connaturalis homini acquirendę scientię naturalis modus est per actus proprios, & per abstractionem specierum à phantasmatibus eam sibi comparare: ergo Christus hoc etiam modo scientias per se acquisibiles sibi comparavit, atque verè in eis profecit, quod voluisse S. Lucam, cùm dixit Christum profecisse sapientia & ætate, docet S.

Am-

Ambroſ. lib. de Incarnationis Dominicæ Sacramento, cap. 7. D. Thom. S. Auguſt. lib. 3. contra Maximinum cap. 23. Beda, quorum verba ſileo brevitatis gratia.

Reſp. 1. quòd ſi argumentum valeret, probaret utique virtutes morales per ſe acquiſibiles, Chriſto non fuiſſe à primo inſtanti conceptionis infuſas, quia Chriſto non ſolùm ſunt tribuendæ omnes virtutes, ſed etiam quælibet illarum ſecundùm proprium & connaturalem modum habendi illam; ſed hoc eſt contra Gonetum ſuprà diſput. 12. art. 4. §. 2. ergo &c. Reſp. 2. negando antecedens, dum poteſt eam habere modo perfectiori, quàm modus proprius & naturalis, ut in hoc caſu contingit; perfectius enim eſt habere ſcientias ab inſtanti conceptionis per infuſionem, quàm illas labore & induſtria acquirere; cùm perfectius ſit nunquã caruiſſe aliqua ſcientia ſibi conveniente, quàm aliquandiù illam non habuiſſe: ergo omnes ſcientiæ Chriſto tribuendæ ſunt ab initio conceptionis, & ſecundùm modum extraordinarium. Tum quia ſic digniores ſunt. Tum quia Chriſtus dicitur homo novus. *Ad additum*, dico, quòd Chriſtus habuit virtutem paupertatis per infuſionem, ſicut habuit alias virtutes Evangelicas & morales. Ad Authoritates SS. Patrum, dico, quòd intelligendæ ſunt de profectu ſecundùm manifeſtationem exteriorem & ſenſibilem illius ſcientiæ, non verò de profectu interno: *Ieſus* enim *proficiebat ſapientia & ætate apud homines*, idem eſt, ac *manifeſtabat ſapientiam & ætatem hominibus*, ut exponunt omnes Doctores noſtræ ſententiæ.

DIS-



DISPUTATIO XVI.

De potentia animæ Christi.

CIrcà potentiam seu virtutem Christi quoad actiones supernaturales, varia fuerunt hæreticorum deliria, de quibus fusè tractat Gonetus.

QUÆSTIO UNICA.

An humanitas Christi, seu Christus ut homo, instrumentaliter physicè, vel solùm moraliter ad productionem gratiæ & miraculorum, aliorumque effectuum supernaturalium concurrat?

SUppono tamquam certum, Christum non esse causam principalem gratiæ, miraculorum & aliorum effectuum supernaturalium. Tum quia, ut dictum est suprà in tract. de gratia, Deus est causa principalis gratiæ. Tum quia Christus Joan. 7. ait, *A me ipso non possum facere quidquam.* Sed tantùm causam instrumentalem, ut dicunt omnes Theologi contra hæreticos; unde difficultas solùm est, an sit causa instrumentalis physica, vel moralis? Pro cujus intelligentia advertendum est instrumentum physicum esse illud, quod physico & reali influxu operatur effectum, motum tamen à causa principali, ut est v.g. serra respectu scissionis, calamus

lamus respectu litteræ, gladius, malleus &c. Morale verò est illud, quod operatur effectum, excitando aliud, ut illum physicè operetur, ut oratio respectu mortis v.g. meritum respectu præmii &c.

Dico, quòd humanitas Christi, sive Christus ut homo non fuit nec est causa instrumentalis physica gratiæ, miraculorum, aliorumque effectum supernaturalium, quæ immediatè per seipsum operatus est; sed tantùm moralis. Prob. 1. de gratia: Christus ex D. Thom. q. 8. art. 1. ad 1. non potest esse instrumentum creationis, sive rei creatæ; sed gratia est creata à Deo, ut dictum est in proprio loco: ergo Christus ut homo nequit esse causa physica instrumentalis gratiæ, & consequenter est tantùm causa moralis & meritoria. 2. Christus in triduo non erat homo, ut fatetur Gonetus cum aliis Theologis; tunc tamen erat causa instrumentalis gratiæ & miraculorum; à mortuis siquidem resurgere, est summa gratia & maximum miraculum; sed non fuit instrumentum physicum, quia instrumentum physicum, ut causet, debet existere, propter quam rationem ex Goneto Christus ut homo non fuit causa physica gratiæ ante creationem incarnationis antiquis Patribus collatæ; sed humanitas Christi, sive Christus ut homo non existebat in triduo; aliàs non fuisset verè mortuus, quod est falsum: ergo tunc non erat causa instrumentalis physica, sed moralis. Nec valet dicere, quod dicit Gonet. de Passione Christi, nempè existere in sua virtute, sivè in aliquo effectu, nimirùm in cicatricibus gloriosis vulnerum humanitatis Christi; non valet (inquam) quia humanitas in triduo, seu homo vulneratus, non erat, ut est manifestum; aliàs mors non destruxisset totum humanum: ergo humanitas in triduo non remansit in virtute seu in cicatricibus, sicuti modò remanet ejus Passio in eisdem cicatricibus. *Deinde,*

de, apud Thomistas non remanet forma corporeitatis: ergo nec vulnera quæ sunt in corpore. Hæc conclusio fusiùs probabitur in tomo sequenti, disp. 3. Idcircò brevitatis gratia omittendæ sunt aliæ rationes, quibus ibi probanda esset hæc conclusio.

Obj. 1. Gonet. ex Scriptura; dicitur enim Joan. 20. quòd Christus insufflavit Apostolis, & *dixit eis, Accipite Spiritum sanctum*; sed conferre Spiritum sanctum, atque adeò gratiam insufflando, est eam physicè causare: ergo &c. Idem dicendum de miraculis: Scriptura enim testatur Christum plura miracula operatū esse per contactum suæ mundissimæ carnis, ut cùm sanavit cæcum à nativitate, liniendo ipsius oculos, & surdum digitos mittendo in aures ejus; item Lazarum resuscitavit, dicendo & clamando, *Lazare veni foras*, ut innueret Verbum divinum tribuere suæ voci virtutem instrumentalem ad illum resuscitandum, juxta illud Psal. 67. *Dabit voci suæ vocem virtutis*. Denique Luc. 6. de Christo dicitur, quòd *virtus de illo exibat & sanabat omnes*: Et ipsemet Christus Luc. 8. postquàm mulierem sanguinis fluxu laborantem curasset, dixit, *Novi virtutem de me exiisse*, quod non potest explicari de virtute morali, quæ cùm merum ens rationis sit, non potest dici nisi valdè impropriè & metaphoricè, exire de corpore.

Resp. ad 1. Christum dixisse Apostolis, *Accipite Spiritum sanctum*, non quatenùs erat homo, sed Verbum & Deus. Ratio convincens est, quia Spiritus sanctus non potest dari nisi ab illo à quo procedit. Ad. 2. & 3. dico contactum carnis Christi fuisse causam moralem miraculorum, nimirum quia Deus decrevit hæc signa & miracula facere ad tactum humanitatis Christi, & suscitare mortuos ad vocem & orationem ejus, ut insinuant verba quæ antecedunt, utpote *Lazare veni foras*, quæ sunt ista, *Iesus autem elevatis sursum oculis, dixit, Pater*

gra-

gratias ago tibi, quoniam audisti me: hæc enim verba indicant resurrectionem Lazari esse effectum meritorum & deprecationis Christi, non verò virtutis physicæ & connaturalis humanitati; sicque intelligi debet illud Psal. 67. *Dabit voci suæ vocem virtutis*, cùm vox Christi, ex voluntate divina sic ordinante, habeat vocem virtutis Dei, sicut vox Josue habuit virtutem detinendi Solem. Ad ultimum, dico quòd nomine *virtutis*, non intelligitur aliqua physica causalitas aut influxus physicus, sed ipsummet miraculum à Deo immediatè causatum, Christo invocante & orante, ut patet ex illo Matth. 6. *Si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes*; hoc est miracula, *quæ factæ sunt in te &c.* ergo id quod exibat de corpore Christi, non erat virtus physica productiva miraculorum, sed miracula quæ ex ipso exibant, sicut ex causa morali.

Obj. 2. ex Conc. Ephes. 1. can. 11. ubi definitur carnem Christi esse vivificatricem propter unionem ad Verbum, quod vitam habet divinam; sed caro Christi nequit esse vivificatrix secundùm moralē causalitatem, sive secundùm rationem meriti, utpote cùm tota ratio meriti ad animam pertineat: ergo solùm potest dici vivificatrix ratione virtutis instrumentalis physicæ, ex unione ad Verbum illi collatæ. Unde notat Cyril. lib. 4. in Joan. cap. 14. quòd Christus in exsuscitandis mortuis non solùm verbo atque imperio ut Deus utebatur, verùm etiam carnem suam quasi cooperatricem nonnumquam adhibebat, ut constat Luc. 7. cùm Filium unicum viduæ Naim resuscitavit: narrat enim Euangelista, quòd Christus ut illum ad vitam revocaret, *Accessit & tetigit loculum*, ut nimirum ostenderet (inquit Cyrillus) *carnem quoque suam, quoniam Verbo conjuncta erat, vivificam esse*. Euthymius etiam in cap. 7. Luc. miraculosam illius adolescen-

tis

tis resurrectionem, & virtutem illam vivificam carnis Christi perpendens, ait, *Quemadmodum ferrum, quod in igne aliquo tempore permansit, habet ignis operationes; ita quoque sancta ipsius Christi caro, divinitati unita, quæ divinitatis sunt operatur*; quod exemplum veram & physicam causalitatem humanitatis Christi in opera miraculosa ab eo elicita, apertè significat.

Resp. Concilium non definire carnem Christi habere virtutem instrumentalem physicam vivificandi; sed esse carnem Verbi vivificantis, non verò puri hominis: nam Concilium illud fuit celebratum contra Nestorium, ut notat Beccanus, negantem carnem Christi esse hypostaticè unitam divinitati, ut patet ex verbis Concilii apud ipsum Beccanum videndis: ergo non valet inferre ex Concilio aliquam virtutem physicam ad patrandum miracula, fuisse communicatam Christo. Unde ad D. Cyril. dico, quòd caro Christi erat cooperatrix influxu morali, ut v.g. Sacramenta quæ tangunt, licèt sint causæ morales. Ad Euthymium, dico quòd loquebatur de communicatione divinitatis cum humanitate, & suadere intendebat hominem in mysterio incarnationis esse Deum, & Deum hominem, per illapsum divinitatis cum humanitate, & per communicationem idiomatum, quemadmodum ferrum fit ignis; ideòque dicebat carnem supposito divino subsistentem, seu Deum hominem operari quæ divinitatis sunt, non autem Christum ut hominem, seu humanitatem; aliàs Christus ut homo creare potuisset, & alia quæ soli Deo conveniunt fecisset, quod est falsum: ergo exemplum, veram & physicam causalitatem humanitatis Christi in opera miraculosa ab eo elicita, non significat.

Obj. 3. Humanitas Christi non solùm dum spie existebat in terris, sed etiam modò dum existit in cœlis, est instrumentum & organum

num divinitatis in ordine ad causandam gratiam & patranda miracula, & effectus supernaturales producendos; sed non instrumentum morale: ergo physicum. Major est expresè Concilii Ephes. 1. can. 9. & 11. Lateran. sub Martino 1. Consul. 3. & 5. necnon passim SS. Patrum. Minor verò prob. Si humanitas Christi esset instrumentum morale gratiæ & miraculorum, deberet posse assignari aliquid supra ipsam quod esset causa moralis principalis horum effectuum; at nihil hujusmodi est assignabile: Deus enim qui solus superior existit humanitati Christi, non potest esse causa moralis sive meritoria, etiam principalis: ergo humanitas Christi non potest dici instrumentum morale ad causandam gratiam & patranda miracula, aliosque effectus supernaturales producendos.

Resp. negando minorem, ad cujus prob. nego majorem: quia ipsemet Christus est causa moralis principalis, seu meritoria gratiæ ac miraculorum,& instrumentum morale quo utitur Deus, qui est causa physica principalis; nec hoc implicat· nam Christus est causa meritoria & moralis principalis miraculorum & effectuum supernaturalium à sanctis productorum, & ipsi sancti sunt instrumenta moralia: ergo Christus potest esse instrumentum morale ac movens Deum ad infusionem gratiæ, & causa moralis principalis quæ meruit productionem gratiæ & miraculorum.

Obj. 4. Si humanitas Christi nunc existens in cœlis, non physicè, sed moraliter tantùm, gratiam, miracula, aliosque effectus supernaturales causaret, non deberet dici instrumentum deitatis, sed solùm Filii, in ordine ad illos effectus; atqui vocatur à multis ex Patribus, instrumentum sive organum divinitatis, nimirùm à D. Ambros. serm. 90. & 91. Damas. lib.3. de fide cap.5. & aliis; imò Scriptura

eam

eam appellat brachium & manum Dei: ergo &c. Sequela majoris prob. Solus Filius, non verò Pater, subindeque nec divinitas, concurrit moraliter ad gratiam & miracula, orando videlicet & merendo; non enim potest dici, quòd Pater aut Spiritus sanctus aliquid nobis meruerint: ergo si humanitas Christi non physicè, sed moraliter tantùm ad illos effectus concurrat, non erit instrumentum divinitatis, sed solùm Filii in ordine ad illos.


Resp. negando majorem: Deus enim ut Deus est & omnipotens, est causa physica principalis productiva gratiæ, & aliorum effectuum supernaturalium; ideòque humanitas Christi, quæ est instrumentum morale hujusmodi productionis, est instrumentum Dei; non verò Filii dumtaxat. Ad prob. dico, quòd probat solùm Filium incarnatum, esse instrumentum in ordine ad illos effectus, quod concedimus: nam Filius incarnatus, aut Christus ut homo, qui est verè Filius Dei, concurrit moraliter ad gratiam & miracula, quæ sunt opera Dei, orando & merendo: ergo Deus est causa physica principalis gratiæ & miraculorum; & Christus est ejus instrumentum, orando videlicet & merendo illam gratiam & miracula, subindeque humanitas Christi non debet dici instrumentum Filii, sed Dei; cùm Filius ut homo mereatur apud Deum, & Deus largiatur gratiam.

Obj. 5. Conveniens & congruum est concedere humanitati Christi omnem dignitatem & prærogativam, quæ muneri Redemptoris & capitis Ecclesiæ non obest, & aliunde contradictionem non implicat; sed virtus instrumentalis physica ad causandam gratiam & patranda miracula non obest, sed potiùs congruit muneri Redemptoris & capitis Ecclesiæ, & nullam involvit repugnantiam; ergo humanitati Christi denegari non debet. Major patet: Minor suadetur ex eo quòd non major videa-

tur

tur esse repugnantia, quòd humanitati Christi communicetur vis instrumentalis supernaturalis ad causandam gratiam & patranda miricula, quàm quòd ignis inferni & Purgatorii virtutem instrumentalem ad torquendos & alligandos dæmones, & affligendas, ac purgandas animas à Deo recipiat. *Deinde*, major est dignitas in Redemptore redimere, causando simul physicè & moraliter gratiam, quàm solùm moraliter; & ratio capitis Ecclesiæ perfectiori modo convenit Christo, si non solùm moralem, sed etiam physicum influxum in membra habeat.

Resp. negando minorem: Cùm enim miracula fiant per applicationem divinæ omnipotentiæ ad operandum hìc & nunc illud, quod vires agentium naturalium efficere non possunt, & gratia exigat ex natura sua creari, implicat, quòd humanitas Christi, aut aliqua creatura possit esse causa instrumentalis gratię & miraculorum, quia nulla creatura potest physicè instrumentaliter applicare divinam omnipotentiam, nec creare. Et consequentr dignitas Redemptoris & capitis non exigit influxum physicum ad productionem gratiæ, cùm nequeat competere creaturis. Ad 1. prob. minoris, dico quòd ignis inferni, ut dictum est in 2. tomo, non alligat physicè, nec physicè influit. Ad 2. prob. dico quòd cùm ille influxus physicus sit impossibilis creaturæ, & soli Deo conveniat, non est major dignitas in Christo, quia nulla res ex carentia perfectionis omninò impossibilis, remanet imperfectior, nec dicitur perfectibilis aut dignificanda per perfectionem quæ ipsi repugnat; aliàs infinitas, immensitas & æternitas, essent formaliter concedendæ humanitati Christi, quoniam esset major dignitas; quod tamen non concedunt Theologi.



DISPUTATIO XVII.

De impeccabilitate & merito Christi.

IN hac disputatione duo examinanda sunt. 1. An Christus sit impeccabilis? 2. An impeccabilitas compatibilis sit cum libertate ad meritum requisita?

QUÆSTIO I.

An Christus de potentia absoluta peccare potuerit?

SUppono tamquam de fide, Christum Dominum fuisse omninò impeccabilem, ut colligitur ex variis Scripturæ locis: Unde difficultas est in assignanda hujus impeccabilitatis radice. Gonetus existimat unionem hypostaticam esse causam formalem impeccabilitatis Christi, subindeque concludit humanitatem Christi Verbo unitam, peccare non potuisse, etiam de potentia absoluta, peccato cum unione composito.

Dico igitur, Christi humanitatem esse impeccabilem formaliter ex vi specialis manutenentiæ Dei, non verò ex vi unionis hypostaticæ, quæ est tantùm causa fundamentalis & radicalis. Ita Scotus in 3. dist 12 quæst. unica, quem sequuntur omnes Scotistæ. Prob. 1. Christum esse impeccabilem, idem est, ac Christum ca-

xere

rere potentia proxima & expedita ad peccandum; cùm ex Goneto potentia remota competat Christo, quia (inquit) est proprietas naturæ; sed Christus non caret formaliter potentia proxima & expedita ad peccandum, ex vi unionis hypostaticæ, sed ex vi specialis & inviolabilis manutenentiæ Dei: ergo non est formaliter impeccabilis ex vi unionis. Major patet: Minor prob. 1. Carere formaliter potentia expedita ad peccandum, idem est ac carere concursu & mediis ad eliciendum actum peccaminosum; nam dum potentia remota habet omne requisitum, fit proximè disposita & expedita; sed potentia remota humanitatis Christi non caret omni auxilio ad agendum requisito, ex vi unionis formaliter. Ratio est, quia concursus ad peccandum & ad non peccandum, non provenit formaliter ex unione, sed ex divina voluntate; idcircò carentia ejusdem à divina voluntate provenire debet: illius enim est privare, cujus est dare: ergo humanitas non caret potentia expedita ad peccandum, vel potentia remota peccandi in Christo non est impedita formaliter ex vi unionis; sed ex vi specialis manutenentiæ, aut decreti divinæ voluntatis, qua Deus decrevit semper concurrere cùm Christo ad actum dilectionis. Prob. 2. eadem minor: Unio hypostatica non est ex se formaliter impeditiva potentiarum, cùm ex Goneto actiones sint suppositorum elicitivè, & humanitas ex vi unionis hypostaticæ sit suppositata: ergo impotentia ut impedimentum ad eliciendum actum peccaminosum, non potest formaliter provenire ex unione, sed ex alio, quod unio hypostatica exigit: nam suppositum divinum sustentat & personat humanitatem, gerendo vices suppositi proprii, & licèt plura præstet quæ ipsum suppositum proprium non præstaret; tamen præstat quidquid præstaret suppositum proprium; sed suppositum proprium non impedi-

1. Liberum arbitrium includit indifferentiam, non solùm quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem: ergo Christus fuit indifferens, & potuit subire & non subire mortem. 2. Non est peccatum nisi voluntarium & liberum, id est, nisi proveniat à pricipio libero & voluntario: ergo liberum arbitrium est potentia ad peccandum. 3. Liberum arbitrium est potentia proxima ad non peccandum: ergo etiam ad peccandum: ergo cùm unio non tollat liberum arbitrium proximum, Christus non est impeccabilis ex vi unionis, sed ex alio capite, quod à voluntate divina dependebat.

Resp. Gonet. negando minorem: Nam (inquit) de ratione liberi arbitrii non est potentia peccandi, ut patet in Deo, in quo est perfectissimè liberum arbitrium, & simul impotentia peccandi; unde ad libertatem non requiritur indifferentia quoad specificationem, quæ vocatur contrarietatis, ad bonum scilicet & ad malum contrarium; sed sufficit indifferentia circà bonum, quæ dicitur libertas contradictionis, quia absolutè potest efficere aut non efficere actum bonum, hic & nunc, sub istis circumstantiis, quod in Christo reperitur.

Contra 1. Voluntas divina est infinitè recta & ex se indefectibilis, idcircò licèt sit libera non includit potentiam peccandi: at humana est finita, subdita & ex se defectibilis: ergo non valet paritas. 2. Potentia peccandi non est de ratione liberi arbitrii præcisè sumpti, sed liberi arbitrii ut subjicibilis, & quatenùs respicit legem, quod non potest dici de libero arbitrio Dei, sicut de libero arbitrio Christi. 3. Liberum arbitrium in Deo, idem est ac actus necessarius voluntatis divinæ, ut docet Gonet. tom. 1. at in Christo est distinctum & entitativè liberum: ergo non valet paritas. 4. Tandem, libertas contradictionis, quæ ex Goneto est in Christo, sufficit, ut liberum arbitrium includat po-

ten-

tentiam ad peccandum: ergo non obstante unione, datur in Christo potentia proxima peccandi, & consequenter ex alio capite provenit ejus impeccabilitas. Prob. antecedens: Omissio voluntaria actus boni præcepti, est mala & peccaminosa, ut docet Gonet. sed cum sola libertate contradictionis, potest dari omissio voluntaria actus boni præcepti: non enim implicat, quòd si Petrus v. g. esset liber sola libertate contradictionis, non posset non adorare Deum, non invocare, nec diligere sanctos, quin eliceret actus contrarios; sed tunc peccaret, quia non adorare, non amare Deum & sanctos est peccatum ab odio Dei distinctum; aliàs qui non amat Deum, nec ipsum adorat, odit positivè, quod est falsum; alioquin teneretur homo continuò adorare Deum directè, & formaliter actu invocare & diligere sanctos, quia tenetur nunquam odio habere Deum, &c. Ergo si in Christo sit libertas contradictionis proxima, ut fatetur Gonet. datur in ipso potentia peccandi, & consequenter ejus impeccabilitas non provenit ex vi unionis, nec ex vi visionis, ut volunt aliqui Scotistæ, contra quos militant etiam rationes quæ pugnant contra Gonetum; sed ex speciali manutenentia Dei.

Quæres, an in Christo fuerit, vel potuerit esse fomes peccati, seu inclinatio potentiæ per modum actus primi orta ex peccato, & in peccatum inclinans? Resp. negativè. Tum quia in Christo nullum est peccatum, nullaque inclinatio ad peccatum. Tum quia fomes est motus vitiosus inordinatus, pugnans cum recta ratione. Tum quia fomes est peccati originalis effectus: ergo non fuit nec potuit esse in Christo.

Obj. 1. Gonet. Verbo divino (omitto Authoritates SS. Patrum, quia non probant Christum esse impeccabilem ex vi unionis formaliter, sed tantùm fundamentaliter & radicaliter, quod non disputamus) ex vi unionis humanitatis ad ipsum,

 sum,

ſum, incumbit obligatio gubernandi humanitatem, eamque in officio continendi, ac proinde ſi humanitas aſſumpta peccaret, ejus peccatum Verbo in ſeipſo attribueretur; ſed implicat Verbum in ſeipſo peccare: ergo etiam implicat humanitatem aſſumptam peccare peccato cum unione compoſito. Minor patet: Major autem in qua eſt difficultas, ſic oſtenditur: Quoties duo uniuntur in aliqua natura vel perſona, inferius naturaliter ſubordinatur ſuperiori, & conſequenter ſuperior tenetur inferiorem regere & gubernare; ſed ex vi unionis humanitatis ad Verbum, natura humana & divina conveniunt in una Chriſti perſona: ergo, &c.

Confirm. 1. Quia corpus eſt inferius animæ, & per unionem conveniunt in una & eadem natura, ex tali unione induit anima obligationem corpus regendi; ſed humanitas eſt inferior divinitati, & ex vi unionis hypoſtaticæ convenit cum deitate in eadem Chriſti perſona: ergo ex vi unionis incumbit divinitati ſpecialis obligatio gubernandi humanitatem. Unde Synodus generalis actione 8. poſtquàm aſſeruit animam Chriſti, nullum in ſe naturalem modum excitare, niſi ad nutum Verbi ſibi hypoſtaticè uniti, ſic verbis Nyſſeni concludit; *Quemadmodum corpus noſtrum regitur & ornatur atque ordinatur ab intellectuali & rationali anima noſtra: ita in homine Chriſto, tota humana ejus conſperſio, ab ejuſdem Verbi divinitate ſemper & in omnibus mota, Deo mobilis fuit.*

Confirm. 2. Cùm in una & eadem natura conveniant ſuperior & inferior potentia, incumbit tali naturæ obligatio regendi potentiam inferiorem per potentiam ſuperiorem, ut conſtat in natura humana, quæ naturali obligatione tenetur per voluntatem regere & gubernare appetitum inferiorem: ergo pariter cùm duæ naturæ conveniunt in una & eadem perſona,

con-

consurgit in illa obligatio regendi inferiorem per superiorem naturam, & consequenter Verbo, in quo ex vi unionis humanitatis ad ipsum conveniunt natura divina & humana, incumbit specialis obligatio regendi & gubernandi naturam humanam per divinam; subindeque peccatum humanitatis unitæ attribueretur Verbo, non solùm ratione voluntatis humanæ, sed etiam voluntatis divinæ.

Confirm. 3. Longè arctior est conjunctio Verbi cum sua humanitate, quàm mariti cum uxore, patris cum filio, domini cum servo, cùm hæ non sint uniones physicæ; qualis est Verbi conjunctio cum humanitate: ergo multò magis est Verbi divini dirigere in omnibus suis operationibus, & à tanto malo, quantum est malum culpæ, avertere efficaciter humanitatem assumptam, quàm viri sit dirigere uxorem, & à peccato avertere pro facultate, &c. Omitto aliquas authoritates quibus probat hanc confirmationem.

Resp. concessa 1. parte majoris, negando minorem, nempè quòd si humanitas assumpta peccaret, ejus peccatum Verbo in seipso tribueretur, ex eo, quòd Verbum teneatur regere humanitatem: nam tenetur regere nos & gubernare ne peccemus, non per legem obligantem, sed ex sua bonitate, & quatenùs est Pater & provisor; tamen licèt sit Pater & Dominus noster & sponsus justorum, & det nobis auxilia ad vitanda peccata, peccata nostra non attribuuntur Deo: ergo nec peccata humanitatis attribuerentur Verbo, licèt humanitas sit sub ejus dominio & gubernio, imò & ipsi conjūcta. Resp. 2. argumentum concludere, dum superius cui inferius unitur, est principium tam *quod* quàm *quo* inferioris, & dat ipsi totam virtutem, id est, dum inferius agit virtute superioris, ut patet in corpore, quod in agendo dependet à suo superiori seu anima; non autem dum inferius est

liberum, & habet sua principia distincta à potentiis & virtute superioris; falsum enim est quòd peccata uxoris attribuantur marito, & peccata filii attribuantur patri: plures enim uxores sunt in inferno, quarum mariti sunt in cœlo; & plures filii fuerunt patibulo suspensi, quorum patres vivunt; unde cùm humanitas Christi non agat, nec vivat, nec operetur principiis, nec virtute, quibus Verbum vivit & operatur, nec velit volitione increata qua vult ipsum Verbum, argumentum nec confirmationes concludunt contra nos.

Obj. 2. Si posset humanitas assumpta peccare, peccato cum unione hypostatica composito, posset suppositum Verbi ut subsistens in humanitate peccare. Consequens est falsum: ergo. Sequela prob. Actiones sunt suppositorum vel subsistentium, ut commune axioma docet: sed suppositum humanitatis assumptę, est suppositum Verbi quatenùs in illa subsistens: ergo si posset humanitas assumpta peccare peccato cum unione ad Verbum composito, posset Verbum ut subsistens in humanitate peccare.

Resp. 1. negando sequelam: Ad prob. gratis concesso antecedente, nego consequentiam; quia peccatum formaliter sumptum, & quatenùs est deformitas ad legem, non est verè actio, nec habet causam efficientem; sed est defectus & habet causam deficientem, ut docet Gonetus in tract. de peccatis.

Resp. 2. negando sequelam. Ad prob. dico actiones esse suppositorum de materiali, ut multoties dictum est, non verò de formali: ergo si humanitas peccaret, Verbum non peccaret in ipsa formaliter, sicut non est in ipsa formaliter mortuum, nec crucifixum, nec obediens, &c. sed tantùm denominativè & per communicationem idiomatum.

Gonet. negat paritatem. Ratio discriminis est, quia mors sicut & quodlibet aliud malum pœ-

næ,

næ, à Dei justitia est introductum propter gloriam ipsius Dei: malum verò culpæ, seu peccatum committitur per recessum ab arte divinæ sapientiæ, & ab ordine divinæ bonitatis; & ideò licèt nulla sit indecentia, quòd Verbum in natura assumpta, seu ut subsistens in humanitate per communicationem idiomatum passum, crucifixum & mortuum denominetur, est tamen moralis indecentia, quòd Verbum etiam ut in natura humana subsistens, denominativè, seu per communicationem idiomatum, peccare dicatur.

Confirm. Prædicata naturæ, quæ per se primò conveniunt supposito, si habeant repugnantiam cum hypostasi seu persona Verbi, non possunt de illa etiam per communicationem idiomatum prædicari; hac enim ratione docet S. Thomas, has propositiones esse falsas, *Christus est creatus vel creatura, Christus incepit esse*, & similes; sed peccare est prædicatum habens repugnantiam cum persona Verbi: ergo.

Secundò. Juxta hujus solutionis doctrinam, Humanitate Petri peccante, suppositum Petri solùm peccat denominativè; nam actiones dicuntur suppositorum, non elicitivè, sed tantùm denominativè; & tamen humanitate Petri peccante, suppositum ejus dicitur simpliciter & absolutè peccans & peccato infectum: ergo idem dicendum esset de Verbo. *Tertiò*. Hæc propositio, *Verbum ut in humanitate subsistens, pro nobis meruit & satisfecit*, est vera in proprietate sermonis & in rigore, non minùs quàm ista, *Christus nos redemit & satisfecit pro nobis*; & tamen juxta doctrinam solutionis, Christus, seu Verbum ut subsistens in humanitate, solùm denominativè satisfecit & meruit; cùm actiones non sint suppositorum elicitivè, sed tantùm denominativè: ergo quòd humanitate assumpta peccante, Verbum ut in illa subsistens, denominativè tantùm peccaret, non tollit, quòd hæc

propositio, Christus seu Verbum ut subsistens in humanitate, peccat, sit vera in rigore & proprietate sermonis. Omitto ultimam instantiam, qua probat actiones esse suppositorum activè, quia soluta manet in 1. tom. disp. de processione Spiritus sancti.

Contra: Nam ut ait Frassen, tam permissio peccati potest cedere in gloriam Dei, quàm quodlibet malum pœnæ: Deus enim ordinare potest peccatum tam ad commendationem suæ justitiæ, illud vindicando & puniendo, quàm ad manifestationem suæ misericordiæ, illud relaxando & gratis remittendo. Deinde, peccata subjiciuntur divinæ providentiæ, ut docet Gonet. tom. 1. Ergo cùm peccatum cedat in gloriam Dei sicut mors, & Verbo non magis repugnet peccatum, quàm mors, non magis implicat, quòd peccet in humanitate, quàm quòd in ipsa moriatur. *Tandem*, ex sacra Scriptura Filius Dei pro nobis factus est peccator & fidejussor: ergo denominatio peccatoris, cùm sit extrinseca, potest dici de Verbo per communicationem idiomatum. Ad confirm. nego majorem: Nam obedientia & inferioritas, sunt prædicata quæ per se primò conveniunt supposito, & habent repugnantiam cum hypostasi, seu persona Verbi, ut patet; tamen de illa per communicationem idiomatum prædicantur: valet etiam dicere, *Christus est creatura & incepit esse*, non simpliciter, sed quatenùs est homo, sicut dicitur æqualis & minor respectu Patris, æqualis secundùm divinitatem, & minor secundùm humanitatem: ergo licèt peccare sit prædicatum repugnans cum persona Verbi, potest tamen per communicationem idiomatum & denominativè, ipsi convenire sicut mors &c. quæ non habent minorem repugnantiam cum illa.

Ad secundum, nego paritatem. Ratio est, quia suppositum Petri desumit suam specificationem & suum esse ab humanitate peccante;

idcir-

dcircò dum humanitas peccat, dicitur simpliciter peccans: at suppositum Verbi habet naturam propriam à qua specificatur: ergo non deberet dici simpliciter peccans, si natura humana quæ est extranea, peccaret. *Ad tertium*, dico propositionem esse veram per communicationem idiomatum & ratione humanitatis; Christus enim satisfecit pro nobis ut homo, non autem ut Deus; aliàs satisfactio esset infiniti valoris intrinsecè & simpliciter, quod Scotus negat; satisfecisset sibi, quod Gonetus improbat; & Deus ut Deus mortuus fuisset, quod fides damnat: ergo humanitate assumpta peccante, Verbum non peccaret in rigore sermonis, sed tantùm per communicationem idiomatum, sicut moritur; id est, quia sustentaret naturam peccantem; sicut moritur, quia sustentat & personat naturâ morientem. Omitto primam rationem quam Gonetus adducit in §. 5. quia supponit gratiam sanctificantem physicè & essentialiter repugnare cum peccato, & consequenter unionem hypostaticam repugnare etiam cum ipso, quod falsum esse patet suprà in tract. de gratia.

Obj. 4. Ex eo præcisè aliqua natura impeccabilis redditur, quòd conjungitur immobiliter ipsi regulæ rectæ operationis; sicut econtra eâ ratione est peccabilis, quia potest deviare à recta regula operationis: sed humanitas Christi ex unione ad Verbum præcisè, conjuncta est immobiliter primæ regulæ rectæ operationis, nimirùm divinæ sanctitati & sapientiæ: ergo &c. Omitto confirmationem qua probat Christum non esse impeccabilem ex vi visionis beatificæ, quia non militat contra nos.

Resp. negando majorem: quia humanitas Christi conjungitur Deo ex vi unionis, sicut terminabile aut sustentabile conjungitur terminativo & sustentanti, quæ conjunctio non est cum prima regula rectæ operationis. Ratio

ret voluntatem: ergo nec divinum eam impedit; ſubindeque ex alio capite provenire debet impeccabilitas Chriſti.

Prob. 3. minor principalis, nempè unionem non impedire potentiam remotam peccandi. Unio ex ſe, aut perſona Verbi non determinat voluntatem ad obediendum; idcircò non impedit eam ad oppoſitum, nec ad actum ſuſpenſum, ut eſt evidens: ergo non eſt impedita ad peccandum ex vi unionis. Prob. antecedens 1. Perſona Verbi non eſt ex ſe activa ad extra, quia omnes operationes ad extra ſunt indiviſæ toti Trinitati: ergo non poteſt determinare voluntatem Chriſti, quæ eſt ad extra, ad obediendum, nec eam impedire, ſi obedire nollet. 2. Perſonalitas Verbi non habet rationem principii efficientis, nec phyſicè mutat voluntatem humanam Chriſti: ergo non determinat voluntatem Chriſti ad obediendum, ſeu ad non peccandum. 3. Si perſonalitas Verbi divini (non dico, ſi unio, quia ex Goneto non eſt modus ſuperadditus humanitati) determinaret voluntatem ad obediendum aut ad actum dilectionis, ita eam determinaret, ut etiam ſi Deus abſolutè nollet, poſſet diligere & obedire, cùm ſtante formali cauſa, effectus de potentia abſoluta impediri non poſſit; ſed hoc eſt falſum, quia ſtante unione voluntas Chriſti exigit auxilium, ſeu concurſum à Deo dandum, quo poſito voluntas eſt debitè & proximè expedita, & quo ſublato voluntas remanet impedita: ergo voluntas humana Chriſti non determinatur ad obediendum præcepto de morte ſubeunda, per unionem, nec per ipſam impeditur formaliter; ſed per concurſum ad utrumlibet paratum, quem Deus propter unionem, cum Verbo, ſpeciali providentia & ſingulari manutenentia denegat Chriſto, ut voluntas ſit impedita ad peccandum, & ſemper expedita ad obediendum.

Prob.

Prob. 2. conclusio: Si Christus esset impeccabilis ex vi unionis hypostaticæ, necessariò sequeretur aliqua incompatibilitas inter ipsam & peccatum, ut est evidens; sed nulla datur incompatibilitas inter unionem & peccatum: ergo unio non reddit formaliter Christum impeccabilem. Prob. minor 1. Unio hypostatica subjectatur in humanitate; sic Poncius, Mastrius & alii; & peccatum subjectatur in voluntate: ergo non sunt duæ formæ in homine incompatibiles, cùm diversa subjecta habeant. 2. Unio hypostatica est in linea physica, & peccatum in linea morali: ergo non opponuntur physicè, & consequenter impeccabilitas Christi non provenit ex unione. 3. Unio non est formalis sanctitas qua sanctificatur Christus, sed tantùm personalis & radicalis, ut dictum est suprà; ergo non potest esse incompatibilis cum peccato formaliter, cùm sola sanctitas peccato opponatur. *Deinde*, quando etiam verum esset, peccatum ipsum incompatibilitatem habere cum unione, ut vult Gonet. hoc tamen de potentia proxima ad peccandum dici non deberet, quia potentia proxima ad peccandum non est culpabilis. Tum quia justus in quo reperitur, esset reus. Tum quia stat cum gratia sanctificante: ergo licèt privatio peccati proveniat ex unione, ratione incompatibilitatis cum peccato: ex ipsa tamen non provenit privatio potentiæ proximæ ad peccandum, quia nullam cum ipsa incompatibilitatem habet, & consequenter Christus non est formaliter in impotentia proxima peccandi, ex natura unionis hypostaticæ, sed ex alio capite extrinseco.

Prob. 3. Christus Dominus stante unione habuit liberum arbitrium, sicut cæteri homines, quod est potentia finita, subdita & defectibilis: sed liberum arbitrium includit potentiam peccandi: ergo impeccabilitas Christi non provenit formaliter ex unione hypostatica. Prob. minor

1. Liberum arbitrium includit indifferentiam, non solùm quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem: ergo Christus fuit indifferens, & potuit subire & non subire mortem. 2. Non est peccatum nisi voluntarium & liberum, id est, nisi proveniat à pricipio libero & voluntario: ergo liberum arbitrium est potentia ad peccandum. 3. Liberum arbitrium est potentia proxima ad non peccandum: ergo etiam ad peccandum: ergo cùm unio non tollat liberum arbitrium proximum, Christus non est impeccabilis ex vi unionis, sed ex alio capite, quod à voluntate divina dependebat.

Resp. Gonet. negando minorem: Nam (inquit) de ratione liberi arbitrii non est potentia peccandi, ut patet in Deo, in quo est perfectissimè liberum arbitrium, & simul impotentia peccandi; unde ad libertatem non requiritur indifferentia quoad specificationem, quæ vocatur contrarietatis, ad bonum scilicet & ad malum contrarium; sed sufficit indifferentia circà bonum, quæ dicitur libertas contradictionis, quia absolutè potest efficere aut non efficere actum bonum, hic & nunc, sub istis circumstantiis, quod in Christo reperitur.

Contra 1. Voluntas divina est infinitè recta & ex se indefectibilis, idcircò licèt sit libera non includit potentiam peccandi: at humana est finita, subdita & ex se defectibilis: ergo non valet paritas. 2. Potentia peccandi non est de ratione liberi arbitrii præcisè sumpti, sed liberi arbitrii ut subjicibilis, & quatenùs respicit legem, quod non potest dici de libero arbitrio Dei, sicut de libero arbitrio Christi. 3. Liberum arbitrium in Deo, idem est ac actus necessarius voluntatis divinæ, ut docet Gonet. tom. 1. at in Christo est distinctum & entitativè liberum: ergo non valet paritas. 4. Tandem, libertas contradictionis, quæ ex Goneto est in Christo, sufficit, ut liberum arbitrium includat poten-

tentiam ad peccandum: ergo non obstante unione, datur in Christo potentia proxima peccandi, & consequenter ex alio capite provenit ejus impeccabilitas. Prob. antecedens: Omissio voluntaria actus boni præcepti, est mala & peccaminosa, ut docet Gonet. sed cum sola libertate contradictionis, potest dari omissio voluntaria actus boni præcepti: non enim implicat, quòd Petrus v. g. esset liber sola libertate contradictionis, non posset non adorare Deum, non invocare, nec diligere sanctos, quin eliceret actus contrarios; sed tunc peccaret, quia non adorare, non amare Deum & sanctos est peccatum ab odio Dei distinctum; aliàs qui non amat Deum, nec ipsum adorat, odit positivè, quod est falsum; alioquin teneretur homo continuò adorare Deum directè, & formaliter actu invocare & diligere sanctos, quia tenetur nunquam odio habere Deum, &c. Ergo si in Christo sit libertas contradictionis proxima, ut fatetur Gonet. datur in ipso potentia peccandi, & consequenter ejus impeccabilitas non provenit ex vi unionis, nec ex vi visionis, ut volunt aliqui Scotistæ, contra quos militant etiam rationes quæ pugnant contra Gonetum; sed ex speciali manutenentia Dei.

Quæres, an in Christo fuerit, vel potuerit esse fomes peccati, seu inclinatio potentiæ per modum actus primi orta ex peccato, & in peccatum inclinans? Resp. negativè. Tum quia in Christo nullum est peccatum, nullaque inclinatio ad peccatum. Tum quia fomes est motus vitiosus inordinatus, pugnans cum recta ratione. Tum quia fomes est peccati originalis effectus: ergo non fuit nec potuit esse in Christo.

Obj. 1. Gonet. Verbo divino (omitto Authoritates SS. Patrum, quia non probant Christum esse impeccabilem ex vi unionis formaliter, sed tantùm fundamentaliter & radicaliter, quod non inficiamur) ex vi unionis humanitatis ad ip-

 sum,

ſum, incumbit obligatio gubernandi humanitatem, eamque in officio continendi, ac proinde ſi humanitas aſſumpta peccaret, ejus peccatum Verbo in ſeipſo attribueretur; ſed implicat Verbum in ſeipſo peccare: ergo etiam implicat humanitatem aſſumptam peccare peccato cum unione compoſito. Minor patet: Major autem in qua eſt difficultas, ſic oſtenditur: Quoties duo uniuntur in aliqua natura vel perſona, inferius naturaliter ſubordinatur ſuperiori, & conſequenter ſuperior tenetur inferiorem regere & gubernare; ſed ex vi unionis humanitatis ad Verbum, natura humana & divina conveniunt in una Chriſti perſona: ergo, &c.

Confirm. 1. Quia corpus eſt inferius animæ, & per unionem conveniunt in una & eadem natura, ex tali unione induit anima obligationem corpus regendi; ſed humanitas eſt inferior divinitati, & ex vi unionis hypoſtaticæ convenit cum deitate in eadem Chriſti perſona: ergo ex vi unionis incumbit divinitati ſpecialis obligatio gubernandi humanitatem. Unde Synodus generalis actione 8. poſtquàm aſſeruit animam Chriſti, nullum in ſe naturalem modum excitare, niſi ad nutum Verbi ſibi hypoſtaticè uniti, ſic verbis Nyſſeni concludit; *Quemadmodum corpus noſtrum regitur & ornatur atque ordinatur ab intellectuali & rationali anima noſtra: ita in homine Chriſto, tota humana ejus conſperſio, ab ejuſdem Verbi divinitate ſemper & in omnibus mota, Deo mobilis fuit.*

Confirm. 2. Cùm in una & eadem natura conveniant ſuperior & inferior potentia, incumbit tali naturæ obligatio regendi potentiam inferiorem per potentiam ſuperiorem, ut conſtat in natura humana, quæ naturali obligatione tenetur per voluntatem regere & gubernare appetitum inferiorem: ergo pariter cùm duæ naturæ conveniunt in una & eadem perſona,

con-

consurgit in illa obligatio regendi inferiorem per superiorem naturam, & consequenter Verbo, in quo ex vi unionis humanitatis ad ipsum conveniunt natura divina & humana, incumbit specialis obligatio regendi & gubernandi naturam humanam per divinam; subindeque peccatum humanitatis unitæ attribueretur Verbo, non solùm ratione voluntatis humanæ, sed etiam voluntatis divinæ.

Confirm. 3. Longè arctior est conjunctio Verbi cum sua humanitate, quàm mariti cum uxore, patris cum filio, domini cum servo, cùm hæ non sint uniones physicæ, qualis est Verbi conjunctio cum humanitate: ergo multò magis est Verbi divini dirigere in omnibus suis operationibus, & à tanto malo, quantum est malum culpæ, avertere efficaciter humanitatem assumptam, quàm viri sit dirigere uxorem, & à peccato avertere pro facultate, &c. Omitto aliquas authoritates quibus probat hanc confirmationem.

Resp. concessa 1. parte majoris, negando minorem, nempè quòd si humanitas assumpta peccaret, ejus peccatum Verbo in seipso tribueretur, ex eo, quòd Verbum teneatur regere humanitatem: nam tenetur regere nos & gubernare ne peccemus, non per legem obligantem, sed ex sua bonitate, & quatenùs est Pater & provisor; tamen licèt sit Pater & Dominus noster & sponsus justorum, & det nobis auxilia ad vitanda peccata, peccata nostra non attribuuntur Deo: ergo nec peccata humanitatis attribuerentur Verbo, licèt humanitas sit sub ejus dominio & gubernio, imò & ipsi conjũcta. Resp. 2. argumentum concludere, dum superius cui inferius unitur, est principium tam *quod* quàm *quo* inferioris, & dat ipsi totam virtutem, id est, dum inferius agit virtute superioris, ut patet in corpore, quod in agendo dependet à suo superiori seu anima; non autem dum inferius est

liberum, & habet sua principia distincta à potentiis & virtute superioris; falsum enim est quòd peccata uxoris attribuantur marito, & peccata filii attribuantur patri: plures enim uxores sunt in inferno, quarum mariti sunt in cœlo; & plures filii fuerunt patibulo suspensi, quorum patres vivunt; unde cùm humanitas Christi non agat, nec vivat, nec operetur principiis, nec virtute, quibus Verbum vivit & operatur, nec velit volitione increata qua vult ipsum Verbum, argumentum nec confirmationes concludunt contra nos.

Obj. 2. Si posset humanitas assumpta peccare, peccato cum unione hypostatica composito, posset suppositum Verbi ut subsistens in humanitate peccare. Consequens est falsum: ergo. Sequela prob. Actiones sunt suppositorum vel subsistentium, ut commune axioma docet: sed suppositum humanitatis assumptæ, est suppositum Verbi quatenùs in illa subsistens: ergo si posset humanitas assumpta peccare peccato cum unione ad Verbum composito, posset Verbum ut subsistens in humanitate peccare.

Resp. 1. negando sequelam: Ad prob. gratis concesso antecedente, nego consequentiam; quia peccatum formaliter sumptum, & quatenùs est deformitas ad legem, non est verè actio, nec habet causam efficientem; sed est defectus & habet causam deficientem, ut docet Gonetus in tract. de peccatis.

Resp. 2. negando sequelam. Ad prob. dico actiones esse suppositorum de materiali, ut multoties dictum est, non verò de formali: ergo si humanitas peccaret, Verbum non peccaret in ipsa formaliter, sicut non est in ipsa formaliter mortuum, nec crucifixum, nec obediens, &c. sed tantùm denominativè & per communicationem idiomatum.

Gonet. negat paritatem. Ratio discriminis est, quia mors sicut & quodlibet aliud malum pœnæ,

næ, à Dei justitia est introductum propter gloriam ipsius Dei: malum verò culpæ, seu peccatum committitur per recessum ab arte divinæ sapientiæ, & ab ordine divinæ bonitatis; & ideò licèt nulla sit indecentia, quòd Verbum in natura assumpta, seu ut subsistens in humanitate per communicationem idiomatum passum, crucifixum & mortuum denominetur, est tamen moralis indecentia, quòd Verbum etiam ut in natura humana subsistens, denominativè, seu per communicationem idiomatum, peccare dicatur.

Confirm. Prædicata naturæ, quæ per se primò conveniunt supposito, si habeant repugnantiam cum hypostasi seu persona Verbi, non possunt de illa etiam per communicationem idiomatum prædicari; hac enim ratione docet S. Thomas, has propositiones esse falsas, *Christus est creatus vel creatura*, *Christus incepit esse*, & similes; sed peccare est prædicatum habens repugnantiam cum persona Verbi: ergo.

Secundò. Juxta hujus solutionis doctrinam, humanitate Petri peccante, suppositum Petri solùm peccat denominativè; nam actiones dicuntur suppositorum, non elicitivè, sed tantùm denominativè; & tamen humanitate Petri peccante, suppositum ejus dicitur simpliciter & absolutè peccans & peccato infectum: ergo idem dicendum esset de Verbo. *Tertiò*. Hæc propositio, *Verbum ut in humanitate subsistens, pro nobis meruit & satisfecit*, est vera in proprietate sermonis & in rigore, non minùs quàm ista, *Christus nos redemit & satisfecit pro nobis*; & tamen juxta doctrinam solutionis, Christus, seu Verbum ut subsistens in humanitate, solùm denominativè satisfecit & meruit; cùm actiones non sint suppositorum elicitivè, sed tantùm denominativè: ergo quòd humanitate assumpta peccante, Verbum ut in illa subsistens, denominativè tantùm peccaret, non tollit, quòd hæc

propositio, Christus seu Verbum ut subsistens in humanitate, peccat, sit vera in rigore & proprietate sermonis. Omitto ultimam instantiam, qua probat actiones esse suppositorum activè, quia soluta manet in 1. tom. disp. de processione Spiritus sancti.

Contra: Nam ut ait Frassen, tam permissio peccati potest cedere in gloriam Dei, quàm quodlibet malum pœnæ: Deus enim ordinare potest peccatum tam ad commendationem suæ justitiæ, illud vindicando & puniendo, quàm ad manifestationem suæ misericordiæ, illud relaxando & gratis remittendo. Deinde, peccata subjiciuntur divinæ providentiæ, ut docet Gonet. tom. 1. Ergo cùm peccatum cedat in gloriam Dei sicut mors, & Verbo non magis repugnet peccatum, quàm mors, non magis implicat, quòd peccet in humanitate, quàm quòd in ipsa moriatur. *Tandem*, ex sacra Scriptura Filius Dei pro nobis factus est peccator & fidejussor: ergo denominatio peccatoris, cùm sit extrinseca, potest dici de Verbo per communicationem idiomatum. Ad confirm. nego majorem: Nam obedientia & inferioritas, sunt prædicata quæ per se primò conveniunt supposito, & habent repugnantiam cum hypostasi, seu persona Verbi, ut patet; tamen de illa per communicationem idiomatum prædicantur: valet etiam dicere, *Christus est creatura & incepit esse*, non simpliciter, sed quatenùs est homo, sicut dicitur æqualis & minor respectu Patris, æqualis secundùm divinitatem, & minor secundùm humanitatem: ergo licèt peccare sit prædicatum repugnans cum persona Verbi, potest tamen per communicationem idiomatum & denominativè, ipsi convenire sicut mors &c. quæ non habent minorem repugnantiam cum illa.

Ad secundum, nego paritatem. Ratio est, quia suppositum Petri desumit suam specificationem & suum esse ab humanitate peccante; idcir-

dcircò dum humanitas peccat, dicitur simpliciter peccans: at suppositum Verbi habet naturam propriam à qua specificatur: ergo non deberet dici simpliciter peccans, si natura humana quæ est extranea, peccaret. *Ad tertium*, dico propositionem esse veram per communicationem idiomatum & ratione humanitatis; Christus enim satisfecit pro nobis ut homo, non autem ut Deus; aliàs satisfactio esset infiniti valoris intrinsecè & simpliciter, quod Scotus negat; satisfecisset sibi, quod Gonetus improbat; & Deus ut Deus mortuus fuisset, quod fides damnat: ergo humanitate assumpta peccante, Verbum non peccaret in rigore sermonis, sed tantùm per communicationem idiomatum, sicut moritur; id est, quia sustentaret naturam peccantem; sicut moritur, quia sustentat & personat naturā morientem. Omitto primam rationem quam Gonetus adducit in §. 5. quia supponit gratiam sanctificantem physicè & essentialiter repugnare cum peccato, & consequenter unionem hypostaticam repugnare etiam cum ipso, quod falsum esse patet suprà in tract. de gratia.

Obj. 4. Ex eo præcisè aliqua natura impeccabilis redditur, quòd conjungitur immobiliter ipsi regulæ rectæ operationis; sicut econtra eā ratione est peccabilis, quia potest deviare à recta regula operationis: sed humanitas Christi ex unione ad Verbum præcisè, conjuncta est immobiliter primæ regulæ rectæ operationis, nimirum divinæ sanctitati & sapientiæ: ergo &c. Omitto confirmationem qua probat Christum non esse impeccabilem ex vi visionis beatificæ, quia non militat contra nos.

Resp. negando majorem: quia humanitas Christi conjungitur Deo ex vi unionis, sicut terminabile aut sustentabile conjungitur terminativo & sustentanti, quæ conjunctio non est cum prima regula rectæ operationis. Ratio

tio est, quia hæc conjunctio fit in voluntate cum voluntate divina, quæ est prima regula rectæ operationis; unde cùm unio hypostatica non conjungat physicè humanam voluntatem Christi cum voluntate divina, tum quia voluntas humana Christi ex se non esset libera, tum quia esset tam conjuncta voluntati Patris & Spiritus sancti, quàm Filii, quod est falsum, sequitur, quòd non conjungit eam regulæ rectæ rationis: ergo est conjuncta immobiliter primæ regulæ rectæ operationis, per aliquid aliud ab unione distinctum, quod est manutenentia Dei. Omitto brevitatis gratia tertiam rationem in 5. §. positam, quia supponit humanitatem Christi esse formaliter sanctam per unionem hypostaticam, quod supra impugnatum est. Omitto etiam argumentum, quo in 6. §. probat humanitatem Christi non potuisse peccare peccato destruente unionem hypostaticam, quia fundatur in argumentis jam propositis, & habet eamdem virtutem; ideòque eadem responsione solvi potest.

QUÆSTIO II.

An Christus meruerit adimplendo præceptum Patris de subeunda morte pro salute generis humani?

SUppono 1. Christum verè & propriè meruisse à primo conceptionis instanti, usque ad instans mortis, cùm habuerit actum voluntatis liberum, scientiam, gratiam & alias conditiones ad merendum requisitas; non autem in instanti mortis, nec post mortem, quia ad meritum requiritur status viæ: ergo post mortem non meruit, sed tantùm in vita per actum

cha-

charitatis quo diligebat Deum, sicut meruit per actum obedientiæ &c.

Suppono 2. tamquam certum contra Lorcam, præceptum strictum de morte subeunda pro salute generis humani, Christo fuisse impositum à Patre, & ab ipsomet Christo observatum, ut suadet illud, quod Veritas ait, *Vt cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi sic facio*. Unde difficultas est, an adimplendo præceptum illud meruerit? Ratio dubitandi est, quia ut quis mereatur adimplendo præceptum, necesse est, quòd possit non adimplere illud; meruit enim, *qui potuit facere mala & non fecit, transgredi & non est transgressus*, quod de Christo dici non potest, cùm ratione impeccabilitatis, non obedire non potuerit, cùm peccasset, si mori noluisset: concilianda est igitur libertas in Christō cum impeccabilitate. Gonetus existimat modum verè conciliandi in Christo libertatem cum impeccabilitate, in eo consistere, quòd licèt non potuerit Christus velle non mori in sensu composito, hoc est, velle conjungere negationem mortis cum præcepto obligante ad mortem, benè tamen in sensu diviso, id est, velle negationem mortis ut abstractam à præcepto, contra quem modum

Dico, quòd modus verè conciliandi in Christo circà præceptum mortis à Patre impositum, libertatē à necessitate cum omnimoda ipsius impeccabilitate, in eo consistit, quòd licèt non potuerit Christus velle non mori, moraliter, hoc est, ex vi impedimenti aut manutenentiæ Dei, benè tamen physicè: ita colligitur ex Doctore & ex dictis quæst. 1. Prob. Impotentia moralis faciendi aliquid, non tollit, quin liberè possit quis facere illud; plura enim liberè facimus, quæ tamen moraliter non possumus non facere, ut patet in B. Virgine, Apostolis & aliis Sanctis in gratia confirmatis, qui dum erant viatores post

accep-

acceptum Spiritum sanctum, non poterant non diligere Christum, nec mandata ejus despicere, tamen liberè ipsum diligebant, ejusque mandata servabant; qui habent gratiam efficacem ad aliquid faciendum, sunt moraliter determinati ad illud, tamen liberè illud faciunt. *Deinde*, voluntas potest liberè se determinare ad illud ad quod ab extrinseco & moraliter cogitur ac determinatur, cùm non obstante impotentia morali aut vi agentis extrinsecè determinantis, remaneat physicè & ab intrinseco indifferens; sed cum impeccabilitate Christi ex speciali manutenentia Dei proveniente, qua Christus est impeccabilis, optimè stat potentia physica ad non observandum præceptum de morte subeunda, ut docent omnes Scotistæ cum Doctore. Tum quia ut dixi supra quæst. præcedenti, Christus non est impeccabilis ratione unionis hypostaticæ formaliter, sed ex vi manutenentiæ Dei. Tum quia in Christo datur liberum arbitrium sicut in aliis hominibus, quantum ad physicum & radicale: ergo verus modus conciliandi libertatem cum impeccabilitate in Christo, consistit in eo quòd licèt non potuerit velle non mori, moraliter, benè tamen physicè potuit, quod sufficit ad merendum; subindeque impeccabilitas Christi, cum, ut ex dictis patet, non tollat potentiam physicam, sed tantùm moralem, concordat cum libertate.

Confirm. Velle adimplere præceptum est opus meritorium, licèt ratione impedimenti ab extrinseco provenientis, præceptum adimpleri non possit; ut v. g. Catholicus qui tenetur adimplere præceptum de missa audienda, meretur & adimplet illud, dum ita impeditur, ut non possit eam audire, modò quantum est ex se velit & possit eam audire, in quo casu impotentia moralis non tollit meritum, nec incompatibilis est cum libertate, quia habet potentiam physicam, qua potest velle non audire missam

& qua

& qua vult eam audire: ergo in Christo impeccabilitas concordat cum libertate, & mors est meritoria, licèt Christus ratione visionis beatificæ aut manutenentiæ Dei, non potuerit velle non mori, quia in eo erat potentia physica nolendi mortem inevitabilem, qua voluit mori, ut colligitur Matth. 26. vers. 42. ubi legitur Christum dixisse Patri, *Pater mi si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua*; subindeque Christus non obstante impeccabilitate explicata, liberè mortuus est & meruit, quia quantùm ad potentiam physicam non moriendi quam habebat, & quæ erat impedita, voluit mori: oblatus enim est, quia ipse voluit.

Prob. 2. ex illo Joan. 10. ubi legitur Christum dixisse, *Ego pono animam meam ut iterum sumam eam; nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam; hoc mandatum accepi à Patre meo*: ex quibus verbis infertur, Christum verè potuisse velle mori, seu ponere animam, & potuisse velle non mori & non ponere animam, quod non debet intelligi de potentia prorsùs completa, nempè physicè & moraliter propter impeccabilitatem, sed debet intelligi de potentia physica tantùm: ergo hæc potentia physica ad obediendum vel ad non obediendum, servat rationem meriti, non obstante impotentia proxima & morali ad non obediendum, aut necessitate ad obediendum.

Prob. 3. destruendo modum Goneti: Velle non mori in sensu diviso, id est, velle negationem mortis ut abstractam à præcepto, non sufficit ad merendum in observantia præcepti: ergo hic modus non conciliat in Christo circa præceptum mortis, libertatem à necessitate cum omnimoda impeccabilitate. Prob. antecedens: Christum posse velle non mori in sensu diviso, id est, velle negationem mortis ut abstractam

à præ-

à præcepto, non est posse mereri: ergo si Christus tantùm in hoc sensu potuerit non mori, nihil meruit, dum mortuus est. Consequentia patet, cùm actus sine posse, minimè dari queat. Prob. antecedens: Mors ut abstracta à præcepto non est meritoria. Tum quia mors sic considerata non habet rationem obedientiæ, nec sacrificii à Deo acceptandi. Tum quia mori esset meritorium peccatoribus & impiis, quod est falsum. Tum quia mors ut abstracta à præcepto est finis naturalis, ad quem tendit omne vivens corporeum; idcircò volendo hujusmodi finem seu mortem quæ naturalis est, non meretur nec demeretur. Tum quia ad meritum requiritur pactum aut promissio, ideòque mors ut abstracta à præcepto, quo Deus vult sibi mortem Christi in satisfactionem peccatorum, non est præmianda, subindeque nec meritoria: ergo posse non mori in sensu diviso, id est, velle negationem mortis ut abstractam à præcepto, non est posse mereri.

Obj. Gonetus. Juxta hunc modum dicendi, stat Christum verè potuisse velle mori, etiam supposito præcepto ipsum ad mortem obligante, & tamen non potuisse velle transgredi tale præceptum: ergo modus ille verè conciliat circa præceptum mortis Christo impositum, libertatem à necessitate cum omnimoda impeccabilitate. Consequentia patet: Prob. antecedens: Christum, stante præcepto quo obligabatur ad mortem, potuisse nihilominùs velle negationem mortis ut abstrahentem à tali præcepto, sive ut secundùm se præcisè sumptam, est ipsũ verè potuisse velle non mori; sicut voluntatem actualiter amantem, atque adeò stante actu amoris, posse velle negationem amoris, ut abstrahenté ab amore, est verè ipsam posse non amare.68Prætereà, eumdé Christũ non potuisse velle negationem mortis, ut conjungendam cum præcepto obligante ad moriendũ, sed solùm ut abstrahen-

hente ab illo, est ipsum non potuisse transgredi illud præceptum; sed juxta modum dicendi (inquit) assignatum, illa duo salvantur: ergo & Christum potuisse, etiam supposito præcepto de morte subeunda, velle non mori, & tamen non potuisse velle transgredi præceptum.

Confirm. De præcepto Dei mortem Christo imperantis, eodem ferè modo philosophandum est, ac de ipsius decreto, quo talem mortem ab æterno cum omnibus ejus circumstantiis prædefinivit: præsertim cùm præceptum moriendi Christo impositum, à tali decreto promanaverit & fuerit ejus executio: sicut ergo in sententia Thomistarum divinum decretum ita causas liberas ad agendum determinat, ut nedùm substantiam, sed etiam modum operum attingat, ita ut causæ liberæ faciant, quod Deus vult fieri, & eo modo quo Deus fieri vult, id est liberè, & ita agant unum, ut possint agere oppositum, ut fusè in tract. de voluntate Dei declaravimus: ita similiter præceptum moriendi Christo impositum, ipsum ad substantiam & modum operis moraliter determinavit, ut neinpè moreretur eo modo quo Pater voluit, scilicet liberè, sive cum potentia non moriendi; & sicut etiam in eodem tract. docuimus, ex efficaci divinæ voluntatis decreto non sequi necessariò, sed tantùm infallibiliter ipsam operationem, & hanc solùm infallibilitatem esse requisitam ad efficaciam illius; ita pariter nunc dicimus, quòd ut præceptum moriendi Christo impositum esset efficax, satis erat, quòd infallibiliter mortem Christi inferret, licèt non necessariò. Unde tale præceptum infallibiliter mortem inferendo, reddidit Christum impeccabilem, & non inferendo necessariò, reliquit eum liberum libertate indifferentiæ. Omitto verba Joan 10. suprà in secunda probatione posita.

Resp. negando antecedens, quia licèt Christus stante præcepto potuerit velle mori, tamen stan-

ſtante præcepto de morte ſubeunda, nullo modo potuit velle non mori & non obedire, ſuppoſita impeccabilitate phyſica & intrinſeca à Goneto conceſſa; at ut meritoria ſit mors Chriſti, oportet, quòd Chriſtus potuerit aliquo modo ſtante præcepto, velle non mori ſeu non obedire, ut patet ex dictis ſuprà: ergo modus Goneti non conciliat circa præceptum, libertatem à neceſſitate cum omnimoda impeccabilitate. Ad prob. nego ſuppoſitum & paritatem: nam licèt Chriſtus potuerit velle negationem mortis ut abſtrahentem à tali præcepto, ſive ut ſecundùm ſe præcisè ſumptam; hoc tamen non eſt ipſum verè potuiſſe velle non mori, prout non mori idem eſt, ac non obedire, ut eſt in controverſia; quia hoc ipſo quòd ex Goneto erat ab intrinſeco impeccabilis, non retinebat potentiam antecedentem ad non obediendum, licèt eam retinuerit circa actus non præceptos, inter quos eſt mors ſecundùm ſe præcisè conſiderata, ſecluſo præcepto. Ad exemplum de voluntate amante, dico quòd licèt ſtante actu amoris, voluntas poſſit velle negationem amoris ut abſtrahentem ab amore, non eſt verè ipſam poſſe non amare, quia ut voluntas poſſit verè non amare, oportet quòd in ſenſu compoſito & ſtante actu amoris, poſſit ab intrinſeco non amare objectum illud quod amat. Ratio eſt, quia libertas indifferentiæ quam actus meritorius exigit, requirit quòd voluntas, poſitis omnibus ad agendum requiſitis tam ex parte potentiæ, quàm ex parte objecti, ita eliciat actum, ut poſſit abſolutè & ſecundùm propriam virtutem non elicere illum, quamvis ratione alicujus motivi, extrinſecè nequeat illum non elicere; quod non ſervat Goneti modus conciliandi in Chriſto libertatem cum omnimoda impeccabilitate, cum nullo modo admittat in Chriſto potentiam non obediendi, aut non moriendi poſitis omnibus requiſitis ad morien-

moriendum aut obediendum, inter quæ est præceptum de ipsa morte subeunda.

Ad confirm nego paritatem, sive decretum sit antecedens, sive sit concomitans. Ratio disparitatis est, quia decretum Dei, ejusque executiva motio, libertatem humanam introrsùs ingreditur, sicque se accommodat modo voluntatis, hujusmodi decretum aut motionem exigentis, quia decretum Dei est causa totius futuritionis, & ab ipso dependet voluntas: At verò præceptum Dei mortem Christo imperans, non inclinat interiùs voluntatem, sed eam extrinsecè dirigit, nec attemperat se modo illius, imò modo suo attemperat voluntatem, cum obediens accommodet se, atque subjiciat voluntati imperantis aut imperio: ergo non valet paritas.

Dices; Christus non potuit non adimplere præceptum de morte subeunda pro salute generis humani à Patre ipsi impositum: ergo liberè tale præceptum non implevit, subindeque nec in ejus adimpletione meruit. Resp. distinguendo antecedens: Christus non potuit non obedire Patri secundùm potentiam physicam & essentialem voluntatis, nego; Secundùm potentiam moralem & proximè, concedo, & nego consequentiam; quia hæc libertas sufficit ad meritum, ut patet supra. Omitto quæstionem, in qua Gonetus quærit, *An operationes Christi Domini fuerint valoris meritorii simpliciter infiniti*; de qua constat in disput. de satisfactione Christi.

Quæres, an Christus sibi meruerit gratiam habitualem & gloriam essentialem animæ, vel saltem mereri potuerit, tametsi illas à primo instanti suæ conceptionis habuerit? Resp. negativè quoad 1. partem, & affirmativè quoad 2. Prob. Nullus actus in Christo præcessit gratiam habitualem nec beatitudinem, cùm à primo instanti conceptionis fuerit beatus: ergo &c. Prob. 2. pars: Anima Christi potuit divinitùs elicere aliquem actum, priorem natura

saltem

saltem actu beatifico, & per talem actum mereri actum beatificæ visionis, cùm habuisset omnes conditiones ad merendum de condigno gloriam essentialem: ergo de potentia absoluta Christus potuit mereri gloriam essentialem.

QUÆSTIO III.

An Christus gloriam sui corporis, suique nominis exaltationem sibi meruerit?

Dico breviter, quòd Christus gloriam sui corporis, suique nominis exaltationem sibi promeruit. Tum quia colligitur ex illo Apost. ad Philip. 2. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltavit illum & donavit illi nomen quod est super omne nomen.* Tum ex Psal. 109. *De torrente in via bibet*; id est in spatio vitæ suæ mortalis & transeuntis bibit aquam turbidam hujus torrentis, *Propterea exaltabit caput.* Tum ex illo Luc. 24. *Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* Tum quia opera Christi habebant omnes conditiones ad meritum requisitas in ordine ad gloriam corporis, suique nominis exaltationem, ut constat ex Apoc. *Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem & divinitatem, sapientiam, fortitudinem, honorem, gloriam & benedictionem*: ergo meruit gloriam sui corporis, honorem & exaltationem sui nominis: venit enim primò & principaliter propter nostram salutem, secundariò verò & minùs principaliter propter gloriam nominis sui, ait quidam Doctor.

Dices: Non sibi meruit gloriam essentialem animæ: ergo nec gloriam accidentalem corporis.

ris. Resp. negando consequentiam, quia habuit gloriam essentialem animæ ab initio conceptionis, & per modum proprietatis. *Dices*: Gloria corporis erat debita Christo ratione unionis hypostaticæ: ergo non meruit illam. Resp. negando conseq. Quia licèt sit debita Christo, cùm Christus non habuerit illam à principio conceptionis, ratione subtractionis concursus divini requisiti, ut gloria animæ transiret ad corpus, ut ait Gonet. potuit illam mereri; Filius enim regis, præclaris gestis imperio dignis, potest mereri regnum aliàs sibi hæreditario jure debitum.

Ex dictis *inferes* 1. contra Gonetum, Christum meruisse gloriam sui corporis verè & propriè, non autem directè, sed tantùm indirectè, id est, merendo ablationem impedimenti quo gloria animæ detinebatur & prohibebatur, ne redundaret in corpus: Quia gloria animæ Christi redundare debebat in corpus, & de facto redundasset, nisi speciali providentia fuisset suspensa, ut ait Delgadillo: ergo intentio Christi tendebat ad subtractionem concursus divini, qua detinebatur gloria: ergo meruit gloriam, quia priùs meruit amotionem illius subtractionis, & consequenter indirectè.

Inferes 2. Christum obtinuisse suis meritis judiciariam potestatem, regiam ac sacerdotalem dignitatem, & supremum rerum dominium; quia est possibile, & ducit ad excellentiam Christi. Meruit etiam dignitatem capitis; hæc pars est contra Gonetum, quia existimat dignitatem capitis competere Christo ratione gratiæ habitualis, ut suprà docuit; at cùm ex dictis constet dignitatem capitis compe ere Chr sto ex speciali institutione & electione Dei, inferendum est contra ipsum, Christum eam obtinuisse suis meritis.

Quæres, an Christus omnes effectus prædestinationis nobis meruerit? Resp. affirmativè. Tum quia

quia Christus meruit nobis omne illud, quod in nos influit; sed influit in nos gratiam, auxilia supernaturalia, cùm sit actu caput omnium fidelium: ergo. Tum quia sanguis ejus emundat nos ab omni peccato. Tum quia Deus benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.

Dices: Virtutes theologicæ, auxilia supernaturalia, &c. sunt effectus prædestinationis; sed Christus non meruit nobis fidem, nec spem, nec auxilia supernaturalia; quia venit, ut mereretur, quod Adam peccando, sibi & nobis amiserat: ergo non meruit nobis fidem, nec spem quæ in Adamo remanserunt. *Nego* minorem, ad cujus probationem dico, quòd Adam habuit fidem, spem, &c. ex meritis Christi prævisi ut glorificatoris, sicut Angeli, ut dictum est suprà disp. 12. quæst. 2. contra Thomistas. Vel dico, quòd Adam peccando amisit nobis fidem & dona supernaturalia, quæ in nos transfudisset, si non peccasset.



DISPUTATIO XVIII.

De servitute, oratione & Sacerdotio Christi.

IN hac disputatione examinanda sunt omnia quæ Christo Domino conveniunt per comparationem ad Patrem æternum.

QUÆ-

QUÆSTIO UNICA.

An Christus ut homo sit verè servus Dei An oraverit? An sit Sacerdos? & an potestatem regiam, non solùm spiritualem, sed etiam temporalem habuerit?

ADvertendum est, quòd servitus est quadruplex. Prima est *naturalis*, quæ omni creaturæ convenit respectu Dei, ut probat illud Sap. 16. *Tibi factori suo creatura deserviens.* Secunda est *legalis*, quæ à lege & non à natura est introducta. Tertia est *peccaminosa*, qua homo subjicitur peccato, aut diabolo, ut probat illud Joan. 10. *Qui facit peccatum, servus est peccati.* Quarta est *pœnalis*, qua homo obedit Deo, metu pœnæ subeundæ, ut probat illud Rom. 2. *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore.*

Dico 1. quòd Christus ut homo est verè & propriè servus Dei, tantùm servitute naturali. Tum quia Christus ut homo est sub potestate Dei, & omnes suas actiones, suosque labores in ejus obsequium tenetur impendere, titulo creationis & conservationis. Tum quia Deus, est Dominus omnium creaturarum: ergo Christus est servus Dei, non servitute legali, quia servitus legalis excludit amicitiam, jus ad hæreditatem Domini, & communicationem cum Domino in bonis & honore; nec servitute peccaminosa, quia peccatum non fecit; nec servitute pœnali, quia obediebat Deo propter Deum ipsum: ergo servitute naturali tantùm.

Dico 2. quòd Christus in hac vita mortali verè oravit, & nunc orat in cœlo. Tum quia Christus ut homo, erat subditus & servus Dei: ergo ipsi convenit orare Deum, ut probat illud Luc. 6. *Exiit in montem orare, & erat pernoctans*

quia Christus meruit nobis omne illud, quod in nos influit; sed influit in nos gratiam, auxilia supernaturalia, cùm sit actu caput omnium fidelium: ergo. Tum quia sanguis ejus emundat nos ab omni peccato. Tum quia Deus benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.

Dices: Virtutes theologicæ, auxilia supernaturalia, &c. sunt effectus prædestinationis; sed Christus non meruit nobis fidem, nec spem, nec auxilia supernaturalia; quia venit, ut mereretur, quod Adam peccando, sibi & nobis amiserat: ergo non meruit nobis fidem, nec spem quæ in Adamo remanserunt. *Nego* minorem, ad cujus probationem dico, quòd Adam habuit fidem, spem, &c. ex meritis Christi prævisi ut glorificatoris, sicut Angeli, ut dictum est suprà disp. 12. quæst. 2. contra Thomistas. Vel dico, quòd Adam peccando amisit nobis fidem & dona supernaturalia, quæ in nos transfudisset, si non peccasset.



DISPUTATIO XVIII.

De servitute, oratione & Sacerdotio Christi.

IN hac disputatione examinanda sunt omnia quæ Christo Domino conveniunt per comparationem ad Patrem æternum.

QUÆ-

QUÆSTIO UNICA.

An Christus ut homo sit verè servus Dei An oraverit? An sit Sacerdos? & an potestatem regiam, non solùm spiritualem, sed etiam temporalem habuerit?

ADvertendum est, quòd servitus est quadruplex. Prima est *naturalis*, quæ omni creaturæ convenit respectu Dei, ut probat illud Sap. 16. *Tibi factori suo creatura deserviens*. Secunda est *legalis*, quæ à lege & non à natura est introducta. Tertia est *peccaminosa*, qua homo subjicitur peccato, aut diabolo, ut probat illud Joan. 10. *Qui facit peccatum, servus est peccati*. Quarta est *pœnalis*, qua homo obedit Deo, metu pœnæ subeundæ, ut probat illud Rom. 2. *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore*.

Dico 1. quòd Christus ut homo est verè & propriè servus Dei, tantùm servitute naturali. Tum quia Christus ut homo est sub potestate Dei, & omnes suas actiones, suosque labores in ejus obsequium tenetur impendere, titulo creationis & conservationis. Tum quia Deus, est Dominus omnium creaturarum: ergo Christus est servus Dei, non servitute legali, quia servitus legalis excludit amicitiam, jus ad hæreditatem Domini, & communicationem cum Domino in bonis & honore; nec servitute peccaminosa, quia peccatum non fecit; nec servitute pœnali, quia obediebat Deo propter Deum ipsum: ergo servitute naturali tantùm.

Dico 2. quòd Christus in hac vita mortali verè oravit, & nunc orat in cœlo. Tum quia Christus ut homo, erat subditus & servus Dei: ergo ipsi convenit orare Deum, ut probat illud Luc. 6. *Exiit in montem orare, & erat pernoctans*


in oratione. Tum quia *Advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum justum*. Jon. 2. *Et semper vivens ad interpellandum pro nobis*: ergo orat in cœlo.

Dices 1. Mens Christi fuit Deo beatificè unita ab instanti conceptionis: ergo non potuit orare, cùm oratio sit elevatio mentis in Deum. 2. Christus habet omnem potestatem, ut probat illud Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*: ergo non orat, cùm oratio connotet potestatis carentiam. Resp. ad 1. mentem Christi potuisse ascendere in Deum per actus intellectus & volũtatis inferiores visione, per quos Deo sua desideria pro se vel pro aliis proponeret, ut ait Gonet. sicuti beati in cœlo simili modo pro nobis & seipsis orant. Ad 2. nego consequentiam, quia oratio includit eriam cultum quem Christus debebat Deo, qui cum potestate optimè compatitur, dum potestas est dependens ab alio supremo, qualis est Deus, à quo Christus suam accepit potestatem.

Dico 3. Quòd Christus ut homo, fuit verè & propriè sacerdos, & habuit jus regium directum seu temporale, & potestatem in totum universum excellenti quodam modo. Patet 1. pars. Tum quia ordinatus fuit ad sacrificandum & orandum pro delictis & peccatis populi; *Tradidit* enim *semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo*. Tum quia fuit verè mediator inter Deum & homines, *Vnus mediator Dei & hominum homo Iesus Christus*, ait Apost. 1. ad Timot. 2. Tum quia est caput Ecclesiæ. Patet etiam 2. pars. Tum quia in sacra Scriptura dicitur Rex regum & Dominus dominantium Apoc. 9. & Act. omnium Dominus. Tum quia data est ei omnis potestas in cœlo & in terra: Matth. ultimo. Tum quia Deus omnia subjecit sub pedibus ejus: Psal. 8.

Dices; Joan. 18. habetur Christum dixisse, *Regnum meum non est de hoc mundo*. Resp. Hoc esse

esse intelligendum quoad exertitium, non verò quoad potestatis jus: noluit enim uti potestate regia quam habebat, quia venerat in alium finem, *Filius hominis* (inquit Matth. 20.) *non venit ministrari, sed ministrare; & dare animam suam, redemptionem pro multis*. *Dices*: ergo illa potestas fuit otiosa & inutilis. *Nego*, quia fuit heroica humilitatis virtus non uti dominio: ergo non fuit otiosa nec inutilis, quia conducit ad excellentiam Christi.



DISPUTATIO XIX.

De adoptione & prædestinatione Christi.

IN unam disputationem duas confundere, consentaneum judicavi propter utriusque brevitatem; unde sit

QUÆSTIO I.

An Christus in quantùm homo, sit Filius adoptivus Dei?

SUppono tamquam certum apud omnes, adoptionem sic deffiniri, *Gratuita & liberalis assumptio extraneæ personæ ad hæreditatem*; unde examinandum est, an hæc definitio conveniat humanitati Christi, seu an sit extranea?

Dico igitur, quòd Christus ut homo non debet dici Filius Dei adoptivus. Hæc conclusio est Scoti in 3. dist. q. unica, quem sequuntur Ma-

strius, Poncius, Frassen, Boyvin & alii. Prob. 1. Si Christus ut homo esset Filius Dei adoptivus, necessariò non esset Filius proprius; cùm Filius adoptivus & proprius sint diversi, ut patet ex Epist. Conc. Francof. ad Episcopos Hispaniæ, pag. 153. colum. 2. ubi habetur, *Adoptivus siquidem non habet aliam significationem, nisi ut Iesus Christus non sit proprius Filius Dei; quia adoptio non est, nisi charitatis copulatio, qua Pater adoptione sibi copulat Filium, quem proprium non habebat*; sed Christus ut homo appellatur Filius proprius: proprio enim Filio non pepercit, ait Paulus ad Rom. 8. ubi Adrianus Pontifex sic loquitur: *Nam si proprium appellat, quomodo erit adoptivus?* ergo Christus ut homo, non est Filius adoptivus Dei. *Deinde*, Christus loquens de Deo Patre, ait, *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum*; ex quibus verbis infert idem Pontifex, Christum non esse Filium Dei, filiatione qua Apostoli erant Filii Dei; aliàs dixisset, *Ascendo ad Patrem nostrum*, quoniam erat homo sicut Apostoli; sed Apostoli erant Filii adoptionis, ut fatetur Paulus ad Rom. 8. ergo Christus non est Filius adoptivus Dei.

Prob. 2. Ille qui adoptatur, debet esse extraneus adoptanti, & alienus ante adoptionem, ut patet ex definitione; sed Christus quatenus homo, nunquam fuit Deo Patri extraneus, & absque jure ad hæreditatem Dei: ergo non potuit adoptari. Prob. minor 1. Humanitas seu homo non potest adoptari, nec propriè dici extraneus, aut in carentia juris ad hæreditatem, antecedenter ad subsistentiam & ultimum complementum naturæ, seu antequàm subsistat & sit omninò completus; subindeque adoptio quæ est assumptio personæ, sequitur naturam personatam, cùm sit assumptio ad hæreditatis fruitionem, & fruitio sit operatio, quæ à supposito provenit; sed humanitas Christi

sti subsistit, & ultimò completur per subsistentiam divinam: ergo non potest concipi ut extranea, nec in carentia juris ad hæreditatem Dei, cùm per illam subsistentiam sit Deo substantialiter conjuncta, & per communicationem idiomatum habuerit quidquid Verbum divinum habet, antequàm contraxisset carentiam juris, si propria subsistentia subsistere debuisset, & priusquàm dicenda fuisse extranea & aliena à Deo. 2. Gratia adoptionis nullum jus supponit in subjecto quod ad hæreditatem adoptat, ut patet, cùm gratia adoptionis det primum jus ad hæreditatem: sed gratia habitualis, per quam homo acquirit formaliter jus ad hæreditatem Dei, supponit in Christo jus ad gloriam: supponit enim, ut patet ex dictis cum Doctore, humanitatem subsistentem & unitam Verbo: ergo non dat ei jus, subindeque non est forma adoptans Christũ, nec extraneum aut alienum reperiens. 3. Ille qui est adoptandus, oportet, quòd ex vi generationis suæ, nihil habeat, quod sit à Patre, nec quòd habeat concomitanter aut de congruo jus hæreditandi; sed humanitas Christi, seu Christus ut homo ex vi generationis suæ habet suppositum, quod est à Patre & divinum; aliàs B. Virgo non esset mater Filii Dei, & habet concomitanter & de congruo jus hæreditandi, quia unio hypostatica est fundamentaliter & radicaliter sanctitas & jus ad gloriam.

Dices 1. Extraneitas ad adoptionem requisita, per gratiam habitualem dumtaxat tolli potest; sed Christus fuit priùs subsistens & existens, quàm gratia habituali illustratus: ergo fuit extraneus, & consequenter per gratiam adoptatus. Resp. negando majorem, quia extraneitas potest etiam tolli per physicam & realem conjunctionem, & unitatem suppositi & personæ cum Filio Dei; unde licèt infusio gratiæ supponat humanitatem existentem & subsistentem; tamen non supponit ipsam extraneam & alienam,

O 3 quia

quia per unionem qua subsistit & existit in Verbo, unitur realiter cum Deo. *Instabis*, Contritio unit hominem cum Deo, qua nonobstante homo est extraneus & per gratiam adoptatur: ergo licèt per unionem uniatur, est etiam extraneus, donec per gratiam conjungatur Deo. *Resp.* negando paritatem, quia contritio non unit substantialiter, formaliter, mutuò & physicè hominem cum Deo, sicut facit unio hypostatica: ergo contritio non excludit extraneitatem, sicut unio hypostatica.

Dices 2. Gratia habitualis Christi est ejusdem speciei cum nostra: ergo ponit in Christo jus ad gloriam sicut in nobis. Prob. consequentia: Gratia non potest esse in subjecto, quin ipsi communicet suum effectum formalem, qui nihil aliud est quàm ipsa forma communicata subjecto: ergo communicat Christo eumdem effectum quem communicat nobis. Resp. negando consequentiam, quia gratia habitualis non confert jus adoptionis ex vi formalitatis gratiæ, sed ex diversis præsuppositis & connotatis, scilicet ex connotato extraneitatis; unde cùm in Christo non connotet extraneitatem, sicut in homine, sequitur, quòd non adoptat Christum sicut homines. Ad prob. nego consequentiam, quia gratia ex sua ratione formali non est forma adæquata constituens filiationem adoptivam; exigit prætereà extraneitatem, sicut v.g. comestio, ut sit forma adæquata constituens cœnam, requirit connotationem temporis vespertini: ergo gratia licèt sit in Christo sicut in nobis, tamen in ipso non est forma adoptans, sicut in nobis, ex defectu extraneitatis.

Dices 3. D. Hilar. 2. de Trinit. ait, *Potestatis divinitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur*. Ad Rom. 1. *Christus prædestinatus est Filius Dei*, quod non potest intelligi nisi de Filio adoptionis: ergo Christus ut homo, est

Filius

Filius Dei adoptivus. Resp. ad 1. D. Hilarium locutum fuisse de adoptione latè sumpta, quæ pro quacumque assumptione voluntaria & gratuita sumitur; unde cùm humanitas sit assumpta à Verbo, dicitur adoptata; non verò in proprio sensu, in quo sumitur à juristis. Ad 2. resp. nego consequentiam, quia hoc potest intelligi de Filio naturali, in sensu in sequenti conclusione explicando.

Dico 2. quòd Christus in quantùm homo, per gratiam unionis est Filius Dei naturalis formaliter, Ly *in quantùm* determinante in recto, non naturam, sed suppositum ut in illa subsistens; non reduplicativè, sed specificativè. Prob. ex illo Luc. 1. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*; sed non vocabitur Filius Dei adoptivus, ut probat prima conclusio: ergo naturalis: sed non naturalis reduplicativè, seu quatenùs homo & reduplicat humanitatem. Tum quia homo sic sumptus, non procedit à Deo in similitudinem naturæ. Tum quia si in hoc sensu esset Filius naturalis, esset unum & idem ens cum Patre, quod est falsum: ergo est Filius naturalis specificativè sumptus, id est, Christus in quantùm homo subsistens subsistentia Verbi, est Filius naturalis Dei, & prout Ly *naturalis* opponitur *adoptivo* & idem est ac *Filius proprius*: Ideoque Christus adorandus est adoratione latriæ, ut docent omnes Theologi; Filius enim Dei est: ergo cultu quem Deo exhibemus, adorandus est.

Ratio hujus adorationis exhibendæ est, quia Christus quatenus Deus homo debet unica adoratione adorari, ita ut ejus humanitas prout hypostaticè unita verbo divino, adoranda sit eadem adoratione latriæ, qua ejus divinitas & subsistentia divina adorantur, ut asserit Scotus in 3. dist. 9. quæst. unica §. *de tertio articulo*. Nec valet dicere Christum esse minorem Patre secundùm humanitatem, & consequenter non

esse adorandum adoratione latriæ qua adoratur Deus, non valet, inquam, quia adoratur quatenus est Deus homo, & prout humanitas est subsistens persona divina, quæ non habet conceptum minoritatis.

QUÆSTIO II.

Quisnam sit terminus primarius & principalis prædestinationis Christi?

DIco, quòd beatitudo, seu gloria animæ Christi, est primarius & principalis terminus prædestinationis Christi; & filiatio Dei naturalis, est terminus secundarius & minùs principalis. Prob. Humanitas Christi fuit priùs prædestinata ad summam gloriam, quàm ad unionem hypostaticam, per quam ex Goneto, Christus est Filius Dei naturalis: ergo gloria, non verò filiatio Dei naturalis, est terminus primarius & principalis prædestinationis Christi, seu id ad quod primariò prædestinatus est. Consequentia patet. Prob. antecedens: Ordo executionis est contrarius ordini intentionis, ut probat hoc axioma, *Quæ sunt priora in intentione, sunt posteriora in executione*; sed in executione, humanitas fuit priùs unita hypostaticè Verbo, quàm sanctificata gratia; & priùs sanctificata gratia, quàm beata: ergo id ad quod primariò & principaliter fuit prædestinata à Deo humanitas, est ejus gloria; & filiatio Dei naturalis, est terminus secundarius. 2. In prædestinatione aliorum hominum, in sententia Goneti, ut patet in 1. tom. gloria est terminus primarius & principalis; & filiatio Dei adoptiva quæ fit per gratiam, est terminus

secun-

ſecundarius & minùs principalis; prædeſtinatio enim (inquit) fit ante prævisa merita: ergo Chriſtus fuit etiam priùs prædeſtinatus ad gloriam, quàm ad unionem & filiationem Dei naturalem.

Inſtare poſſet Gonetus: ergo cùm ut patet ex dictis in 1. tom. prædeſtinatio hominum fiat poſt prævisa merita, oportet, quòd Chriſtus ſit priùs prędeſtinatus ad filiationem Dei naturalem, quàm ad gloriam. Reſp. negando inſtantiam & paritatem. Ratio eſt, quia in nobis gloria eſt præmium & corona, in Chriſto autem quoniam Filius naturalis Dei eſt, non habet rationem præmii nec coronæ, ſed hæreditatis: ergo poteſt intendi in Chriſto priuſquam filiatio, & quàm omne id quo eſt ſanctus, cùm inter dona & beneficia, majus & nobilius priùs intendatur; at in nobis cùm ſit præmium, non poteſt intendi niſi ex cognitione filiationis adoptivæ & gratiæ.

Quæres, quot modis prædeſtinatio Chriſti ſit cauſa noſtræ prædiſtinationis? Reſp. eſſe cauſam in triplici genere cauſæ, ut ait Gonet. nimirum in genere cauſæ finalis, ut probat illud ad Epheſ. 1. *Prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum, in ipſum*; exemplaris, ut probat illud Apoſt. *Quos præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imagini Filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*; & in genere cauſæ meritoriæ, ipſe enim eſt, *Qui lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo*, ut ait Joan. Tandem, hæc reſponſio patet in Conc. Trident. pluribus in locis, & ſuadetur ratione, cùm conſtet Chriſtum eſſe finem, exemplar & caput prædeſtinatorum.

Obj. 1. Gonetus: Colligitur ex variis locis Scripturæ, præſertim ex illo ad Rom. 1. *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei*, quibus verbis explicat præcipuũ terminum prædeſtinationis Chriſti & principaliter intenſum, nimirum filiatio-

O 5 nem

nem Dei naturalem: Unde Aug. lib. de prædest. SS. cap. 15. ex illis verbis Apost. sic infert, *Prædestinatus ergo Iesus, ut qui futurus erat secundùm carnem Filius David, esset tamen in virtute Filius Dei;* subindeque censet Christum ut Filium David, quod est idem ac Christum ut hominem, fuisse prædestinatum ut esset Filius Dei naturalis. Subdit Apostolus, *Secundùm spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum*, ut declaret terminum secundarium ad quem prædestinatus est Christus, ut nimirum sit sanctus & sanctificator aliorum, & gloriam resurrectionis per sua merita acquirat. Item Joan. 1. explicatur terminus primarius prædestinationis Christi, cùm dicitur, *Et Verbum caro factum est*; secundarius verò cùm subditur, *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.*

Resp. Verba Apostoli, D. Augustini, & Evangelistæ intelligenda esse de prædestinatione Christi in ordine executionis, non verò in ordine intensionis, ut est quæstio, ut consideranti patebit: verum enim est, quòd homo in executione priùs prædestinatus est Filius Dei, quàm beatus, quia unio hypostatica, ratione cujus Christus est Filius Dei, præcedit visionem Dei. Omitto rationem qua probat contra Durandum, Lorcam & Ysambertum, Christum esse prestestinatum propriè loquendo ad filiationem Dei naturalem, quia ut ipse fatetur non impugnat Scotum.

Oj. 2. Ille dicitur terminus primarius & principalis prædestinationis Christi, qui fuit primò & principaliter intentus, & subsecutus ex ejus prædestinatione; sed filiatio Dei naturalis sic se habet: ergo &c.

Confirm. Unio ad Deum secundùm esse, quæ præstatur à gratia unionis, perfectior est unione ad Deum secundùm operationem, in qua con-

consistit beatitudo; sed quod excellentius est, ad inferius ut ad finem non ordinatur: ergo humanitas Christi non fuit ordinata ad unionem hypostaticam ut medium, & ad beatitudinem ut finem; sed contra, beatitudo ut fini subordinatur unioni hypostaticæ, & consequenter non fuit prædestinata ad beatitudinem ut finem & terminum principalem, sed ad filiationem naturalem Dei.

Resp. negando minorem, quia unio hypostatica ordinatur ad visionem Dei qua Christus videt divinam essentiam, subindeque est id, quod est primò & principaliter intentum, & ultimò in executione subsecutum, licèt unio hypostatica sit ens divinum per essentiam seu per substantiam, & visio participativè: hoc enim non obstat, quia visio & unio intenduntur & subsequuntur secundùm proprium & debitum ordinem; unde cùm visio habeat rationem finis, & unio rationem medii ad ipsum finem, in intentione visio præcedit unionem. Ad confirm. Resp. cum Delgadillo tract. de Incarn. diff. 6. dub. 2. negando majorem.

QUÆSTIO III.

An Christus meruerit prædestinationem nostram, ut est comparativa, & electio unius præ alio?

PRædestinatio nostra dupliciter considerari potest. 1. quatenus est dilectio. 2. quatenus est electio unius ad gloriam præ alio; unde hìc discutiendum est, an Christus meruerit electionem illam, id est, an meruerit prædestinationem, prout dicit electionem Petri, v. g. comparativè ad Judam reprobum? Gonet. credit;

Scotum negativam docuisse sententiam; aliter tamen sentiunt Poncius, Delgadillo, Felix & alii recentiores contra aliquos Scotistas, quos citat & sequitur Mastrius.

Dico igitur Christum meruisse prædestinationem nostram sub ratione electionis consideratam. Prob. 1. Christus meruit Angelis gratiam & gloriam essentialem, ut dictum est suprà: ergo meruit etiam electionem nostram ad gloriam. 2. Meritum Christi est omnis spiritualis boni fons & caput: *Vocavit* enim *nos vocatione sua sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm gratiam quæ data est nobis in Christo Iesu*, 2. ad Timot. 1. Aliàs sequeretur, quòd electi & prædestinati, in electione sese jactare possent: ergo est causa meritoria prædestinationis nostræ, etiam prout est comparativa & electio unius præ alio. 3. Merita Christi fuerunt prævisa ante prædestinationem hominum, ut est comparativa & electio unius præ alio. Tum quia Christus est omnium prædestinatorum primus. Tum quia ex Doctore, fuit prævisus in primo signo: ergo potuit Deus propter illa merita prædestinare ad gloriam illos homines quos prædestinavit, & consequenter de facto eos propter Christi merita prędestinavit. Tum quia proposuit Deus omnia, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt, restaurare in Christo. Tũ quia conducit ad majorem excellentiã & dignitatẽ Christi.

Prob. denique: Si prædestinatio Petri v. g. prout est electio ejusdem præ alio, nimirum Juda, non dependeret à meritis Christi prævisis, sequeretur 1. quòd Petrus salvus factus fuisset, etiam si Christus non venisset; sed hoc est falsum: Christus enim venit necessariò salvum facere genus humanum, ut colligitur ex SS. Patribus: ergo & illud, unde sequitur. Prob. major: Nam decretum quo Deus prædestinavit Petrum, & ipsum elegit præ alio, à meritis Christi independens, fuisset irrevo-

cabi-

cabile, infallibile & efficax: ergo etiam si Christus non venisset, executioni demandatum fuisset. 2. Quòd Christus non esset causa efficiens meritoria prædestinationis nostræ, ut patet; sed hoc est falsum: *Benedixit* enim *nos omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo*, ut ait Paulus ad Ephes. 1. ergo meruit nobis prædestinationem & electionem ad gloriam, quod verum esse probat ipsemet Christus dicens Joan. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*, quæ verba de electione ad gloriam intelligunt expositores, & præsertim August. lib. de prædest. SS. cap. 19. ubi sic concludit: *Ergo illos elegit ad obtinendum regnum suum*.

Dices 1. Prædestinatio electorum revocatur in divinam voluntatem, & appellatur in sacra Scriptura opus misericordiæ, *Prædestinavit* enim *nos secundùm propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ*, ait Apost. ad Ephes. 1. ergo non dependet à meritis Christi. Resp. 1. Voluntatem Dei fuisse motam & incitatam per electorum merita, ut probatum manet in 1. tom. ubi dictum fuit prædestinationem fieri ex prævisis meritis. Resp. 2. negando consequentiam, quia prędestinatio ad gloriam à SS. Patribus gratuita dicitur, & opus misericordiæ respectu electorum, non verò respectu Christi, propter cujus merita Deus eos prædestinavit.

Dices 2. Joan. 17. habetur Christum dixisse Deo Patri: *Rogo pro eis quos dedisti mihi, Pater sancte serva eos quos dedisti mihi, quos dedisti mihi custodivi*, quo loquendi modo (inquit Mastrius) significatur acquisitionem illorum non fuisse promeritam quoad primam voluntatem dandi illos Christo, alioquin dici non possent à Patre Christo donati: ergo. Resp. negando consequentiam; nam Christus meruit exaltationem nominis sui, ut fatetur Mastrius, nihilominùs Paulus ait, *Christus humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, prop-*

ter

Scotum negativam docuisse sententiam; aliter tamen sentiunt Poncius, Delgadillo, Felix & alii recentiores contra aliquos Scotistas, quos citat & sequitur Mastrius.

Dico igitur Christum meruisse prædestinationem nostram sub ratione electionis consideratam. Prob. 1. Christus meruit Angelis gratiam & gloriam essentialem, ut dictum est suprà: ergo meruit etiam electionem nostram ad gloriam. 2. Meritum Christi est omnis spiritualis boni fons & caput: *Vocavit* enim *nos vocatione sua sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm gratiam quæ data est nobis in Christo Jesu*, 2. ad Timot. 1. Aliàs sequeretur, quòd electi & prædestinati, in electione sese jactare possent: ergo est causa meritoria prædestinationis nostræ, etiam prout est comparativa & electio unius præ alio. 3. Merita Christi fuerunt prævisa ante prædestinationem hominum, ut est comparativa & electio unius præ alio. Tum quia Christus est omnium prædestinatorum primus. Tum quia ex Doctore, fuit prævisus in primo signo: ergo potuit Deus propter illa merita prædestinare ad gloriam illos homines quos prædestinavit, & consequenter de facto eos propter Christi merita prędestinavit. Tum quia proposuit Deus omnia, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt, restaurare in Christo. Tũ quia conducit ad majorem excellentiã & dignitatẽ Christi.

Prob. denique: Si prædestinatio Petri v. g. prout est electio ejusdem præ alio, nimirum Juda, non dependeret à meritis Christi prævisis, sequeretur 1. quòd Petrus salvus factus fuisset, etiam si Christus non venisset; sed hoc est falsum: Christus enim venit necessariò salvum facere genus humanum, ut colligitur ex SS. Patribus: ergo & illud, unde sequitur. Prob. major: Nam decretum quo Deus prædestinavit Petrum, & ipsum elegit præ alio, à meritis Christi independens, fuisset irrevo-

cabi-

cabile, infallibile & efficax: ergo etiam si Christus non venisset, executioni demandatum fuisset. 2. Quòd Christus non esset causa efficiens meritoria prædestinationis nostræ, ut patet; sed hoc est falsum: *Benedixit* enim *nos omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo*, ut ait Paulus ad Ephes. 1. ergo meruit nobis prædestinationem & electionem ad gloriam, quod verum esse probat ipsemet Christus dicens Joan. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*, quæ verba de electione ad gloriam intelligunt expositores, & præsertim August. lib. de prædest. SS. cap. 19. ubi sic concludit: *Ergo illos elegit ad obtinendum regnum suum*.

Dices 1. Prædestinatio electorum revocatur in divinam voluntatem, & appellatur in sacra Scriptura opus misericordiæ, *Prædestinavit* enim *nos secundùm propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ*, ait Apost. ad Ephes. 1. ergo non dependet à meritis Christi. Resp. 1. Voluntatem Dei fuisse motam & incitatam per electorum merita, ut probatum manet in 1. tom. ubi dictum fuit prædestinationem fieri ex prævisis meritis. Resp. 2. negando consequentiam, quia prędestinatio ad gloriam à SS. Patribus gratuita dicitur, & opus misericordiæ respectu electorum, non verò respectu Christi, propter cujus merita Deus eos prædestinavit.

Dices 2. Joan. 17. habetur Christum dixisse Deo Patri: *Rogo pro eis quos dedisti mihi, Pater sancte serva eos quos dedisti mihi, quos dedisti mihi custodivi*, quo loquendi modo (inquit Mastrius) significatur acquisitionem illorum non fuisse promeritam quoad primam voluntatem dandi illos Christo, alioquin dici non possent à Patre Christo donati: ergo. Resp. negando consequentiam; nam Christus meruit exaltationem nominis sui, ut fatetur Mastrius, nihilominùs Paulus ait, *Christus humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, prop-*

ter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen: ergo prædestinati possunt dici Christo donati, quamvis sint acquisiti.

Dices 3. Prædestinati fuerunt electi antecedenter ad prævisionem Passionis ac meritorum Christi; nam ut ex suprà dictis cum Doctore constat, si Adam non peccasset, Christus venisset: quia erat caput prædestinatorum & primogenitus, quod probat prædistinationem nostram præcedere prævisionem peccati & Passionis: ergo electi fuerunt prędestinati antecedenter, idcircò independenter à meritis Christi. Resp. argumentum supponere omnia Christi merita à Passione illius dependere, quod est falsum, qnia meruit per actus dilectionis à Passione independentes, ut patet ex dictis suprà: Unde neganda est consequentia, quia licèt prædestinati fuerint antecedenter ad pręvisionem Passionis Christi & meritorum ejusdem in carne passibili, non fuerunt prædestinati antecędenter ad prævisionem meritorum Christi absolutè nec meritorum Christi glorificatoris, sub quo titulo, ex Doctore, venisset, etiamsi Adamus non peccasset.

Ad meritum condignum, seu ad merendum de condigno non est necesse pati aut mori, nec habere carnem passibilem; sed sufficit elicere aliquod opus bonum, honestum, in gratia sanctificante propter Deum, ut patet ex definitione meriti in proprio loco tradita, & ex conditionibus ad merendum requisitis, inter quas non reperitur hæc de carne passibili, nec de morte subeunda: ergo Christus ut glorificator prævisus, atque ut eliciens sub hoc titulo actus dilectionis & amoris, quos elicuisset, etiamsi venisset in carne impassibili, potuit mereri nostram prædestinationem, ut est comparativa & electio unius præ alio; quamvis prædestinati fuerint electi antecedenter ad pręvisionem passionis ac meritorum Christi ut redemptoris & in carne passibili. Probatur

batur consequentia: nam ad Eph.1. legitur, *Elegit nos in ipso*, id est Christo, *ante mundi constitutionem*: Igitur sine Christo Deus non elegisset nos, idcircò electio nostra pendet à Christo, non ut à Christo redemptore, ut tradit objectio; ergo ut à Christo glorificatore, alioquin Deus non elegisset nos in Christo, quod est contra Apostolum. Christum esse causam nostræ prædestinationis, clarè demonstrant authoritates, & præsertim ista, quæ est act.4. vers.12. *Et non est in alio aliquo salus, nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*: quibus verbis suadetur merita Christi prædestinati & prævisi, esse causam prædestinationis & salutis hominum.






TRACTATUS II.

De Sacramentis in communi.

EXAMINATIS omnibus quæ more ſcholaſtico de gratia & de Chriſto Domino dicuntur, modò agendum eſt de Sacramentis; cùm nedùm ſint uberrimi gratiæ rivi & fontes Salvatoris, in hoc cantico Iſajæ; *Haurietis aquas de fontibus Salvatoris*, prænuntiati; ſed etiam illa cœleſtis medicina omnibus hominibus à Chriſto præparata, ut ait Scotus noſter in 4. diſt. 1. litt. A. *Samaritanus ille piiſſimus, ſpoliatum videns hominem & attrociter ſauciatum, miſerationis affectu compatiens, medicinam attulit efficacem, qua curatis ipſius vulneribus, ac plena reddita ſanitate, in ſui principium, à quo deſcendens ab Ieruſalem deviaverat, finaliter reducatur.* Unde ſit



DISPUTATIO I.

De eſſentia Sacramenti.

PRiuſquàm ad Sacramentorum numerum, effectus & inſtitutorem deveniamus, de eſſentia Sacramenti ſecundùm ſe ſumpti, agendum eſt.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An solùm in genere signi, vel etiam in genere causæ, Sacramentum in communi debeat constitui?

IN hac quæstione explicanda est, propria definitione, Sacramenti natura; sed priùs sciendum est, hoc nomen *Sacramentum* diversimodè usurpari. Apud Priscos Latinos sumebatur olim pro pecunia quam litigantes apud summum Pontificem deponebant, ut qui causa caderet, pro lite injustè suscepta, ea pecunia mulctaretur, ut constat ex Cicerone Orat. pro Milone. Apud Jurisperitos usurpatur pro juramento, ut patet ex Tertul. lib. de Idolatr. cap. 19. In Scriptura verò sumitur pro occulto mentis secreto seu mysterio, ut colligitur ex illo Tob. 12. *Sacramentum Regis abscondere bonum est*, ubi Græcè habetur, *Mysterium Regis abscondere bonum est*, & Vulgata Latina, *Sacramentum Regis abscondere bonum est*. Tandem apud Patres, Concilia & Theologos, hoc nomen *Sacramentum* sumitur pro signo sensibili rei latentis & occultæ, ut infertur ex Apost. ad Ephes. 5. ubi matrimonium appellat Sacramentum, quia est signum sensibile latentis conjunctionis Christi cum Ecclesia; *Sacramentum hoc* (inquit) *magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia*. Unde D. August. D. Bern. & alii dicunt Sacramentum esse sacrum signum. Hinc constat Sacramentum non esse in genere causæ, loquendo de causa strictè sumpta pro causa physica efficiente, sed formaliter signum.

Dico igitur Sacramentum sic definiri, *Signum sensibile gratiam Dei, vel effectum ejus gratuitum, ex institutione divina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris*.

Ita Doctor in 4. dist. 1. quæst. 2. §. *de tertio principali*. Prob. Illa definitio est vera & propria, quæ convenit soli definito, ut dicunt Philosophi; sed hęc definitio convenit Sacramento dumtaxat: ergo est vera & propria. Prob. minor explicatione singularum illius particularum: Dicitur *signum*, ut conveniat veluti per genus cum aliis signis quæ Sacramenta non sunt. Dicitur *sensibile*, quia debet inducere hominem, qui tantùm per sensus in cognitionem ducitur, ad notitiam rei spiritualis, nempe gratiæ sanctificantis. Dicitur *gratiam Dei efficaciter significans*, ut distinguatur ab aliis signis, quæ non causant id quod significant, nec sunt ejus instrumentalis causa, sed solùm demonstrant & indigitant. Dicitur *vel effectum ejus gratuitum*, ut definitio conveniat sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, quod non significat gratiam inhærentem & accidentalem, sed gratiam per se subsistentem, putà corpus Christi. Dicitur *ex institutione divina*, ad insinuandum 1. Sacramentum infallibiliter causare gratiam, modò persona suscipiens sit disposita. 2. A solo Deo incarnato fuisse institutum: Unde hæc Christi verba ad Magdalenam *Remittuntur tibi peccata tua*, non sunt verè Sacramentum, quia non fuerunt ab eo instituta ad significandam gratiam in Ecclesia Dei. Dicitur tandem *ordinatum ad salutem hominis viatoris*. Tum quia Sacramenta sunt fontes aquæ salientis in vitam æternam, ad quam tendit homo viator dumtaxat. Tum quia sunt medicinæ, solis ægris necessariæ; sed omnia hæc dicuntur tantùm de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctione, Ordine & Matrimonio: ergo definitio tradita competit omni & soli Sacramento.

Dices 1. Si Sacramentum esset signum sensibile, vel esset naturale, vel ad placitum? sed non est naturale; aliàs non significaret gratiam quæ super-

supernaturalis est; nec ad placitum, quia signum ad placitum, est ens rationis: ergo Sacramentum non est signum sensibile. Resp. negando minorem quantùm ad 2. partem. Ad cujus prob. dico cum Doctore in 4. dist. 1. quæst. 2. Sacramentum pro formali esse ens rationis, licèt absolutè loquendo, ens reale dicendum sit, quia est reale fundamentaliter & materialiter: nam relatio signi ad significatum in qua consistit, non est realis, sed rationis, cùm signum sit ex instituto: ergo Sacramentum pro formali non est reale; sed tantùm pro materiali & fundamentali. *Instabis*: ergo Sacramentum pro formali, est opus intellectus humani. Resp negando instantiam, quia dantur entia rationis quæ sunt actu independenter ab intellectu humano, & resultant ex sola positione fundamenti & termini, ut v. g. relatio creatoris ad creaturam, Civitas, Respublica &c. quæ formaliter sunt entia rationis, independenter ab intellectus operatione.

Dices 2. Sacramentum non est unum ens per se, sed per accidens: ergo non potest definiri, cùm definitio solùm enti quod est unum per se, competat. Resp. negando consequentiam, quia definitio competit enti quod est unum per se in genere moris, & logicè, sicut enti quod est unum per se, physicè aut metaphysicè: Unde cùm Sacramentum sit unum per se in genere moris & logicè, licèt physicè sit unum per accidens, est definibile: nam relatio apud Philosophos definitur, quamvis fundamentum & terminum involvat: ergò Sacramentum potest etiam definiri, quamvis essentialiter dicat relationem signi ad significatum. *Instabis*: ergo Sacramentum reponitur in aliquo prædicamento, sicut cætera quæ sunt unum per se. Resp. negando instantiam, quia in prædicamento collocantur tantùm ea quæ sunt unum per se reale & physicum, non verò id quod est unum

per

per se in genere moris aut logicè, & artificiosum, quale est Sacramentum, quod constituitur ex rebus & verbis, intentione tantùm unitis.

Ex dictis *Inferes* 1. Sacramentum esse signum practicum gratiæ, cùm habeat vim causandi gratiam & remittendi peccata, & sit signum faciendi, quod significat, ut suadet illud Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. In quo Sacramenta novæ legis distinguuntur à Sacramentis veteris legis, quæ non habebant vim causandi gratiam, sed eam solùm per Passionem Christi dandam esse figurabant. 2. Inanes esse ac omninò rejiciendas omnes definitiones, quibus Lutherani & Calvinistæ Sacramenta definire solent; dicunt enim non minùs impiè, quàm stolidè, Sacramenta non esse signa practica, nec effectiva gratiæ quæ suscipientes sanctificat, sed tantùm signa externa & notas Christianæ professionis, quibus à Judæis, Turcis & Paganis discernimur; quod falsum esse, ex dictis infertur.

Prætereà: Sacramenta sunt instituta ad erudiendos homines obcæcatos, ut notat divus Bonaventura, humano more, atque adeò sensibiliter & practicè, scilicet causando gratiam sanctificantem, qua homo eam suscipiens adoptatur, seu assumitur ad æternam hæreditatem: Christus enim ipsa Sacramenta instituens, nullum alium habuit finem, nisi nostram salutem & justificationem, quæ fieri nequit sine aliqua mutatione intrinseca, ut homo de peccatore fieret justus; quæ quidem mutatio fieri non potest nisi per formam de novo advenientem per Sacramentorum collationem seu per gratiam animæ inhærentem. Undè cùm erudire sensibiliter moreque humano, & mutare intrinsecè, à signis practicis procedant; sequitur, quòd Sacramenta novæ legis sunt signa practica gratiæ: frustranea certò esset Sacramentorum institutio,

si Christus solùm intendisset instituere signa externa & notas Christianæ professionis, quibus à Judæis, Turcis & Paganis discernimur, quia Sacramenta non remanent visibiliter in suscipientibus, ut eos distinguant; qua de causa necesse est ipsa esse signa gratiæ practica, ejusque sub genere instrumenti operativa.

QUÆSTIO II.

Cujus rei sacræ Sacramentum sit signum, & an sit signum unius rei tantum?

ADvertendum est sanctitatem, quæ est sacramenti signum, dupliciter sumi posse, perfectè scilicet & imperfectè. Sanctitas imperfecta, est externa & legalis. Perfecta, est interna & inhærens animæ. Sanctitas perfecta & interna consistit in immunitate à peccato, & rectitudine voluntatis. Sanctitas verò legalis, aut imperfecta & externa, in veteri lege non reddebat hominem intrinsecè sanctum, nec à peccato purum; sed tantùm tollebat ab ipso immunditiam, quam per tactum mortui, aut per alios modos contraxerant; unde sanctitas legalis est tantùm sanctitas exterior corporis quam legalia conferebant, ut sanctificati possent ingredi templum, admitti ad sacrificium, & cum aliis sine legis transgressione conversari.

Dico igitur 1. de ratione Sacramenti esse significare perfectam sanctitatem, quæ est per gratiam. Ita definitum est in Trid. sess. 7. can. 6. his verbis, *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam, non ponentibus obicem non confer-*

ferre, quasi signa tantùm externa sint, accepta per fidem gratiæ vel justitiæ, & nota quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit. Prob. Tum quia sanctitas est perfecta animæ sanitas, peccatum verò ejusdem infirmitas, ut apud Patres cautum est; sed Sacramentum significat perfectam animæ sanitatem, ut insinuat illud Jac. 5. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ*; & ut constat ex illo ad Ephes. 5. vers. 25. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquæ in Verbo vitæ*: ergo significat perfectam ac internam animæ sanitatem. Tum quia Sacramentum ex vi illius, quod significat, debet distingui ab aliis signis quæ non sunt Sacramenta; sed sanctitas imperfecta non distinguit Sacramentum, benè verò sanctitas perfecta: nam signum crucis, aqua benedicta, panis benedictus, lotio pedum &c. sunt signa sanctitatis, & in hoc cùm novæ legis signis seu Sacramentis conveniunt: ergo distingui debent per quemdam effectum intrinsecum, seu per sanctitatem intrinsecam & perfectam, quam alia signa Sacramentalia quæ sunt in Ecclesia, non significant. Tum quia Sacramentum fuit à Christo Domino institutum in sanctificationem animarum nostrarum, & remissionem peccatorum, ut dicunt Concilia, Patres & Scriptura: sed animæ nostræ sanctificari non possunt, nec peccata remitti, nisi per veram, realem & intrinsecam infusionem gratię sanctificantis, ut dictum est in 3. tomo: ergo de ratione Sacramenti est perfectam sanctitatem significare.

Dices 1. Sacramenta veteris legis habebant rationem veri & propriè dicti Sacramenti; sed hęc Sacraméta non significabāt perfectam & internam sanctitatem, quæ est per gratiam: ergo de ratione Sacramenti non est significare perfectam sanctitatem. Resp. Sacramenta veteris legis

gis significasse perfectam & internam sanctitatem figurativè, antecedenter & respectivè, quia conferebant sanctitatem legalem, & significabant sanctitatem perfectam, per Sacramenta novæ legis, quorum erant figuræ, & ad quæ erant ordinata, conferendam; ideòque Sacramentum legis antiquæ à sanctitate perfecta, quæ est finis & complementum, denominatur Sacramentum, non verò à sanctitate imperfecta & legali, quam conferebat.

Dices 2. Plurima sunt signa practica gratiæ, quæ veram & perfectam sanctitatem significant, quæ tamen non habent rationem Sacramenti, ut v. g. Agnus Paschalis, lignum vitæ: ergo de ratione Sacramenti non est significare perfectam sanctitatem, quæ est per gratiam. Resp. negando antecedens de significatione qua Sacramenta significant; illa enim signa significant gratiam conferendam hominibus per Christum; at Sacramenta sunt signa practica quę conferunt ex opere operato sanctitatem quam significant: ergo de natura Sacramenti dumtaxat, est significare sanctitatem perfectam.

Dico 2. Quòd de ratione Sacramenti est significare perfectam sanctitatem, in actuali usu & susceptione Sacramenti conferendam. Prob. 1. Sacramenta novæ legis sunt signa practica sanctitatis, quæ est per gratiam, eamque conferunt non ponentibus obicem, ut ait Trident, sess. 7. can. 6. idcircò qui debitè suscipit Sacramentum, recipit gratiam sanctificantem & sanctitatem, ut suadent hæc verba in definitione Sacramenti posita, *efficaciter gratiam significans*; ergo Sacramentum significat sanctitatem, in actuali usu & susceptione ipsius, conferendam. 2. Sacramenta veteris legis distinguuntur à Sacramentis novæ legis; sed Sacramenta veteris legis solam habebant gratiæ significationem, illius nempè quæ nobis conferenda erat per novæ legis Sacramenta ex meritis Christi: nostra verò

non

non solùm habent gratiæ significationem; sed etiam causationem: ergo eam causant, dum dignè suscipiuntur; alias nulla posset assignari diversitas inter Sacramenta antiqua & nova, quod est contra Trident. sess. 7. can. 2.

Dices; Adultus qui Baptismum fictè suscepit, recipit gratiam post desitionem Baptismi, si habeat intentionem verè recipiendi Bapsmum, id est, recipit gratiam recedente fictione: ergo Sacramentum non confert gratiam in actuali usu & susceptione. Resp. Sacramentum causare gratiam in susceptione digna & debitè facta, non autem absolutè in quacumque susceptione, ut infrà dicemus.

Dico 3. Sacramentum significare tria, scilicet Passionem Christi, gratiam, & gloriam: nam Sacramentum est signum gratiæ, cujus causa efficiens meritoria est Passio Christi, & finalis est gloria, cùm Sacramenta sint fontes aquæ salientis in vitam æternam, ut constat in sacra Pagina: ergo hoc ipso, quòd Sacramentum significat gratiam, significat etiam Passionem & gloriam. Deinde, hoc patet in hac Antiphona, *O sacrum convivium in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur*; quippe in Sacramento Eucharistiæ 1. *Recollitur*, seu significatur *memoria Passionis*, quia Sacramentum est signum rememorativum. 2. *Mens impletur gratia*, quia Sacramentum est signum demonstativum gratiæ quam in nobis causat. 3. *Futuræ gloriæ nobis pignus datur*, quia est signum prognosticum: ergo Sacramentum novæ legis de ratione sua intrinseca tria significat conferendo sanctitatem perfectam, scilicet Passionem Christi præteritam, præsentem, & gloriam ad quam tendimus, nosque ducit ipsum sacramentum; sed principaliùs significat gratiam sanctificantem. Tum quia in conceptu ipsius gratiæ includuntur habitudines ad Passio-

nem

nem Christi & ad gloriam, quas sacramentum significat tantùm ratione gratiæ: ergo id, quod principaliùs significat, est gratia ipsa. Tum quia Sacramentum est primò & principaliùs institutum ad significandam gratiam: ergo primò & principaliùs eam significat.

Id verum esse liquidò constat ex definitione sacramenti in præcedenti quæstione tradita, quæ iterum hic apponitur, *Signum sensibile, gratiam Dei vel effectum ejus gratuitum, ex divina institutione efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris*: ibi enim exprimitur gratia; exprimitur etiam gloria quæ est vita illa æterna ad quam ordinatum est sacramentum; exprimitur tandem passio Christi Domini, saltem implicitè, quia illud signum sensibile seu sacramentum est institutum à Christo, qui cùm illud instituere meruerit per merita suæ sacratissimæ passionis, ratione cujus dicitur causa gratiæ ex opere operato, necesse est, quòd exprimat passionem Christi, sitque ejus signum rememorativum.

QUÆSTIO III.

An Sacramentum sit semper res aliqua sensibilis, & hoc sit illi ita essentiale, ut de potentia Dei absoluta non possit institui Sacramentum in aliqua re spirituali & insensibili?

DICO 1. Sacramentum constare de facto rebus sensibilibus. Tum quia constat in sacra Scriptura, ut dicemus loquendo de sacramentorum particulari institutione. Tum quia patet ex definitione sacramenti. Tum quia Ecclesia

est visibilis: ergo habet sacramenta sensibilia & visibilia; cùm sacramenta sint ejus arma. Tum quia homines, ad quos congregādos Ecclesia utitur sacramentis, sunt sensibiles & visibiles: ergo sacramenta sunt sensibilia. Tum quia Ministri sacramentorum quos Christus instituit, sunt visibiles & sensibiles: ergo instrumenta quibus utuntur, sunt etiam sensibilia. Tum quia sunt aliqua sacramenta quæ Catholicus sæpè suscipere tenetur: ergo ut cognoscat se sacramentum suscepisse, oportet, quòd sacramentum sit sensibile, cùm homo per sensus res percipiat, & beneficio eorumdem unum ab alio discernat.

Dices; Sacramentum Pœnitentiæ fit essentialiter & intrinsecè ex actu contritionis, qui est actus sensibilis: ergo saltem istud sacramentum non constat de facto rebus sensibilibus. Resp. Actum contritionis esse partem sacramenti Pœnitentiæ, quatenùs significatur per aliquid sensibile, nimirum per cordis compunctionem, & ratione absolutionis, confessionis & satisfactionis, quæ sunt partes sensibiles ad quas dicit ordinem: ergo restat sacramentum Pœnitentiæ de facto constare rebus sensibilibus, sicut alia sacramenta, & esse omninò signum sensibile eo modo quo homo dicitur sensibilis, quāvis constet anima spirituali, quæ non est per se sensibilis.

Dico 2. Potuisse à Deo institui sacramenta ex rebus insensibilibus; verum tamen est, quòd talia sacramenta non essent ejusdē rationis cum iis quæ modò sunt, quia ista sunt signa sensibilia, illa verò essent signa insensibilia; sed essent sacramenta, prout sacramentum significat tantùm signum ex opere operato conferens gratiam sanctificantem, in quo sensu conclusio debet esse communis. Prob. Nam non repugnat 1. ex parte Dei, qui ad gratiam conferendam potuit uti rebus spiritualibus, sicuti usus est materialibus. Nec ex parte rei spiritualis, cùm subjiciatur omnipotentiæ & providentiæ Dei, sicut res sen-

sensibilis. Nec ex parte effectus producendi, gratiæ scilicet, quippe cùm non habeat minorem proportionem cum rebus spiritualibus quàm cum sensibilibus; ad positionem rerum spiritualium conferri potuit; quemadmodùm confertur ad positionem signi & rei sensibilis: ergo ex nullo capite repugnat. *Deinde*, sacramentum est signum à Deo institutum voluntariè, id est, à Deo, qui aliud signum instituere potuit; cùm non sit signum naturale, sicut fumus ignis; sed voluntarium & ad placitum. Ratio rei est, quia nulla creatura ex natura suâ est significativa gratiæ: ergo sicut elevare voluit rem sensibilem, ut significaret & conferret gratiam, potuit elevare rem insensibilem, putà internam mentis operationem, adorationem, actum dilectionis, &c.

Sacramenta novæ legis non producunt gratiam physicè, sed solùm moraliter, ut dicemus in disputatione tertia quæstione secunda; hoc est, non sunt signa nec instrumenta gratiam physicè continentia, sed solùm ex divina ordinatione, quæ statuit atque decrevit conferre gratiam ad dignam positionem aut collationem hujusmodi signorum, ut docet universa Scotistarum Schola, quod etiam defendunt plures ex extraneis, ut Gandavensis, Canus, Ledesma, Caspensis & alii, quibus conjungi potest D. Ambr. de dignit. sacerd. ubi ait, *Homo manum imponit & Deus largitur gratiam*: ergo Deus eamdem gratiam conferre potuit ad positionem alicujus signi spiritualis & interni, putà internæ mentis operationis, adorationis, actus dilectionis, &c. subindeque potuit instituere sacramenta ex rebus insensibilibus & spiritualibus, cùm res sensibiles gratiam non contineant, & spirituales atque insensibiles divinam voluntatem movere valeant.

Dices: Sacràmenta non possunt institui, nisi in ipsorum collatione requiratur minister, qui

sit notus à suscipiente; sed nullus notus ab illo cui confertur sacramentum, potest esse minister rei insensibilis, ut est manifestum: ergo sacramentum non potest institui ex re spirituali & insensibili. *Respondeo* negando minorem, quia ipsemet qui traderet signum, esset minister sacramenti simul & suscipiens, nec hoc repugnat naturæ sacramenti, ut patet in matrimonio.

QUÆSTIO IV.

An res sensibiles quibus in Sacramentis utimur, debeant esse determinatæ à Deo?

PRæsens difficultas sub alio titulo agitari solet, nempè an necesse sit uti certa materia ad unumquodque sacramentum, eaque debeat esse determinata à Deo?

Dico igitur, in sacramentis novæ legis utendum esse materia à Christo determinata. Hæc conclusio colligitur ex Trident. sess. 21. cap. 2. ubi declaratur fuisse semper in Ecclesia potestatem in dispensatione sacramentorum *salva illorum substantia*, per quam exceptionem intelligunt Patres, materiam & formam sacramentorum; unde si Ecclesia non possit mutare materiam nec formam sacramentorum, signum est, quòd res sensibiles & materiales quibus in sacramentis utitur Ecclesia, sunt à Christo determinatæ.

Prob. Sacramenta à solo Deo instituta fuerunt ut instrumenta ad conferendam gratiam. Tum quia nulla creatura ex se habet virtutem conferendi gratiam, quæ est ens supernaturale ex se petens creari. Tum quia sunt signa & instrumenta moralia. Tum quia solus Deus est author gra-

gratiæ, & consequenter sacramentorum, seu signorum gratiæ institutor: ergo materia qua uti debent Ministri in sacramentorum administratione, est determinata à Deo qui sacramenta determinavit: nam dum sacramenta instituit & determinavit, ipsorum constitutiva etiam determinavit; sed sacraméta constant materia & forma: ergo materia & forma sunt à Deo determinatæ; ac proinde materiam sacramentorum pro libito mutare non licet. *Tandem*, solius Dei est sanctificare homines: ergo solius etiam Dei est determinare res aut instrumenta quibus homines sanctificantur.

Dices 1. Nulla fuit necessitas, nullaque ratio in Deo determinandi res sensibiles quibus in sacramentis utimur: ergo materia non est à Deo determinata. Resp. negando antecedens, licèt ratio hæc sit nobis incognita: *In talibus enim rebus* (inquit August. epist. 3. ad Volusianum) *tota ratio facti, est potentia facientis*; alioquin dicere liceret, Christum non instituisse septem sacramenta, quod est hæreticum.

Dices 2. Sacerdos virtute Ordinis habet potestatem absolvendi à peccatis, tamen sunt quædam peccata quorum absolutionem Ecclesia reservat Papæ & Episcopis: ergo Ecclesia mutavit materiam Sacramenti Pœnitentiæ. 3. Matrimonium clandestinum ante Concilium Trident. erat validum, modò autem Ecclesia sic ordinante est invalidum: ergo Ecclesia mutavit materiam Sacramenti Matrimonii. 4. Olim per solam manuum impositionem, tamquam materiam, Sacerdotium conferebatur; modò autem, Ecclesia sic ordinante, confertur per traditionem panis & vini in calice cum determinatis verbis; imò nunc in Ecclesia Græca nedum Episcopi Schismatici, sed etiam Catholici & Romanæ Communionis, dum Græcos Presbyteros ordinant, sciente & consentiente summo Pontifice (ut Cardinalis de Lugo seipso

præsente accidisse testatur, ut refert Gonetus) non per calicis & patenæ porrectionem id faciunt, sed per manuum impositionem super caput ordinandi: ergo materia sacramentorum non fuit à Christo determinata.

Resp. ad 1. negando consequentiam, quia Sacerdos virtute ordinis non habet potestatem absolvendi omnes homines ab omnibus peccatis absolutè & indeterminatè; sed tantùm absolvendi eos homines in quos jurisdictionem habet: Unde cùm summi Pontificis & Episcoporum sit assignare subditos, sequitur, quòd Sacerdos non potest absolvere peccata, nisi ea quæ ipsi ab Episcopo subjciuntur, & in quæ jurisdictionem accipit à Pastore cui commissæ fuerant oves; non defectu potestatis quam habet ex vi ordinis, sed ex defectu jurisdictionis: ergo reservatio casuum aut personarum non mutat materiam Sacramenti Pœnitentiæ. Ad 2. nego consequentiam, quia matrimonii clandestini invaliditas non provenit ex defectu legitimæ materiæ, nimirum consensus conjugum aut partium, sed ex defectu circunstantiæ necessariò ad contractus validitatem requisitæ, scilicet præsentiæ parochi & testium, quam circunstantiam, Ecclesia addere potuit Sacramento Matrimonii, absque ulla variatione in materia ejusdem. Ratio est, quia materia hujus sacramenti à Christo instituta, est verus contractus naturalis & civilis, cujus validitas dependet à conditionibus à Republica præscriptis, quibus non positis est irritus, sicut alii contractus naturales & civiles; hinc fit quòd cùm Christus voluerit contractum esse materiam Sacramenti Matrimonii, juxta dispositionem juris, Concilium, quod est regula juris Ecclesiastici, dum ordinavit contractum non esse validum, nisi quando fit coram parocho & testibus, non mutavit materiam Sacramenti Matrimonii, cùm non mutaverit contra-

tractum; sed requisivit illam conditionem ad validitatem contractus.

Ad tertium Resp. 1. cum Mastrio, Poncio & aliis, negando consequentiam, quia Christus non instituit nec determinavit materiam Sacramenti Ordinis specificè & in individuo, seu hanc vel illam materiam; sed solùm genericè in aliquo signo sensibili, seu quamcumque materiam indeterminatè, quæ ex ordinatione Ecclesiæ significaret potestatem Sacerdoti traditam. Unde quia tam Ecclesia Latina quàm Græca confert Sacerdotium per signum sensibile, sequitur quòd ambæ validè conficiunt sacramentum, & verè servant materiam à Christo institutam, licèt utantur signis materialiter diversis.

Resp. 2. Frassen, Gonet. & alii, negando consequentiam, quia eadem materia utuntur Ecclesia Latina & Ecclesia Græca in Sacramento Ordinis: nam materia Ordinis sacerdotalis, nimirum panis & vini in calice, in ritu Græcorum est in altari, & moraliter solùm à Sacerdote Græco tangitur; in ritu verò Latinorum est in manibus initiandorum, & physicè ab ipsis tangitur. Unde Ecclesia Latina & Græca, in substantia materiæ Sacramenti Ordinis conveniunt, & differunt tantùm in accidentali ritu, scilicet in contactu calicis, quem Latini tangunt physicè & immediatè, & Græci moraliter & mediatè: dico mediatè, quia ut advertunt plures Authores, Græci tangunt altare in quo est calix, dum ordinantur. Hinc fit quòd cùm tangere physicè, & tangere moraliter, non sint formaliter materia Sacramenti Ordinis à Christo determinata, & qua uti debent Ministri Sacramenti Ordinis sacerdotalis; sed modus ejusdem, quem Christus hominum arbitrio aut Ecclesiæ determinandum reliquit, Sacramentum Ordinis sacerdotalis habet materiam à Christo determinatam, sicut alia sacramenta, qua utuntur Ecclesia Latina & Græ-

ca, licèt non habeat modum determinatum.

Quæres, an in Sacramentis verba requirantur? Resp. affirmativè. Tum quia patet ex sacra Scriptura & traditione Ecclesiæ: nam Matth. 18. ubi dicitur de Baptismo, *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Actuum 8. de Confirm. dicitur, *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum*; & paulò post, *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum*: ergo ad Confirmationem requiruntur verba, cùm fiat per orationem. De Eucharistia, Matth. 26. & 1. Cor. 11. legitur, quòd *Iesus accepit panem, & benedixit ac fregit dicens: Hoc est corpus meum.* De Pœnitentia habetur Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata &c.* De Extrema Unctione constat Jac. 5. cap. vers. 14. De Ordine & Matrimonio constat ex traditione Ecclesiæ: ergo in Sacramentis requiruntur verba. Tum quia constant essentialiter rebus & verbis, ut videbimus in quæst. sequenti: ergo in Sacramentis requiruntur verba. Tum quia Sacramenta sunt signa quæ Christus reliquit Ecclesiæ ad regendos & congregandos fideles: ergo in ipsorum administratione requiruntur verba.

Huic sententiæ suffragatur Augustinus tract. 8. in Joan. ubi ait, *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*: quibus verbis monet in Sacramentis Ecclesiæ necessariò requiri verba formaliter vel æquivalenter, ut verificari potest de quolibet Sacramento in particulari, sicuti consideranti patebit.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

An omnia Sacramenta novæ legis componantur ex rebus & verbis, sicut ex materia & forma, tamquam ex partibus essentialibus?

DIco 1. contra Durandum, omnia Sacramenta novæ legis constare ex rebus & verbis, vel formaliter, vel æquivalenter, tamquam ex materia & forma. Dixi, æquivalenter, quia licèt in matrimonio semper interveniant verba formaliter, quoniam expressè pronunciantur à contrahentibus; tamen aliquando æquivalenter interveniunt, ut dum per signa & nutus notificatur consensus partium. Prob. 1. ex Conc. Florent. in litteris unionis, ubi postquàm enumeravit septem novæ legis Sacramenta, sic concludit, *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona Ministri cum intentione*: ergo &c. 2. Res sensibiles quibus Sacramenta constant, determinantur per verba ad significandum hoc vel illud; v.g. panis qui est materia Sacramenti Eucharistiæ, ex se est indifferens & indeterminatus ad significandum hoc vel illud; sed per hæc verba, *Hoc est corpus meum*, quæ sunt forma, determinatur ad significandum Sacramentum Eucharistiæ: ergo Sacramentum est quoddam compositum morale, cujus materia sunt res, & verba sunt forma. 3. Sacramentum novæ legis fit ex materia & forma sensibilibus, cùm sit signum sensibile: ergo ea ex quibus fit, sunt tamquam materia & forma, id est, præstant in Sacramento, quod est totum morale, id quod præstant in toto physico materia & forma; sed ea ex quibus fit Sacramentum, sunt res & verba, ut patet: er-

go Sacramenta constant ex rebus & verbis, tamquam ex materia & forma.

Dices cum Durando; Pœnitentia & Matrimonium sunt Sacramenta vera; sed non constant ex rebus sensibilibus & verbis: ergo omnia Sacramenta non constant ex rebus & verbis tamquam ex materia & forma. Major patet, minor prob. Sacramentum Pœnitentię perficitur solis verbis, nempè confessione Pœnitentis, & absolutione Sacerdotis: ergo non constat materia & forma; quia si constaret, materia esset distincta à verbis, quod est falsum, cùm confessio & absolutio sint verba. Præterea, matrimonium perfici potest sine verbis, ut cùm absentes contrahunt per litteras, & præsentes qui sunt muti, contrahunt per signa & nutus: ergo pœnitentia & matrimonium non constant ex rebus & verbis, tamquam ex materia & forma.

Resp. 1. distinguendo minorem: Pœnitentia & matrimonium aliquando non constant ex rebus sensibilibus & verbis, formaliter, concedo; Æquivalenter, nego. Ad prob. dico, quòd per Ly *rebus* & *verbis* non intelligimus res strictè sumptas, sed etiam omnia quæ verborum loco adhiberi solent ad aliqnid significandum. Unde cùm in Sacramento Pœnitentiæ, Confessio, & in Sacramento Matrimonii, litteræ, nutus & alia signa, verborum loco adhibeantur ad utriusque partis consensum formaliter exprimendum, sunt æquivalenter materia, ac determinantur per absolutionem Sacerdotis quæ habet rationem formæ determinantis confessionem pœnitentis ad significandum remissionem peccatorum. In Sacramento Matrimonii, quod interdum fit sine verbis, ut cùm absentes contrahunt per litteras, & præsentes qui sunt muti, per nutus & alia signa, nutus unius quatenus determinant & complent nutus alterius, quamvis formaliter non sint forma, sunt tamen forma æquivalenter; & nutus alterius quatenus

deter-

determinati & completi, quamvis non ſint formaliter materia, ſunt tamen ipſa æquivalenter, quod ſufficit, ut patet in concluſione: ergo omnia Sacramenta conſtant ex rebus & verbis formaliter vel æquivalenter, tamquam ex materia & forma.

Dico 2. Quòd res & verba ſunt partes intrinſecæ & eſſentiales Sacramentorum novæ legis, excepto Sacramento Euchariſtiæ, quod cùm non conſiſtat in uſu, & ſit res permanens, non poteſt intrinſecè conſtitui ex verbis. Hæc concluſio quoad primam partem eſt communis, quoad ſecundam verò eſt Scoti in 4. diſt 1. qu. 1. quem ſequuntur Bellarm. Vaſques, Ægidius, & omnes Scotiſtæ, dempto Poncio, contra Thomiſtas.

Prob. 1. pars: Res ſe habet in Sacramento (quod eſt quoddam totum morale & artificiale) ſicut materia ſe habet in compoſito phyſico & naturali, ſcilicet ut pars determinabilis; verbæ verò ſe hnbent ut pars determinans, ſicut forma phyſica ſe habet in compoſito phyſico & naturali, ut patet ex dictis: ergo quemadmodum pars determinabilis & pars determinans ſunt intrinſecæ & eſſentiales partes in compoſito phyſico & naturali; ita res & verba ſunt partes intrinſecæ & eſſentiales in compoſito morali & artificiali, putà in Sacramento.

Dices: Si res & verba eſſent partes intrinſecæ & eſſentiales Sacramenti, eſſent ſimul, quia ad compoſitionem totius requiritur ſimultas ſeu unio partium eſſentialium; ſed in Sacramento res & verba non ſunt ſimul, ut patet interdum in Sacramento Pœnitentiæ, ubi Sacerdos profert verba abſolutionis, confeſſione & contritione peractis: ergo res & verba non componunt eſſentialiter & intrinſecè Sacramenta. Reſp. negando majorem de ſimultate phyſica reali & temporis: nam ſimultas partium requiritur eodem modo, quo compoſitum eſt, id eſt, dum

P 6 com-

verba tendunt, ſed id quo verba tendunt, ut calor in viſceribus terræ, non eſt id, quod ſol intendit producere; ſed potiùs id quo producit: ergo verba non remanent virtualiter in Sacramento Euchariſtiæ. 2. Nihil eſt in Sacramento Euchariſtiæ ex vi verborum, quod non ſit effectus verborum: nam determinatio & modificatio verborum ad inſenſibiliter ſignificandum corpus & ſanguinem Chriſti, ſub ipſis exiſtentia per modum cibi & potus ſpiritualis, eſt effectus verborum, non verò virtus eorum, ut dicemus in ſolutione ultimi argumenti: ergo verba non remanent virtualiter in Sacramento Euchariſtiæ. 3. Nullum eſſet diſcrimen inter virtutem rei aut cauſæ, & effectus ejuſdem, quod eſt falſum, ut eſt evidens: ergo cùm in Euchariſtia, verbis tranſactis, nihil remaneat niſi ipſorum verborum effectus, ipſa verba non remanent virtualiter.

Prob. iterum eadem pars, & ſimul rejicitur reſponſio Goneti: Omne conſtitutum, ſive ſit phyſicum, ſive morale, formaliter & eſſentialiter ſumptum, nihil aliud eſt quàm illud ex quo eſſentialiter & intrinſecè componitur, tale enim eſt conſtitutum, quale eſt conſtitutivum; ſed Sacramentum Euchariſtiæ non eſt tantùm res & verba, qui enim conſiderat formaliter Baptiſmum v. g. invenit ſignum, in quo nihil aliud eſt quàm res & verba; at qui conſiderat formaliter Euchariſtiam, nullum verbum adinvenit, ſed tantùm verborum effectum; quia ſi virtus verborum remaneret, Euchariſtia non eſſet ſignum aut Sacramentum actuale, nec permanens: nam ſi verba actualiter conſtituant, conſtituunt eo modo quo ſunt; ſed ſunt tantùm virtualiter: ergo virtualiter conſtituunt Sacramentum Euchariſtiæ. *Deinde*, Sacramentum Euchariſtiæ eſſet ignobilius aliis ratione formæ intrinſecè conſtituentis: nam alia Sacramenta conſtituuntur per ipſamet verba actualia; Eucha-

charistia autem per verba virtualiter existentia: sed omne verbum actuale & permanens, in ratione constitutivi est perfectius verbo virtualiter tantùm permanente; & constitutum per formam permanentem actu, est perfectius constituto per formam virtualiter tantùm permanentem; unde cùm Sacramentum Eucharistiæ sit cæteris præstantius ratione formæ, vel saltem non sit aliis ignobilius, non debet intrinsecè constitui ex verbis virtualibus, cùm sit permanens & subsistens.

Instabis ex Conc. Florent. suprà citato: Sacramenta constant rebus & verbis tamquam ex materia & forma: ergo nullum est excipiendum. Resp. Conc. non dicere *constare*, sed *perfici*; aliàs Minester de quo loquitur, esset pars Sacramenti; unde sensus Concilii est, quòd ad faciendum quodcumque Sacramentum tria requiruntur, materia scilicet, forma & Minister; quæ omnia in confectione Eucharistiæ assignantur.

Obj. 1. Gonetus: Ex illis tamquam ex partibus essentialibus & intrinsecis constat Sacramentum Eucharistiæ, ex quibus essentialiter & intrinsecè constat illud totum, quod assumptum est à Christo ad significandam & efficiendam gratiã per modum cibi spiritualis: sed istud constat essentialiter & intrinsecè ex rebus & verbis: ergo & Sacramentum Eucharistiæ. Major constat; Sacramentũ enim Eucharistiæ physicè sumptum, est illud totum, quod Christus assumpsit & instituit ad significandam & caussandam prædictam gratiam. Minor verò prob. Si totum à Christo assumptum ad significandam gratiam in Sacramento Eucharistiæ, non constaret intrinsecè ex rebus & verbis, sed solùm ex rebus, nimirum ex speciebus panis & vini unà cum corpore & sanguine Christi; cùm (ut jam dictum est) quælibet res nihil aliud sit absolutè, præter id quod est tota ejus-

essentia, verum esset dicere absolutè, totum à Christo assumptum in Eucharistia ad significandam gratiam, nihil aliud esse absolutè, præter species panis & vini unà cum corpore Christi: sed hoc falsum est; Christus enim absolutè loquendo assumpsit prætereà ad talem significationem verba consecrationis, aliàs enim sine illis, species & corpus Christi simul sumpta, essent signum sensibile gratiæ, ut in actuali eorum sumptione conferendæ, quod tamen est evidenter falsum.

Confirm. Id per quod aliquid, quod essentialiter & intrinsecè est sensibile signum gratiæ, fit formaliter signum sensibile illius, est pars intrinseca ejus & essentialis: sed Sacramentum Eucharistiæ, quod essentialiter & intrinsecè est signum sensibile gratiæ, constituitur formaliter signum sensibile illius per verba: ergo verba Sacramenti Eucharistiæ sunt pars intrinseca & essentialis ipsius. Major est evidens, minor verò prob. Per id Sacramentum Eucharistiæ constituitur formaliter sensibile signum gratiæ, quod solùm in ipso habet rationem formæ ex se significativæ gratiæ; sed sola verba consecrationis habent in Sacramento Eucharistiæ rationem formæ sensibilis, & ex se significativæ gratiæ: licèt enim species consecratæ, sive ut continentes corpus Christi, sint ex se sensibiles, non tamen ex seipsis, sed solùm dependenter à verbis, tamquam à forma, habent quòd sensibiliter possint significare Christum & ejus gratiam: secluso enim respectu ad talem formam (*Hoc est corpus meum*) hostiæ consecratæ non magis significant sensibiliter Christum ibi esse præsentem, & ejus gratiam, quàm hostiæ non consecratæ: ergo &c.

Resp. ad argumentum, negando minorem: istud enim totum quod Christus assumpsit ad significandam & efficiendam gratiam per modum cibi spiritualis, dependet à verbis in fieri &

ri & efficienter, quatenùs verba sunt quibus Sacerdos adducit corpus Christi sub speciebus, non verò formaliter & intrinsecè, ita ut verba sint constitutivum intrinsecum & essentiale Eucharistiæ: implicat enim in terminis, aliquid esse formam, sive naturalem, sive artificialem, rei existentis, dum ipsum non existit; cùm forma quæcumque det esse rei, & in esse specifico eam constituat. Ad prob. nego minorem, quia licèt Christus assumpserit præterea ad talem significationem verba consecrationis, tamen non valet dicere ipsa consecrationis verba esse intrinsecam & essentialem partem Eucharistiæ, quia verba non fuerunt assumpta in genere formæ, sed in genere actionis; non in facto esse, sed in fieri: nam ad compositum tria requiruntur principia, scilicet privatio, materia & forma; tamen privatio non reperitur in ipso sicut materia & forma: ergo non valet dicere, quòd independenter à verbis, species & corpus Christi simul sumpta, essent signum sensibile gratiæ, in actuali eorum sumptione conferendæ, quia dependent à verbis in fieri, & ab ipsis denominantur tamquam à causa efficiente, & quemadmodum nullum existit compositum independenter à causa efficiente & privatione, licèt causa efficiens & privatio non sint ejus partes essentiales; ita similiter species & corpus Christi simul sumpta, non possunt esse signum sensibile gratiæ independenter à verbis, licèt verba non sint pars essentialis Sacramenti Eucharistiæ in facto esse.

Ad confirm. nego minorem: implicat enim, ait Doctor, Sacramentum Eucharistiæ, quod est signum permanens & subsistens, constitui formaliter & intrinsecè per verba, quæ non sunt actu, nec formaliter. Ad prob. nego minorem, quia verba consecrationis habent tantùm rationem causæ efficientis, & se habent per modum actionis, quia habent tantùm cau-

sali-

salitatem & efficaciam moralem hujus Sacramenti, quæ in hoc consistit, ut ad eorum prolationem, Deus ponat corpus Christi sub speciebus: ergo non constituunt intrinsecè Sacramentum Eucharistiæ, nec habent in ipso rationem formæ ex se significativæ gratiæ. Tum quia habent rationem actionis & causæ efficientis, ut dixi. Tum quia species consecratæ præter respectum quem dicunt ad ista verba: *Hoc est corpus meum*, tamquam ad causam effectivam & sensibilem Sacramenti, dicunt respectum ad corpus & sanguinem Christi, quæ ex vi verborum sub speciebus ponuntur & permanent. A primo respectu dicuntur sacræ efficienter & sensibiliter. Ab alio verò dicuntur formaliter & actu consecratæ. Ratio est, quia verba transeunt, & unio cum corpore & sanguine remanet speciebus remanentibus: ergo falsum est, quòd hostiæ consecratæ non magis significent Christum esse ibi præsentem & ejus gratiam, quàm hostiæ non consecratæ, quæ nullum respectum dicunt ad corpus Christi, licèt dicant respectum ad verba, veluti ad causam efficientem instrumentalem, sicut hostiæ consecratæ.

Obj. 2. Cùm in Sacramento Eucharistiæ verba consecrationis, quæ sunt pars totius ceremoniæ à Christo adhibitæ & institutæ in ejus celebratione, determinent species panis & vini ad rei sacræ, & spiritualis nutritionis significationem, sicut in Baptismo verba: *Ego te baptizo*, determinant infusionem, seu aspersionem aquæ ad significandam spiritualem ablutionem, si non obstante illa paritate, Sacramentum Eucharistiæ non constaret sicut Baptismus ex rebus & verbis, tamquam ex partibus intrinsecis & essentialibus, maximè quia cum Sacramentum Eucharistiæ non sit aliquid transiens sicut Baptismus, sed remanens, non potest sicut Baptismus intrinsecè constitui ex aliquo transeunte, cujusmodi sunt verba: sed hæc ratio nulla

la

la est: ergo nec illud, quod ex ea deducitur. Prob. minor: Ut aliquid permanens dicatur intrinsecè constitui ex aliqua re, non est necesse, quòd res illa formaliter, sed sufficit, quòd virtualiter remaneat in ipso: mixtum enim absolutè & verè dicitur intrinsecè constitui ex elementis, licèt ipsa elementa non remaneant in ipso formaliter, sed tantùm virtualiter: sed licèt verba consecrationis transeant formaliter, virtualiter tamen remanent in speciebus panis & vini, utpotè cùm istæ species remaneant à verbis illis determinatæ & modificatæ ad sensibiliter significandum corpus & sanguinem Christi sub ipsis existentia per modum cibi & potus spiritualis, talisque determinatio sit virtus verborum realiter formaliter ipsas species actuans, quia realiter tactæ fuerunt & percussæ à verbis: ergo, &c.

Resp. 1. concessâ majori in sensu explicato; verum enim est, quòd verba consecrationis determinant in genere actionis species panis & vini ad rei sacræ & spiritualis nutritionis significationem, non verò in genere causæ formalis, negando minorem. Ad prob. nego majorem; nam ut aliquid permanens dicatur intrinsecè constitui ex aliqua re, formaliter, actu, essentialiter & immediatè, necesse est, quòd res illa formaliter remaneat; aliàs non esset actu, nec formaliter permanens; tale siquidem est constitutum, quale est constitutivum essentiale, & præsertim in doctrina Thomistarum, ex qua constat, quòd totum compositum nihil aliud est formaliter & realiter, quàm partes intrinsecæ & essentiales, ut unitæ & conjunctæ; idcircò dum partes existunt virtualiter tantùm, compositum est etiam virtuale tantùm: ergo totum formaliter & actu existens, includit partes formales & actuales: *Ad exemplum* de mixto, dico, quòd mixtum non constituitur intrinsecè & essentialiter ex solis ele-

elementis in ipso virtualiter remanentibus, ut cònstat, quia remanet actu in mixto forma substantialis, quæ habet virtutem producendi qualitates similes iis quas elementa continent; ideoque mixtum non componitur essentialiter ex quatuor elementis secundùm substantiam, nec secundùm suum esse, sed secundùm virtutem eò quòd scilicet ex ipsis corruptis producatur forma mixti, quæ virtualiter continet elementorum qualitates, vel alias similes qualitatibus elemētorum: ergo concludendum est, ut aliquid permanens dicatur intrinsecè constitui ex aliqua re, non sufficere, quòd virtualiter remaneat in ipso; quamvis aliquod compositum, putà mixtum, præter materiam & formam actuales contineat aliud virtualiter.

Resp. 2. negando minorem. Ad cujus prob. concessa majori, nego minorem: Falsum enim est, quòd verba virtualiter remaneant in speciebus panis & vini. Tum quia colligitur ex dictis suprà in responsione ad instantiam. Tum quia species non remanent à verbis determinatæ & modificatæ formaliter ad sensibiliter significandum corpus & sanguinem Christi, sed tantùm efficienter; unde verba non remanent virtualiter, licèt remaneat eorum effectus, scilicet sacramentum; ideoque Sacramentum Eucharistiæ non constituitur intrinsecè & essentialiter ex verbis, cùm nullus effectus ex causa efficiente constituatur, sed ex iis quæ essentialiter & intrinsecè continet, de quibus in proprio loco dicemus.

Quæres, an verba sacramentalia sint concionatoria, vel consecratoria? Resp. Verba requisita in sacramentis novæ legis esse consecratoria, seu virtute divina facientia, quod significant, non verò purè concionatoria, & solùm ad instruendum fideles ordinata. Ita communiter docent omnes Theologi contra Lutherum, Calvinum & alios. Prob. 1. Eisdem verbis fit à nobis con-

consecratio, quibus facta fuit à Christo, ut probat hoc præceptum Christi: *Hoc facite in meam commemorationem*: sed verba hæc à Christo dicta, non sunt concionatoria, sed significativa & consecratoria, ut probant hæc verba Confirmationis Act. *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum*, quod indicat verba esse operativa & significativa: ergo verba sacramentalia non sunt concionatoria, sed significativa & consecratoria. Tum quia sunt verba practica, ut dictum est. Tum quia Apost. 1. ad Cor. 10. vocat verba quibus consecramus, verba benedictionis, ait enim: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* ergo sunt consecratoria, ut concludunt D. Thom. Suarez, & alii. Tum quia minister interdum non percipit verba sacramentalia quæ profert; infantes etiam quibus confertur Baptismus, non intelligunt concionem: ergo finis qui ab eo debet intendi ultra prolationem verborum, non est significare doctrinam, nec concionari, sed aliquid ad quod instituta sunt conficere, & consequenter non sunt concionatoria, sed consecratoria & significativa practicè.

Dices; Dum Christus instituit Ministros sacramentorum, instituit ipsos Prædicatores; præcepit enim eis, ut docerent, baptizantes omnes gentes: ergo verba sacramentalia sunt concionatoria. Resp. negando consequentiam, quia Christus instituit Apostolos Prædicatores, & sacramentorum Ministros: aliud enim est docere, & aliud baptizare; ideoque dum docebant, non baptizabant, sed docebant, ut baptizarent, quia adultorum justificatio fidem exigit, fides auditum verbi Dei, & auditus prædicationem: nam quomodo credent sine prædicante? ergo hæc verba: *Ego te baptizo*, non sunt concionatoria, sed consecratoria, practica & significativa.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

Quæ mutatio ex parte materiæ vel formæ, reddat Sacramentum invalidum?

DIco, mutationem essentialem materiæ aut formæ reddere sacramentum invalidum, non verò accidentalem. Prob. 1. pars: Partibus intrinsecis & essentialibus mutatis, necessariò mutatur compositum, v. g. mutata forma ligni, totum seu compositum mutatur & resultat aliud, & sic de cæteris; sed materia & forma, juxta Christi institutionem sunt partes intrinsecæ & essentiales ex quibus sacramentum componitur; unde materia & forma essentialiter mutatis, mutatur sacramentum; sed mutatio aut variatio sacramenti, est nedùm invaliditas ejusdem, sed etiam corruptio: ergo nullum datur sacramentum, dum materia & forma essentialiter mutantur. Quod non contingit, dum mutatio est tantùm accidentalis, sive in materia, sive in forma; quia mutatio accidentalis non destruit sensum verborum à Christo institutorum, nec naturam rei.

Primò, ex dictis inferes, quòd si loco panis, fructus; loco vini, aqua, in Eucharistia; loco olei olivarum, ponatur oleum nucum, vel alterius in Extrema Unctione; loco balsami ponatur oleum rosaceum in Confirmatione, & sic de cæteris, invalida erunt sacramenta.

Secundò, quòd mutatio moralis in materia reddit etiam sacramentum invalidum: nam si loco panis usualis, ponatur pasta; & loco vini, ponatur acetum, nullum erit sacramentum; at pasta & panis usualis, vinum & acetū, sunt ejusdem speciei physicè, sicut caro cruda & cocta, & distinguuntur tantùm moraliter: ergo mutatio

sub-

ſubſtantialis moralis in materia remota Sacramentorum, tollit valorem Sacramenti. *Dices*; ſi Sacerdos poneret muſtum in calice conſecraret, ſed muſtum non minùs differt à vino, quàm acetum: ergo acetum non reddit Sacramentum invalidum. Reſp. negando minorem, nam vinum & muſtum non diſtinguuntur moraliter, ſicut vinum & acetum, ſed tantùm accidentaliter, quia acetum habet diverſas affectiones & proprietates à proprietatibus vini, at muſtum eſt verum vinum.

Tertiò, quòd mutatio ſubſtantialis in materia proxima, in multis Sacramentis tollit valorem Sacramenti: nam in Baptiſmo requiritur ablutio, poſſet tamen quis abluere veſtem pueri, tunc adeſſet materia remota & forma, & non eſſet Sacramentum, ut notat Eminentiſſimus Cardinalis noſter de Laurea: ergo mutatio ſubſtantialis in materia proxima tollit valorem Sacramenti.

Quartò inferes, quòd mutatio materiæ ſive proximæ, ſive remotæ, ſecundùm qualitatem non tollit valorem Sacramenti: nam ſi conſecratio fiat in pane azimo vel fermentato, valet Sacramentum. Similiter ſi aqua in Baptiſmo ſit calida, vel frigida, & ſic de aliis, quæ ſalvant ſubſtantiam materiæ remotę, vel proximæ.

Quinto, quòd mutatio materiæ ſecundùm quantitatem in augmento non tollit valorem Sacramenti. Ratio eſt, quia nullum augmentum materiæ deſtruit illam, ut eſt evidens: tam enim eſt ſubſtantia lapis, quàm rupes. Adverte tamen, quòd mutatio materiæ ſecundùm quantitatem in decremento, poteſt aliquando reddere ſacramentum invalidum; quia non minùs eſt eſſentialis ſacramento forma, quàm materia: ſed diminutio formæ reddit ſacramentum invalidum: ergo, &c. *Deinde*, Sacerdos poteſt conſecrare plures hoſtias, & nequit conſecrare mi-

ui-

nimam & indivisibilem partem exiguæ hostiæ, nec unam vini guttulam, quia materia debet esse moraliter sensibilis & visibilis. *Dices*; Christus conservatur in quavis parte hostiæ, etiam in minima, separatione facta: ergo potest in ipsa produci ex ei verborum. Resp. negando consequentiam, quia aliqua exiguntur, ut res sit, quæ ad conservationem ejusdem non sunt necessaria: nam ut materia consecretur, debet esse demonstrabilis, debet quoque dicere ordinem ad usum materiæ ex qua conficitur sacramentum, v.g. panis debet dicere ordinem ad nutritionem, & sic de cæteris; at post consecrationem, hoc non est necessarium, ut conservetur: ergo diminutio materiæ, seu mutatio materiæ secundùm quantitatem in decremento potest reddere sacramentum invalidum, quod non potest dici de mutatione in augmento.

Sextò Inferes, quòd mutatio materiæ secundùm ubi, reddit aliquando sacramentum invalidum; v.g. si Sacerdos proferret verba circa materiam in aliquo loco dissito positam, sacramentum esset nullum & invalidum, quia requiritur, quòd materia sit præsens, saltem præsentia morali, quæ quidem præsentia aut propinquitas pendet ex morali prudentum judicio.

Septimò inferes, quòd mutatio formæ secundùm voces tantùm seu idioma, non reddit sacramentum invalidum. Tum quia sensus verborum remanet: idem enim est dicere quantùm ad sensum & intentionem Ecclesiæ: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, ac dicere idiomate Gallico, *Je te baptise au nom du Pere, & du Fils, & du S. Esprit.* Tum quia sequeretur, omnes Ministros Ecclesiæ uti debere idiomate Hebraico, aut Syriaco; quoniam Christus dum Sacramenta instituit, alterutro hoc idiomate usus est.

Octa-

Octavò, Quòd dum mutatio verborum fit secundùm quantitatem in augmento, non reddit sacramentum invalidum: v. g. si Sacerdos baptizando diceret, *Ego te baptizo in nomine Patris qui te creavit, & Filii qui te redemit, & Spiritus sancti qui te justificavit*, validum conficeret sacramentum, modò haberet intentionem rectam, faciendi quod Ecclesia facit; quia talis Minister intenderet, quod intendit Ecclesia, & verè pronunciaret verba quæ ad baptizandum Christus instituit: ergo verum sacramentum conficeret. Adverte tamen, quòd dum additio est verborum repugnantium, interposita in forma sacramenti, reddit illud invalidum: v. g. si Sacerdos diceret, *Ego te baptizo in nomine Patris geniti, Filii generantis Patrem, & Spiritus sancti Patre & Filio majoris*, sacramentum esset nullum, quia talis additio tollit formam institutam à Christo, cùm mutet significationem & sensum verborum.

Nonò, Quòd si aliquis Sacerdos proferat corruptè verba sacramentalia, vel ex industria, vel ex imperitia, vel ex balbutie, aut lapsu linguæ, si corruptio sit tanta, ut auferat omninò locutionis sensum, invalidum reddit sacramentum; si verò sit talis quæ sensum verborum non tollat, non reddit sacramentum invalidum. Ratio est, quia in primo casu est mutatio essentialis quæ reddit sacramentum invalidum; & in secundo est variatio accidentalis, cùm idem verborum sensus remaneat: v. g. si Sacerdos diceret, *Ego te baptizo in nomine matris*, ex ignorantia aut lapsu linguæ, certò nullum Sacramentum conficeret; at si diceret ex ignorantia aut lapsu linguæ, aut ex balbutie, *Ego te baptizo in nomine patrias, aut patre, aut patria*, Baptismus esset validus, ut definivit Zacharias Papa in cap. *Retulerunt* de consecratione dist. 4. quia in hoc casu ignorantia non mutat sensum verborum à Christo institutorum, sicut in primo.

Quæres, an Minister ex intentione inducendi novum ritum etiam reprobatum ab Ecclesia, proferens verba Sacramentalia, additione, diminutione, aut quovis alio modo non tollente legitimum sensum, mutata, verum conficiat Sacramentum, si habeat voluntatem faciendi quod facit vera Ecclesia? Resp. affirmativè. Ratio est, quia validitas Sacramenti dependet ab intentione Ministri, de faciendo, quod facit Ecclesia; à materia & à forma, ut constat ex Conc. Florentino citato dicente, *Hæc autem omnia Sacramenta tribus perficiuntur, rebus, verbis & intentione Ministri*; non autem ab animo fideli, vel hæretico: ergo Sacramentum in casu supposito, esset validum. *Deinde*, si Sacerdos Latinus consecraret in pane fermentato cum intentione introducendi in Ecclesiam Latinam ritum Græcorum, verum conficeret Sacramentum: ergo, &c.

Dices: Ille Sacerdos Latinus in tali casu non haberet intentionem Ecclesiæ, imò haberet intentionem contrariam; cùm intenderet introducere errorem quem Ecclesia vetat: ergo Sacramentum esset invalidum. Resp. negando antecedens, quia haberet duas intentiones, prima vellet facere, quod Ecclesia facit, & secunda vellet introducere alium ritum faciendi; unde cùm secunda terminetur & ordinetur ad primam, & prima ad Sacramentum, hæ duæ intentiones non essent contrariæ formaliter; sed tantùm materialiter & circunstantialiter, quod non officit intentioni ad validitatem Sacramenti requisitæ.

Secunda intentio quæ est de novo ritu introducendo, non destruit primam quæ est de intentione Ecclesiæ sequenda: possibile quidem est quòd quis deputatus à principe velit facere plusquàm vult ut faciat princeps v. g. quin intentioni principis contradicat: unde cùm minister ille de quo est quæstio, introducendo novum

ritum, intendat facere, quod facit Ecclesia, & reverà faciat, quod Ecclesia facit, licèt faciat plusquàm Ecclesia, scilicèt addendo verba aliqua legitimo propriorum verborum sensui non officientia, cum non contradicat intentioni Ecclesiæ, verùm efficit sacramentum, quod ex Florentino, ut perficiatur, materiam, formam & intentionem ministri dumtaxat exigit. Hæc omnia in nostro casu reperiuntur, ut supponimus.

Quæres 2. An interruptio verborum faciat essentialem aut substantialem mutationem? *Respondeo*, quòd interruptio parva facit mutationem accidentalem; at verò si notabilis sit, facit mutationem substantialem: hinc est, quòd si quis in baptismo diceret *ego te*, & deinde iret ad aliquid faciendum, seu desisteret & aliquid aliud faceret, & posteà rediret & pronunciaret *baptizo*, & iterum desisteret, & posteà pronunciaret *te in nomine patris*, *&c.* invalidè baptizaret. Ita docent Jannerus, Bellarminus & alii. Idem dico de aliis Sacramentis in quibus notabilis verborum interruptio faceret etiam substantialem mutationem, quæ ut dixi facit sacramentum invalidum: secus dicendum est de mutatione accidentali, quæ facit solùm illicitum. Ratio est, quia unusquisque Ecclesiæ minister tenetur se gerere juxta praxim & usum communem in Ecclesia receptum; igitur addens in sacramentis, eaque accidentaliter mutans, peccat mortaliter, estque gravi pœna puniendus.



DISPUTATIO II.

De existentia Sacramentorum.

CUm sacramenta instituta fuerint propter hominem, & homo considerari possit in statu innocentiæ, in statu legis naturæ, in statu legis scriptæ sive Mosaicæ, & in lege Evangelii; hic visa sacramenti natura, investiganda est ejus existentia quoad omnes illos status.

QUÆSTIO I.

An aliqua Sacramenta fuerint de facto in statu innocentiæ, vel futura fuissent Adamo non peccante, supposito saltem quòd posteri ejus peccassent?

SUppono tamquam certum apud omnes Theologos, Deum de facto nullum instituisse sacramentum in statu innocentiæ. Tum quia ut ait Doctor, *Pro statu innocentiæ non fuit congruum institui sacramentum sicut post lapsum.* Tum quia nullibi in Scriptura, Conciliis, aut SS. Patribus fit mentio sacramenti instituti pro illo statu. Tum quia durante statu innocentiæ, nullus fuit morbus: igitur nec medicina; *Tolle* enim *morbos, tolle vulnera, & nulla erit medicinæ causa,* ait August. quia *non est opus valentibus Medicus, sed male habentibus,* ut docet Christus Matth. 9. Unde difficultas est 1. An Deus ex vi præsentis decreti (non autem ex vi alte-

alterius; certum enim est, quòd potuisset instituere sacramenta) instituisset aliquod sacramentum, si status ille durasset, id est, Adamo & posteris ejus in statu innocentiæ perseverantibus? 2. An Adamo non peccante, Deus instituisset aliqua sacramenta in illo statu innocentiæ, si multi ex Adami posteris peccassent? Gonetus existimat partem affirmativam esse de mẽte Doctoris subtilis, quia (inquit) ipse Scotus asserit Christum venturum, etiam Adamo non peccante. At aliter sentiunt de mente Scoti, Hyquæus, Mastrius, Frassen, Faber & alii recentiores, cum quibus

Dico, quòd si Adam in statu innocentiæ permansisset, etiamsi multi ex ejus posteris peccassent, pro illo statu nulla fuissent à Deo instituta Sacramenta ex vi præsentis decreti. Ita Doctor in 4. dist. quæst. 3. §. *de tertio articulo* litt. D. ubi ait, *Pro statu etiam innocentiæ non fuit congruum institui Sacramentum sicut post lapsum, quia & si tunc homo non potuit nisi ex sensibilibus cognoscere intelligibilia; tamen nullum sensibile fuit necessarium tanquam conferens ad salutem, removendo aliquod impedimentum salutis, ut scilicet possit dici propriè medicina.*

Prob. 1. Deus de facto nullum sacramentum instituit pro statu innocentiæ, in quo Adam fuit creatus, ut docet communis opinio Scotistarum, & ut in principio quæstionis patet: ergo ex vi præsentis decreti nullum sacramentum instituisset, si diù durasset status innocentiæ. Antecedens est certum. Prob. consequentia 1. Si Deus ex vi præsentis decreti quo Sacramenta in lege Evangelica instituit, ea in statu innocentiæ instituisset, facta hypothesi de duratione ejusdem, de facto ea instituisset pro illo brevi tempore: nam ea instituisset propter utilitatem hominum innocentium, vel propter dignitatem & gloriam status innocentiæ, vel propter cultum divinum, aut aliud motivum;

sed tam fuissent utilia Sacramenta primis parentibus in statu innocentiæ in quo fuerunt, quàm si in ipso permansissent; imò utiliora, quoniam posterorum confirmatio in statu innocentiæ, à perseverantia primorum parentum dependebat. Præterea, pro statu innocentiæ tam fuit congrua gloria, aut dignitas, cùm duratio rerum naturam, nec essentialem statum variet: Deus etiam erat à primis parentibus, eorumque posteris adorandus in illo statu innocentiæ, ac si diù durasset. *Tandem*, nullum fuisset motivum quod non fuerit pro illo brevi tempore quo status innocentiæ in Adamo duravit: ergo si Deus ex vi præsentis decreti instituisset Sacramenta, si status innocentiæ diù perseverasset, ea de facto instituisset pro illo brevi tempore. 2. Sacramenta ex vi propriæ naturæ & institutionis habent rationem mediorum, hominem ad finem conducentium, & consequenter dari debent in illo instanti in quo homo tendit ad finem, & ad ipsum ordinatur; sed Adam in statu innocentiæ tendebat ad finem, & erat ad ipsum à Deo ordinatus: ergo si Deus decrevisset dare illi hæc media, si in eodem statu diù perseverasset, ea illi dedisset in principio ejusdem status innocentiæ, ut in illo tunc obtinere potuisset id quod obtinuisset per eadem Sacramenta, si in statu innocentiæ perseverasset.

Confirm Decretum de instituendis Sacramentis in statu innocentiæ, est conditionatum, vel absolutum? Non primum; quia Sacramenta à nullâ conditione dependent, quoniam si dependerent, vel à peccato, vel à perseverantia status innocentiæ? Si à peccato: ergo si Adam non peccasset, Christus etiamsi venisset, nullum Sacramentum instituisset. Si à perseverantia status innocentiæ: ergo statu innocentiæ deficiente, seu Adamo peccante, nullum Sacramentum Christus instituisset, quod falsum esse probat septem Sacramentorum existentia. Unde decretum de

Sa-

Sacramentis instituendis est absolutum : ergo non est pro statu innocentiæ; & consequenter cùm in ipso non instituerit illa, nec ea instituisset ex vi præsentis decreti, si diù durasset. Prob. consequentia: Decretum absolutum est infallibile & inevitabile sublato quocumque alio: ergo si præsens decretum de instituendis Sacramentis, esset pro statu innocentiæ, instituta fuissent in illo statu, quod est falsum; idcircò Deus non decrevit instituere Sacramenta nisi post lapsum; ideòque ex vi præsentis decreti quo Sacramenta instituit, non instituisset ea in statu innocentiæ, si diù durasset, sed potuisset ex vi alterius, quod non disputamus.

Prob. 2. Si status innocentiæ durasset, seu si Adam non peccasset, etiamsi multi ex ejus posteris peccassent, nulla fuisset necessitas Sacramenti: ergo Christus quamvis fuisset, nullum Sacramentum instituisset. Consequentia patet. Prob. antecedens: Necessitas Sacramentorum est moralis, seu ex vi decreti de eorum institutione, quia prout sunt elementa & entia physica, fuerunt in statu innocentiæ. Prima necessitas propter quam Deus decrevit instituere Sacramenta, est sanctificatio hominum; altera verò est eorum instructio de rebus supernaturalibus, cùm nullum alium effectum in nobis præstent; per Sacramenta siquidem vel recipimus gratiam aut ejusdem augmentum, vel res super naturales ediscimus; sed si status innocentiæ durasset, posteri omnes Adami accepissent gratiam per modum naturæ, & scientiam quæ ad eos dirigendos in operibus justitiæ supernaturalis necessaria fuisset, cùm peccatum originale sit causa ignorantiæ : ergo nulla fuisset necessitas.

Prob. minor 1. Scotus loco citato ait, *Ex hoc apparet, quòd in statu patriæ nullum congruit Sacramentum*. Et paulò post addit, *Pro statu etiam innocentiæ non fuit congruum institui Sacra-*

cramentum, sicut post lapsum: ergo ex Doctore, cùm non fuerit congruum, nulla fuit necessitas; cùm necessarium, sit congruum. 2. Si fuisset necessitas instituendi Sacramentum, maximè propter peccata quæ posteri commisissent; sed ex hoc non deducitur sufficiens necessitas. Tum quia Sacramenta ex propria institutione sunt ordinata tantùm in remedium peccati originalis, vel actualis ab originali provenientis dumtaxat. Tum quia in illo statu Deus providisset de remedio opportuno, statui innocentiæ magis proportionato: ergo nulla fuisset necessitas.

Prob. 3. Sacramenta habent efficaciam à morte & Passione Christi: ergo ex vi præsentis decreti non fuisset in statu innocentiæ, si durasset, cùm Christus non fuisset mortuus, etiamsi venisset Adamo non peccante. Prob. antecedens 1. Sacramēta sunt quædam medicinę spirituales: ergo totam virtutem accipiunt à medico & medicina salutis, quæ est mors & Passio Christi. 2. Sacramenta ex SS. Patribus sunt fontes è latere Christi crucifixi emanantes. 3. Sunt signa, homines cum Deo reconciliantia. 4. In sacra Scriptura dicuntur arma militiæ nostræ: ergo habent efficaciam à morte Christi; subindeque si status innocentiæ durasset, nullum fuisset Sacramentum, cùm Christus nec mortuus, nec passus fuisset.

Dices 1. Qui vult finem, vult etiam media in quocumque statu in quo vult finem; sed in statu innocentiæ Deus voluit hominibus gloriam quæ est finis: ergo voluit etiam sacramenta quæ sunt media ad gloriam: & consequenter si status innocentiæ perseverasset, Sacramenta instituta fuissent. *Resp.* distinguendo majorem: Dum finis dependet à mediis absolutè & per se, concedo; Dum dependet tantùm ratione alicujus impedimenti & per accidens, nego: Nam ordinatè volens, potest velle finem quin velit media à quibus finis non dependet absolutè & per se. undè concessa minori, nego conse-

sequentiam: quia gloria dependet à Sacramentis ratione infirmitatis & impedimenti, quæ per Sacramenta tolli possunt, quoniam sunt medicinæ; & consequenter cùm in statu innocentiæ nulla fuisset infirmitas, nullumque impedimentum, Sacramenta non fuissent necessaria ad gloriam consequendam, nec media.

Instabis: In statu innocentiæ, si diù durasset, homines potuissent peccare, sicut de facto Adam peccavit: ergo in statum innocentiæ potuit esse infirmitas & impedimentum ad gloriam conseqendam. Resp. negando consequentiam, 1. Quia peccatum in statu innocentiæ ab aliquo ex Adami posteris commissum, non expulisset gratiam originalem, quæ in doctrina Scoti est distincta à gratia habituali, & consequenter per alia media, quàm per Sacramenta, homo gratiam recuperare potuisset, nimirum per actus contritionis & amoris Dei; subindeque si status innocentiæ perseverasset, nullum Sacramentum institutum fuisset, quia impedimentum aut infirmitas ex peccato proveniens, à Sacramētis fuisset independens. 2. Quia licèt in statu innocentiæ habuissent Adæ posteri potentiam ad peccandum, non tamen ita facilem ut modò. Tum quia tunc fuissent sine peccati fomite, qui est effectus peccati. Tum quia ut ait Doctor in 2. dist. 20. quæst. unica §. *ad primum argumentum*, cum D. Anselmo, si status innocentię durasset, mirabiliter fuissent adjuti Filii ne peccassent, tum propter justitiam originalem, tum propter doctrinam parentum: ergo nullum fuisset impedimentum ad gloriam consequendam exigens Sacramentum.

Instabis itèrum: Si status innocentiæ durasset, Christus qui venisset, instituisset Sacramentũ Eucharistię, ut colligunt plures Scotistę ex illo Joa. 13. *Cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos*: ergo. Resp. Frassen, concedendo instantiam, licèt nostrã tueatur sententiã. Resp. tamen, negando instantiam, quia licèt motivum

instituendi hoc Sacramentum sit amor, datur tamen aliud motivum, quod est primarium & principalius, nimirũ ratio sacrificii Passionis Dominicæ rememorativi, ut liquidò constat ex oratione sanctissimi Sacramẽti, ubi dicitur, *Deus qui nobis sub Sacramento mirabili, Passionis tuæ memoriam reliquisti*: unde cùm istud primarium & principalius motivũ defecisset, si status innocentiæ durasset, & ipso motivo deficiente, defecisset etiam secundarium & minùs principale, sequitur, quòd Christus nõ instituisset Eucharistiæ Sacramentũ.

Instabis; Si Adamus non peccasset, Verbum divinum carnem assumpsisset, quamvis defecisset unum ex motivis incarnationis: ergo etiam instituisset Sacramentum Eucharistiæ, cessante ratione sacrificii. Resp. negando consequentiam, quia redemptio hominũ non est principalius, nec primarium motivum incarnationis, ut dictum est in 3. tom. & consequenter ipso cessante, subsistere potuit primarium & principalius; at ratio sacrificii est ratio principalior & primaria, movens ad institutionem Sacramẽti Eucharistiæ, quod quidem Sacramentum institutum est per modum convivii, & cibi & potus, quæ nomina supponunt materiam passibilem: ergo cessante hac ratione sacrificii, nullum remansit motivum instituendi hujusmodi Sacramentum; cum remoto principaliori motivo, cesset minùs principale.

Dices 2. Institutio Sacramentorum non est contra debitum ordinem & perfectionem status innocentiæ; imò ad ejus perfectionem tendit. Tum quia in illo statu, gratia quam habuissent homines, potuisset augeri per Sacramenta quæ vivorum appellantur. Tum quia Sacramenta Ecclesiã Dei exornant & locupletant: ergo si status innocentiæ durasset, Deus in ipso aliquod Sacramentum instituisset. Resp. reverà Sacramentorum institutionem non fuisse contra debitum ordinem & perfectionem status innocentiæ, dico tamen fuisse contra ordinem convenientiæ, &

natu-

naturam Sacramentorum, quæ cùm sint medicinæ, in remedium peccati dumtaxat institui possunt: perfectio enim esset universo, si Spiritus sanctus assumeret naturam humanam; tamen eam non assumet, quia est contra ordinem convenientiæ & exigentiæ, licèt non sit contra ordinem & perfectionem universi. Ad 1. prob. dico quòd homines propriis actibus cum auxilio Dei elicitis, & ex opere operantis, augmentum gratiæ potuissent acquirere: ergo fuisset contra ordinem congruentię & ordinatè agentis, pro illo statu Sacramenta instituere. Ad 2. prob. concesso antecedente, nego consequentiam; quia sunt ornamenta & divitiæ, quæ supplent imperfectionem, quatenùs supponũt in homine, seu in membris Ecclesiæ vulneratis per peccatum originale & actuale ex ipso proveniens, infirmitatem & bonorum operum inopiam ad consequendam gratiam per proprios actus, & ex opere operantis; at status innocentiæ erat infirmitatis & inopiæ expers: ergo non erat congruum per Sacramenta illum exornare, nec fuisset perfectior.

Dices 3. cum Brancato: In statu innocentiæ dictasset humana ratio, Deo deberi summum cultum intellectus & voluntatis, perfectissimo modo exhibendum: ergo fuissent in illo statu Sacramenta propriè dicta. Antecedens patet. Prob. consequentia: Nam summus Dei cultus non consistit in solis actibus internis, sed debet etiam per externos manifestari, sicut nec modò sufficit fidem & charitatem internam habere, nisi externis signis comprobetur: ergo fuissent in illo statu actus externi religionis, putà sacrificia & alia. Resp. concesso antecedente, negando cõsequentiam; perfectissimus enim modus exhibendi Deo cultum, est exhibere illum in corde perfecto & in statu innocentiæ. Ad prob. nego consequentiam, si per *Ly alia* intelligantur Sacramenta: verum enim est, quòd in statu innocentię fuissent sacrificia per quæ homines summum Deo exhibuis-

buissent cultum, non autem Sacramenta, licèt in ipsis, cultus Deo exhibeatur. Ratio est, quia sacrificia sunt de jure naturali, ut docet D. Thomas; Sacramenta verò non sunt de jure naturali, cùm instituta fuerint veluti medicinæ propter infirmos: ergo quia status innocentiæ si durasset, jus naturale retinuisset, & infirmos non habuisset, homines pro illo tunc cultū Deo exhibuissent per sacrificia, non verò per Sacramenta.

Dices 4. Ex Doctore loco citato, congruum fuit post lapsum Sacramenta institui, quia homo in statu naturæ lapsæ non potuit spiritualia & invisibilia cognoscere, nisi per signa sensibilia, nimirum Sacramenta, quæ sunt instrumenta gratiæ invisibilis: sed hæc ratio tenet in statu innocentiæ: ergo ex Scoto, si status ille durasset, Deus instituisset Sacramenta. Resp. negando minorem. Tum quia colligitur ex eodem Doctore, qui ut ostendat rationem non habere locum in statu innocentiæ, loquitur de statu innocentiæ, sicut de statu patriæ, ut patet in probatione. Tum quia statui innocentiæ, qui perfectissimus erat, modus ille obscurus significandi & ænigmaticus non conveniebat; aliàs tunc natura humana habuisset perfectiorem notitiam de rebus supernaturalibus, quod est falsum.

Dices 5. cum Boyvino: Deus non reliquisset homines sine remedio: ergo credibile est, quòd pro tunc instituisset Sacramenta. Resp. negando consequentiam, quia in statu innocentiæ nulla fuisset infirmitas; ideòque nullum remedium esset relinquendum.

Instabis: In statu innocentiæ verè fuit Sacramentum matrimonii; nam sancti Patres exponunt illud ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia*, de matrimonio Protoparentum, quorum conjugium fuit figura unionis Christi cum Ecclesia: ergo si innocentiæ status durasset, fuisset Sacramentum matrimonii ex vi præsentis de-

decreti: *Nego* instantiam, quia conjugium Protoparentum non erat verè Sacramentum in statu innocentiæ, nec fuisset, si talis status durasset; sed solùm quatenus est officium naturæ, & speciei propagandæ necessarium; quamvis ex consequẽti significet unionem Christi cum Ecclesia. Nec per hoc licet inferre Protoparentum conjugium fuisse verum Sacramentum, alioquin sequeretur, quòd omnes figuræ quæ Christi adventum præcesserunt, fuissent revera id quod Christus fuit, quod est omninò improbabile.

QUÆSTIO II.

An in statu legis naturæ fuerint vera Sacramenta, tam pro adultis, quàm pro parvulis, eaque immediatè à Deo determinata fuerint, & necessaria necessitate medii ad salutem?

PEr legis naturæ statum, Theologi intelligunt tempus ab Adamo lapso usque ad Moysem, cui data fuit lex à Deo in summitate Montis Sinai, quæ duravit à Moyse usque ad Christum; unde homo ab Adamo lapso usque ad Moysem, fuit sub lege naturæ: à Moyse usque ad Christum, in lege scripta: & à Christo usque ad finem mundi, est & erit in lege Euangelii & gratiæ. Difficultas igitur est 1. An in statu naturæ, seu ab Adamo peccante usque ad Moysem, fuerint aliqua Sacramenta vera pro adultis & pro parvulis? 2. An talia Sacramenta fuerint à Deo determinata, sicuti determinata sunt in lege gratiæ, an verò relicta in hominum arbitrio? 3. An fuerint necessaria ad salutem necessitate medii? Quantùm ad primum & tertium difficultatis membrum, affirmant omnes Theo-

Theologi. Quantùm ad secundùm, Gonetus docet Sacramenta legis naturæ fuisse relicta in hominum arbitrio; Scotus verò aliter sentit.

Dico igitur 1. Quòd in lege naturæ fuerunt vera Sacramenta pro parvulis & pro adultis in remedium peccati originalis & actualis, eaque sensibilia & exteriora, atque necessitate medii ad salutem necessaria. Prob. 1. pars ex D. Gregor. Papa lib. 4. Moral. cap. 2. dicente, *Quod agit apud nos aqua Baptismi, hoc egit apud veteres pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii.* 2. ex D. August. lib. 5. contra Julianum cap. 9. sic dicente, *Non est credendum ante datam circumcisionem famulis Dei, quandoquidem illis inerat mediatoris fides, nullo ejus Sacramento opitulatos esse parvulis suis, quamvis quid illud esset, aliqua necessaria causa, Scriptura sacra tacere voluerit.* 3. ex Doctore in 4. dist. 1. quæst. 7. §. *Respondeo*, dicente, *Nullo tempore dimisit Deus cultores suos sine remedio necessario ad salutem; sed omni tempore post lapsum fuit necessaria ad salutem deletio peccati originalis: ergo quocumque tempore aliquod remedium efficax erat ad hoc.* 4. Deus durante statu naturæ volebat salutem omnium: ergo dabat omnibus medium ad salutem; sed principalius, imò & unicum parvulis ad salutem remedium, est deletio peccati originalis: ergo in statu naturæ in quo erat peccatum originale, erat etiam remedium, putà aliquod Sacramentum.

Prob. 2. pars: Tum quia Sacramentum in lege naturæ erat remedium: ergo modo humano applicari debebat; sed modus humanus exigit, ut per aliquod signum sensibile & externum, non verò per actum fidei internum fieret: ergo in lege naturæ Sacramentum erat signum sensibile & externum. Tum quia si Sacramentum fuisset aliquid insensibile, nempè solus actus fidei interioris parentum in Christum venturũ, ad parvulos suos explicitè vel implicitè directus, ut volunt adversarii, sequeretur 1. quòd parvulo absen-

senti potuisset applicari illud remedium, nimirum fides interna; sed hoc est ridiculum: ergo. 2. Quòd unus plures parvulos simul justificare potuisset, quod est falsum: ergo. Tum quia per tale Sacramentum puer Deo initiabatur, & Ecclesiæ visibili conjungebatur: ergo per applicationem remedii visibilis, externi & sensibilis, non autem per fidem internam.

Prob. 3. pars: Sacramentum in lege naturæ, erat quoddam signum externum & sensibile, ut dictum est, & determinatum à Deo, ut dicemus in conclusione sequenti, ad delendum peccatum originale: ergo erat necessarium necessitate medii ad salutem, cùm deletio peccati originalis sit omninò ad salutem necessaria.

Dices 1. De Sacramentis nihil definiendum est, nisi quod in Scriptura revelatum est; cùm sint signa gratiæ, quæ supernaturalis & invisibilis est: sed nullibi in sacra Scriptura revelatur, fuisse Sacramenta in lege naturæ, ut ait D. August. supra citatus: ergo. Resp. 1. hoc argumentum militare etiam contra illos qui actum internum fidei admittunt. 2. Nego minorem: Constat enim implicitè & illativè, quod sufficit. 3. Constat ex SS. Patribus: ergo licèt in sacra Scriptura non constet, nihilominùs authoritate Patrum quibus Spiritus sanctus veritates manifestare voluit, dici potest nostra propositio.

Dices 2. Sacramenta in lege naturæ nullam causalitatem habere poterant; erant enim egena & vacua: ergo pro illo statu nullum fuit propriè Sacramentum, quoniam de ratione & natura Sacramenti propriè dicti, est conferre gratiam. Resp. Sacramenta legis naturę non habuisse causalitatem activam & ex opere operato, quam habent Sacramenta novæ legis, sed fuisse signa moraliter moventia & excitantia Deum, ut ob merita Christi futuri, gratiam conferret, ea ritè, & debitè suscipientibus. Unde non dicuntur egena & vacua absolutè, sed comparatione

ad

ad Sacramenta novæ legis, quorum erant figura & umbra.

Dico 2. Sacramenta legis naturæ non fuisse relicta in hominum arbitrio, sed determinata immediatè à Deo in particulari. Ita Scotistæ cum Doctore. Hæc conclusio est contra Gonetum. Prob. Tum quia solius Dei est, non verò humani arbitrii determinare justificationem hominum, & peccati originalis deletionem per gratiam, ut est evidens: ergo solus Deus determinavit in lege naturæ Sacramenta, per quorum applicationem, gratia erat conferenda; quoniam Sacramenta pro illo statu, sicuti pro isto statu, specificabantur à gratia & applicabantur propter ipsam. Tum quia Sacramenta in lege naturæ, erant remedia & quædam medicinæ spirituales propter infirmitatem, aut sanitatem recuperandam, à solo Deo cognitam: ergo solus Deus, qui verus medicus est, præparavit & determinavit remedia, seu Sacramenta infirmis legis naturæ, nec ea hominum arbitrio præparanda aut eligenda reliquit. Tum quia si Deus reliquisset hominum arbitrio Sacramenta, magna fuisset inter ipsos contentio, an istud, vel aliud signum esset idoneum ad peccatum originale delendum; sed contentio est vitanda: ergo. Tum quia incredibile est Deum revelasse peccatum originale esse delendum per signum externum, parvulis à parentibus applicandum, & non revelasse quale signum; quippe cùm propemodùm infinita sint signa sensibilia, homines remansissent suspensi, aut ad minus semper dubitare potuissent; sed Deus revelavit Prophetis & viris sanctis signa seu Sacramenta: ergo revelavit ea determinatè & distinctè, seu ista signa esse Sacramenta, non verò illa.

Obj. 1. Gonetus: Cùm status legis naturæ esset à Christo remotior statu legis scriptæ, fidem in ipsum habebat magis obscuram, & consequenter non exigebat Sacramenta à Deo in particulari

lari determinata: *Secundò*, cùm eo tempore nondum esset Scripturæ sacræ usus, neque homines in unum corpus adunarentur, vix potuisset divina talium signorum determinatio omnibus innotescere.

Denique, non est assignabile ex Scriptura, aut traditione aliquod signum sensibile, in quo determinatè Sacramentum in remedium peccati originalis Deus in lege naturæ instituerit; aliunde verò nulla afferri potest hujus determinationis congruentia, sed potiùs ejus indeterminatio congrua erat statui illius legis, ut ostensum est: ergo absque fundamento Scotus & Ricardus asserunt illud Sacramentum fuisse immediatè à Deo determinatum in particulari.

Resp. primam rationem non officere conclusioni nostræ, quia ex determinatione Sacramentorum in particulari, non sequitur statum legis naturæ habuisse fidem clariorem, quàm status legis scriptæ, ut est evidens: *Deinde*, licèt status legis naturæ esset à Christo remotior statu legis scriptæ, & fidem magis obscuram habuisset; tamen non valet ex hoc inferri non habuisse Sacramenta determinata, quia major fidei claritas in lege scripta, ex Prophetarum vaticiniis, ex revelationibus, aliisque signis Salvatoris venturi, proveniebat: ergo non est locus recurrendi ad Sacramentorum indeterminationem, ut salvetur differentia fidei in utroque statu, cùm determinatio sit omninò admittenda, supposita Sacramentum necessitate: necessarium enim erat homini in statu naturæ, sicut in aliis, scire certam operandi regulam, & ad salutem perveniendi idonea media, & consequenter determinata.

Ad *secundam rationem*, dico quòd facilè divina talium signorum determinatio innotescere potuit, omnes siquidem sciebant Sacramenta esse necessaria ad delenda peccata & sanctitatem obtinendam, ut fatentur omnes: ergo eadem noti-

notitia, aut manifestatione, vel inspiratione, ea scire poterant determinatè & distinctè: imò facilius fuisset habere notitiam determinatam, quàm confusam & vagam in hac materia. *Deinde*, quamvis vix potuisset innotescere, tamen ex rei difficultate non licet inferre privationem ejusdem, quia difficultas non est impossibilitas: ergo ratio non concludit.

Ad *denique*, dico quòd militat contra ipsum: nam non est assignabile ex sacra Scriptura in lege naturæ fuisse Sacramenta, ut fatetur ipse Gonet. quo nonobstante concedit in ipso statu fuisse vera Sacramenta: ergo licèt non constet de ipsorum determinatione, possunt nihilominùs illa concedere. Dico tamen quòd quamvis non constet explicitè, constat tamen implicitè: nam pro omni statu ex sacra Scriptura ad divinam providentiam pertinet dare & manifestare hominibus signum salutis & remedium, & præsertim dum viribus propriis cognosci nō potest: ergo ad eamdem providētiam spectat determinare quodnam esset in statu naturæ, ut esset omnibus manifestū. *Deinde*, quid hujusmodi determinatione congruentius? 1. Ne fluctuaret homo de certitudine signi pro se adhibiti, si sciret illud non fuisse determinatum, & electum à Deo. 2. Electio aut determinatio Sacramentorum, non est sicut applicatio eorumdem, quia applicatio pertinet ad Ministros, & electio ad causam & authorem; at homines non sunt causa Sacramentorū, sed tantùm Ministri: ergo congruum fuit relinquere hominibus applicationē, non verò electionē & determinationē; aliàs homines in statu legis naturæ fuissent authores Sacramentorum, quoniam elegissent quid voluissent in Sacramentū & signum ad delendum peccatum originale, quod est falsum: ergo Scotus cum fundamento asserit illud Sacramentum fuisse immediatè à Deo determinatū in particulari. 3. Figura aut umbra determinatur sicut illud cujus est, cùm sit quodammodo imago; sed

ſed ſacramenta in lege naturæ erant figura Sacramentorum novæ legis: ergo erant determinata à Deo.

Hìc obiter obſerva authoritatem divi Gregorii adductam ſuprà in prima concluſione, qua probari videtur actum fidei internum, aut ſolam fidem fuiſſe in lege naturæ Sacramentum, non eſſe intelligendam ſeu accipiendam pro ſolo habitu fidei, aut pro actu interiori tantùm, ſed pro actu exteriori ſenſibili proteſtāte fidē: ille autē actus ſufficiēter potuit habere rationē Sacramenti, ut ait Scotus loco citato §. *ad primum*. Hanc proteſtationem eſſe ſenſibilem probat idem Doctor dicens, *Iſta proteſtatio fiebat in verbo aliquo invocandi Deum, vel offerendi parvulum Deo*; undè divus Gregorius ſic eſt intelligendus, & pro noſtra concluſione aſſerendus, non verò pro oppoſita, quæ tuetur fidem internam & inſenſibilem fuiſſe in lege naturæ Sacramentum: quod iterum impugno hac ratione ſequenti.

Remedium aut Sacramentum, quod erat in lege naturæ ad delendum peccatum originale, erat applicandum aut conferendum pueris natis & præſentibus, quia de natura medicinæ eſt recipi ab infirmo, & remedii eſt applicari vulneri actuali dumtaxat; atqui actus purè internus fidei & intentionalis poteſt æquè dirigi ad pueros in utero Matris exiſtentes, aut nondum natos, ac ad eos qui ſunt extra uterum, ad abſentes ſicut ad præſentes: ergo hujuſmodi actus fidei non poterat in lege naturæ eſſe remedium determinatum à Deo ad delendum peccatum originale parvulorum, nec Sacramentum. Tum quia talis actus fidei poterat dirigi circa abſentes. Tum quia ſi verum ſit, quòd poterat dirigi, ſequeretur quòd remedium in lege naturę erat perfectius baptiſmo, & majorem habebat efficacitatem, cùm baptiſmus pręſentibus dumtaxat applicari poſſit; quod eſt falſum, alioquin ſequeretur ſtatum naturæ fuiſſe perfectiorem ſtatu Evangelii.

QUÆSTIO III.

An in lege Mosaica, præter circumcisionem, alia fuerint vera Sacramenta, & quot?

DIco, quòd in veteri lege præter circumcisionem fuerunt alia Sacramenta propriè dicta; imò plura habuit Sacramenta status legis antiquæ seu Mosaicæ, quàm status legis gratiæ. Prob. 1. pars. Tum quia in Conciliis dum Patres loquuntur de Sacramentis veteris legis, loquuntur in numero plurali, ut constat ex Trid. sess. 7. can. 2. & ex Florent. in decreto Eugenii: ergo in lege Mosaica erat plus quàm unum Sacramentum, & consequenter circumcisio non erat solum Sacramentum. Ita sentiunt SS. Patres. Tum quia in veteri lege comestio agni Paschalis erat figura Eucharistiæ; & circumcisio, Sacramenti Baptismi: ergo erat aliud Sacramentum præter circumcisionem.

Prob. 2. pars. Tum ex August. lib. 19. contra Faustum cap. 13. ubi sic ait: *Sacramenta veteris legis ablata sunt quia impleta; & alia sunt instituta, virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, & numero pauciora*: ergo ex D. August. in lege veteri, numerus Sacramentorum erat major. Tum quia quod est perfectius, est rarius; sed Sacramenta novæ legis sunt perfectiora Sacramentis antiquæ legis: ergo lex antiqua habuit plura Sacramenta, quàm lex nova. Tum quia plures sunt corporum imagines, quàm corpora ipsa, ut notat Gonet. ergo in statu legis antiquæ numerus Sacramentorum erat major, quia in illo statu Sacramenta erant figuræ & imagines Sacramentorum novæ legis, ut notat Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis part. 11. cap. 6. dicens: *Prima Sacramenta*

ta legis naturalis, quasi veritatis umbra; quæ verò tempore legis Moysis, quasi quædam imago veritatis; quæ autem sub gratia novissimè consequuntur, jam non umbra vel imago, sed ipsum corpus veritatis: ergo ſtatus legis antiquæ plura habuit Sacramenta, quàm ſtatus legis novæ.

Quæres, an poſt Chriſti adventum, ſeu in nova lege, aliqua debuerint eſſe Sacramenta, diverſa ab his quæ erant in lege veteri? Reſp. affirmativè. Tum quia cùm per divinæ incarnationis myſterium, homo novas acceperit vires, & in Dei Filium aut hæredem, & cohæredem Chriſti, ut ait Apoſt. adoptatus fuerit, perfectioribus Sacramentis initiari debuit. Tum quia exhibendum erat in nova lege, quod lex antiqua promittebat; Sed Sacramenta veteris legis erant umbræ Sacramentorum novæ legis: ergo hæc Sacramenta erant exhibenda, ut figuræ eſſent veræ. Tum quia Sacramenta veteris legis erant elementa egena & vacua: ergo in nova lege erant inſtituenda alia Sacramenta, plena & effectiva gratiæ. Tum quia ſtatus novæ legis eſt ſtatus perfectior: ergo debuit habere Sacramenta perfectiora, & conſequenter habuit Sacramenta diverſa ab his quæ erant in lege veteri.

Inſuper: Chriſtus Dominus eſt omnium novæ legis Sacramentorum immediatus inſtitutor, ut deciſum fuit in Tridentino ſeſſ. 7. can. 1. & ſeſſ. 14. de Extrema Unctione can. 1. ubi legitur: *Si quis dixerit Extremam Vnctionem non eſſe verè & propriè Sacramentum à Chriſto domino noſtro inſtitutum, & à Beato Iacobo promulgatum, ſed ritum tantùm acceptum à patribus, aut figmentum humanum, anathema ſit*: ergo in nova lege habemus Sacramenta diſtincta à Sacramentis, quæ patres noſtri habuerunt in lege ſcripta: nam ſi haberemus eadem, Chriſtus non eſſet immediatus inſtitutor Sacramentorũ, cùm fuiſſent & extitiſſent ante adventum Chriſti, & uteremur circumciſione, quæ, ut dicemus, erat Sa-

Sacramentum in veteri lege: unde cùm Christus sit Sacramentorum nostrorum institutor, & circumcisio sit nobis prohibita 1. Corinth. cap. 7. vers. 19. *Circumcisio nihil est*, & ad Galatas 5. vers. 2. ait, *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*, certum est nos in nova lege habere Sacramenta distincta à Sacramentis legis scriptæ.

Dices: Sacramenta veteris legis instituta fuerunt, ut in perpetuum subsisterent; ita ex variis Scripturę locis & prę sertim ex 12. & 14. Levitici: ergo adhuc subsistunt & sunt nostra. Probatur consequentia: Deus non mutatur, & ideo voluit homines post Christi adventum sanctificari per eadem remedia & Sacramenta, per quæ voluit homines sanctificari ante adventum Christi; cùm in utroque statu, homines sint in eadem infirmitate, & tendant ad eumdem finem, & gratia sanctificans in nova lege non sit distincta specificè à gratia veteris legis seu Mosaicæ.

Respondeo distinguendo antecedens: Sacramenta veteris legis instituta fuerunt, ut subsisterent in ratione signi, nego; in ratione significati, concedo: circumcisio enim erat figura baptismi, & sacerdotium Aaronicum figura sacerdotii legis Evangelicæ in perpetuum conservandi, quo adveniente cessavit sacerdotium Aaronicum, quia adveniente veritate, cessare debet figura quæ ejusdem veritatis vices gerebat: ex quo sequitur vetera Sacramenta fuisse instituta, ut subsisterent tantùm in ratione significati, non verò in ratione signi. Quare neganda est consequentia, ad cujus probationem dico Deum non mutari, quamvis in lege nova nobis alia dederit Sacramenta, quia juxta variam temporum differentiam, de remediis convenientioribus disposuit divina providentia; *Nonne*, quin Deus mutetur, *diurnis tempora nocturna vertuntur? quoties nostræ variantur ætates? adolescentiæ pueritia non rediturae cedit; juventus adolescentiæ, non mansura*:

sura: juventuti senectus, senectus autem morte finitur, inquit Augustinus epist. 5. *Hæc omnia mutantur, nec mutatur divinæ providentiæ ratio qua fit ut ista mutentur*.



DISPUTATIO III.

De gratia Sacramentali.

Visis Sacramentorum natura & existentia, modò examinandus est eorum effectus, qui est gratia; unde sit

---

QUÆSTIO I.

An Sacramenta novæ legis sint causa gratiæ, eamque conferant ex opere operato non ponentibus obicem?

Dico 1. Sacramenta novæ legis gratiam conferre non ponentibus obicem; subindeque non esse solùm signa executiva fidei, vel notas quibus Fideles ab infidelibus discernuntur. Ita expresse definitum est in Trid. sess. 7. can. 6. Prob. 1. Quod remittit peccata, confert gratiam; cùm peccata non deleantur formaliter nisi per gratiam, quemadmodum gratia non expellitur nisi per peccatum; sed per Sacramenta, peccata remittuntur, ut constat ex illo Act. 2. *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*: ergo Sacramenta novæ legis conferunt gratiam. 2. Sacramenta dicuntur fontes aquæ salientis in vitam æternam: ergo conferunt gratiam quæ ducit ad vitam æternam. 3. Baptismus non con-

confertur ad excitandam, nec designandam extrinsecè fidem, cùm detur parvulis qui non sunt capaces excitationis nec cognitionis fidei: ergo confertur ad delendum peccatum originale, & ad conferendam gratiam, cùm salventur, dum statim post Baptismum moriuntur. 4. Si Sacramenta novæ legis essent tantùm necessaria ad excitandam fidem, & ad distinguendos Fideles ab infidelibus; sequeretur, quòd nullum Sacramentum esset simpliciter necessarium, quia homo posset excitari ad fidem ex conc ionibus & internis illuminationibus, per quam fidem fideles ab infidelibus distinguerentut.

Dices, Ex Apost. Hebr. 10. *Iustus ex fide vivit*: ergo sanctitas non causatur per Sacramenta, sed per fidem, & consequenter Sacramenta novæ legis non conferunt gratiam. Et ad Ephes. 5. ait: *Mundans eam*, scilicet Ecclesiam, *lavacro aquæ, in Verbo vitæ*: sed Verbum vitæ, est ex fide, & operatur excitando fidem: ergo Baptismus mundat excitando fidem. Resp. quòd hæc verba intelligenda sunt dispositivè & antecedenter, non verò formaliter, quia Sacramentum Baptismi confert fidem simul cum gratia; & ipsa fides est fundamentum gratiæ; unde sine gratia, justus non est formaliter justus, nec vivit, sed tantùm dispositivè.

Dico 2. Sacramenta novæ legis conferre gratiam ex opere operato. Ita definitum est in Trid. sess. 7. can. 8. Prob. Sacramentum conferre gratiam ex opere operato, nihil aliud est quàm eam conferre immediatè per seipsum ex virtute quam habet ex Passione Christi, quæ est opus operatum; non verò ex merito conferentis vel recipientis: sed Sacramenta novæ legis sic conferunt gratiam: ergo conferunt eam ex opere operato. Prob. minor. 1. Sacramenta sunt medicinæ spirituales à Christo institutæ: ergo non habent virtutem sanandi à bonitate applicantis aut recipientis, quod idem est ac eam habe-

habere ex opere operantis, ſed à ſeipſis & ex virtute Chriſti, qui ea ordinavit in ara crucis; quod idem eſt ac ex opere operato. 2. Si non conferrent gratiam per ſeipſa & per virtutem quam habent ex Paſſione Chriſti, non differrent ab obſervantia præceptorum, nec ab operibus meritoriis, nec a ſacramentis antiquæ legis; ſed hoc eſt falſum, ut liquidò conſtat: ergo, &c.

Dices: Exigitur aliqua diſpoſitio in ſuſcipiente Sacramentum: ergo Sacramenta non cauſant gratiam ex opere operato. *Reſp.* negando conſequentiam, quia cauſalitas Sacramenti ex opere operato non excludit diſpoſitiones operantis, ut advertit Gonet. ſed tantùm opus operantis tamquam principium gratiæ.

Satis eſt ad Sacramenti ex opere operato gratiam productivi rationem, quòd ex ſe habeat aptitudinem gratiæ productivam, quam ſi non producat, id contingit per accidens ex appoſito obice, & ideò cauſalitas Sacramenti ex opere operato non excludit operantis diſpoſitiones: quælibet enim forma, & quodlibet inſtrumentum, diſpoſitiones exigunt in ſubjecto, nihilominus cauſant effectum vi propria. Panis etiam ut nutriat, diſpoſitiones exigit in ſtomacho, anima in corpore, & gratia ſanctificans in anima ſuas exigunt diſpoſitiones: ita ſimiliter Sacramenta, licèt diſpoſitiones exigant, cauſant gratiam ex opere operato. Prætereà, ſunt quædam Sacramenta, ut baptiſmus & abſolutio Sacramentalis, quæ conferri poſſunt non habentibus uſum rationis: quoad primum patet, cùm infantibus ſtatim poſt ortum conferatur: quoad ſecundum quod eſt abſolutio, poteſt conferri his qui in periculo vitæ ſunt, etiamſi vi morbi oppreſſi non habeant uſum rationis, vel ſenſuum, dummodò conſtet eos deſideraſſe abſolutionem, ut declarant Carthag. 4. can. 76. & Arauſican. 1 can. 2. ergo omnia Sacramenta non exigunt ſemper diſpoſitiones actuales in ſu-

suscipiente, nec virtutem aut probitatem in ministro, & consequenter Sacramenta causant gratiam ex opere operato, seu vi sua, ut causæ instrumentariæ: dixi *ut causæ instrumentariæ*, quia Deus solus est causa princeps, cùm nulla creatura possit efficienter producere gratiam sanctificantem.

Instabis: Opus operantis est tamquam principium gratiæ: ergo Sacraměta non causant gratiam ex opere operato. Probatur antecedens ex illo 1. Petri cap. 3. vers. 21. *Quod & vos nunc similis formæ salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Iesu Christi*: quibus Apostolus indicat excitationem fidei resurrectionis Christi, quæ est interrogatio bonæ conscientiæ, habere vim sanctificandi, seu esse principium gratiæ sanctificantis.

Respondeo negando antecedens, ad cujus probationem dico, quòd Petrus indicat solùm nullum esse ponendum obicem, sed omnem dispositionem esse adhibendam per interrogationem bonæ conscientiæ apud Deum, ut Sacramentum nullum inveniat obicem, & producat gratiam: vel dico, quòd salus à baptismo proveniens non est emundatio sordium carnis, sed animæ sanctificatio, quam idem Apostolus appellat interrogationem bonæ conscientiæ, seu conformitatem animæ cum Deo. Hæretici alias sacræ Scripturę authoritates objiciunt, eas tamen omitto, quia probant actiones operantis sive in recipiendis sive in administrandis Sacramentis, non esse instrumenta gratię operativa, sed solùm dispositiones, ut ipsa Sacramenta producant gratiam.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Quomodo Sacramenta producant gratiam, an instrumentaliter physicè, vel solùm moraliter?

SUppono tamquam certum, quòd sacraméta novæ legis non sunt meræ conditiones sine quibus non, respectu gratię, quia Sacraméta exigunt effectum in genere moris, quemadmodum meritũ exigit præmiũ; & habent jus ad gratiam, sicut meritum habet jus ad gloriam & pręmium: ergo non sunt conditiones, sed causæ gratiæ; unde difficultas est, an sint causæ physicæ, vel morales? Pro cujus intelligentia, supponendum est quòd causa physica est illa quę per actionem realem attingit ipsius rei entitatem & productioné: Moralis verò est illa quæ non attingit effectum per actionem suam, sed movet causam efficientem ad effectus productionem, vel jussu, vel prece, vel merito, vel consilio, vel prohibitione,

Dico, Sacramenta novę legis non concurrere physicè ad causandam gratiam, sed dumtaxat moraliter. Ita Scotus in 4. dist. 1. quæst. 5. §. *Ad primam ergo quæstionem dico*, quem sequuntur omnes Scotistæ & plures extranei. Prob. 1. Non sunt multiplicandæ causalitates sine necessitate, ut concedunt omnes: ergo non est admittenda causalitas physica in Sacramentis novæ legis. Prob. consequentia 1. ex Goneto. Hic n. 138. & 140 concedit Sacramenta novæ legis esse causas instrumentales morales respectu Dei, in ordine ad gratiæ productionem; sed hæc causalitas moralis sufficit ad productionem gratiæ Sacramentalis: ergo non est admittenda causalitas physica. Prob. minor: Illud sufficit ad aliquem effectum, cum quo effectus ille ponitur; sed gratia ponitur per Sacramenta,

etiamsi non habeant causalitatem physicam, posita sola causalitate morali; cùm virtualiter contineant merita Christi, & à Deo ordinata & instituta sint ad productionem gratiæ: ergo causalitas moralis sufficit, & consequenter non est admittenda physica. Prob. 2. eadem minor, scilicet causalitatem moralem sufficere: Gonetus hic n. 81. concedit Baptismum cum fictione susceptum, posteà recedente fictione, non causare gratiam physicè, sed tantùm moraliter: ergo aliqua Sacramenta habent causalitatem moralem sufficientem ad gratiæ productionem, subindeque superflua est causalitas physica. Prob. 3. Quod SS. Patres, & Concilia dicunt de Sacramentorum causalitate respectu productionis gratiæ, salvatur per causalitatem tantùm moralem; nihil enim aliud dicunt quàm Sacramenta causare gratiam, absque ulla mentione de modo: ergo cùm hæc causalitas moralis quæ competit Sacramentis, salvet judicia Patrum, & ad productionem gratiæ sufficiat, non est admittenda causalitas physica. Tum quia non est necessaria. Tum quia maximas patitur difficultates, ut videbimus infrà. Tum quia nulla est necessitas admittendi causalitatem physicam.

Confirm. Sacramenta novæ legis sunt causæ instrumentales gratiæ, eadem virtute qua sunt Sacramenta; sunt enim causæ instrumentales gratiæ, quia sunt sacramenta: aliàs res & verba essent ex seipsis causæ instrumentales gratiæ; quod est inauditum; sed sacramenta quatenùs talia, sunt aliquid morale: ergo sunt etiam causæ morales gratiæ. Prob. minor: Sacramenta novæ legis non sunt talia ex natura rei; aliàs essent sacramenta, quatenùs sunt elementa: sed ex divina institutione, qua Deus decrevit conferre gratiam ad applicationem

nem Sacramentorum, quemadmodum decrevit dare gloriam ad positionem operis meritorii: ergo sacramenta sunt signa gratiæ, moralia; subindeque sunt causæ morales gratiæ, sicut merita sunt causæ morales augmenti ejusdem, & gloriæ, quia sicut operari sequitur esse, ita modus operandi sequitur modum essendi.

Prob. 2. Causa physica est illa quæ influxu sibi proprio & reali attingit effectum, ut ex dictis patet; sed Sacramenta non attingunt gratiam influxu proprio & reali: ergo non sunt ejus causa physica, sed moralis. Majorem concedit Gonetus. Minor verò prob. Nulla causa potest attingere effectum influxu proprio & reali, quin existat. Tum quia actio est actus rei existentis. Tum quia absurdum est quòd aliquid per se & immediatè agat, quin existat; sed sacramenta non existunt, dum gratia producitur: nam dum sacramentum matrimonii per procuratorem contrahitur, gratia producitur in contrahentibus, quando in ipsis non est ampliùs materia nec forma sacramenti: ergo Sacramenta non sunt causæ physicæ, sed morales tantùm gratiæ. Prob minor: Gratia non producitur in anima, donec Sacramentum sit perfectum & completum. Tum quia causa principalis non utitur causa instrumentali imperfecta & incompleta. Tum quia si Sacerdos diceret tantùm *Hoc est* non consecraret, & sic de cæteris; sed tunc Sacramenta non existunt (excepto sanctissimo Sacramento altaris) quia consistunt in motu & actione, quæ successiva sunt: ergo sacramenta non existunt, dum gratia producitur, & consequenter non attingunt ipsam influxu physico & reali. Præterea, sæpè distant localiter ab homine, in cujus anima est causanda gratia, ut patet in Sacramento Pœnitentiæ; nam dùm Sacerdos pœnitentem absolvit, verba non tangunt physico influxu pœnitentem: ergo causant, quin existant, quod est contra re-

gulam physicorum, & contra Gonetum hic n. 79. ubi ait, *Existentia enim est conditio necessaria ad agendum, quam Deus non potest supplere*: ergo Sacramenta producunt gratiam moraliter tantùm.

Resp. Gonet. dupliciter. 1. n. 8. ait argumentum esse verum, dum instrumentum est artis vel naturæ, falsum verò dum instrumentum est divinæ virtutis, quale est sacramentum: hoc enim inter instrumenta primi & secundi generis reperitur discrimen, quòd cùm in instrumentis naturalibus aut artificialibus, virtus causæ principalis non sit ita diffusa, ut per seipsam possit immediatè contingere passum, vel subjectum operis naturalis vel artificiosi, necesse est, quòd mediante instrumento illam deferente, reddatur ipsi præsens, subindeque quòd instrumentum naturæ vel artis contingat immediatè passum seu subjectum in quo debet produci ejus effectus: econtra verò cùm virtus Dei, ob ejus immensitatem sit omnibus rebus intimè præsens, non requiritur, quòd mediante instrumento reddatur præsens subjecto in quo gratia vel alius effectus supernaturalis producitur, nec per consequens quòd instrumenta divinæ virtutis tale subjectum immediatè contingant; sed in rem distantem operari possunt. Unde Christus Matth. 8. sola voce sanavit servum Centurionis absentem, &c. Æstimativa licèt non sit nisi in capite, operatur tamen instrumentaliter in pede, ipsumque movet localiter, ut instrumentum naturale animæ, quia ipsa anima cui conjungitur, & quæ est causa principalis talis motus, formaliter in pede existit: cur ergo similiter Sacramenta & alia divinæ virtutis instrumenta non poterunt operari in subjectum distans, cùm Deus qui est causa principalis gratiæ miraculorum, omnibus rebus intimè præsens sit, & immediatè ac intimiùs quàm anima pedi, ipsis con-

conjungatur? *In ipso enim vivimus, movemur & sumus*. Act. 17.

Contra 1. Hæc responsio non evacuat argumentum de existentia instrumenti physici, licèt satisfacere videatur de proximitate aut indistantia ipsius. Probat enim instrumentum divinæ virtutis posse operari in rem distantem, ut patet in voce qua Christus sanavit servum Centurionis absentem; sed non probat instrumentum divinæ virtutis operari & non existere: ergo cùm Sacramenta conferant gratiam quin existant, quod ad causalitatem physicam requiritur, signum est, quòd non sunt instrumenta physica divinæ virtutis, sed moralia. 2. Responsio probat, quòd instrumentum divinæ virtutis non reddit Deum præsentem subjecto in quo effectus producitur, ut contingit instrumento naturali & artificioso, quia (inquit) Deus ob immensitatem est omnibus rebus intimè præsens, de quo nemo dubitat; sed non probat instrumentum influere & operari quin sit præsens passo aut subjecto: nam licèt Sacramentum non reddat Deum præsentem passo, ut instrumentum artificiosum reddit artificem præsentem subjecto; tamen non debemus inferre ipsum instrumentum non esse præsens subjecto: nam *primò*, Deus qui est causa principalis, in sententia Thomistarum, non potest agere quin sit præsens passo, ipsumque tangat: ergo à fortiori instrumentum quo utitur, debet esse præsens passo aut subjecto, illudque tangere. *Secundò*, si causa principalis physica operari nequeat, quin vel per se, vel per instrumentum sit præsens passo, ut insinuat responsio Goneti: quomodo instrumentum operari poterit, quin sit præsens passo & illud contingat? Tum quia instrumentum physicum mediat inter causam principalem & subjectum. Tum quia virtus causæ principalis attingit pas-

sum, & in ipso producit effectum mediante instrumento: ergo cùm sacramenta non existant, nec tangant subjectum, dum gratia producitur, non sunt instrumenta physica, sed moralia. Ad illud de Christo, dico, quòd intelligi debet de causalitate morali, ut patet ex dictis in 3. tomo.

Ad exemplum de æstimativa, dico 1. quòd non probat causam instrumentalem posse agere, quin in se existat, cùm ipsa æstimativa existat in capite, dum instrumentaliter operatur in pede: ergo non evacuat difficultatem. Dico 2. falsum esse æstimativam operari instrumentaliter physicè in pede: nam pes qui operatur & movetur, non movetur immediatè per virtutem à potentia æstimativa ipsi communicatam; sed per virtutem animæ: unde pes non est instrumentum physicum æstimativæ, sed animæ; nec instrumentaliter in ipso pede agit, cùm anima in pede non utatur æstimativa, sed pede: nam pes non potest esse instrumentum animæ in capite, licèt anima sit in capite: ergo licèt Deus sit omnibus rebus præsens, non potest uti sacramentis aut aliis instrumentis physicis, quin ipsum instrumentum sit præsens subjecto & existat.

Resp. 2. Gonet. argumentum esse verum de contactu virtutis & causalitatis, non autem de contactu suppositi & rei: quamvis (inquit) implicet contradictionem, quòd instrumentum physicè influat in effectum causæ principalis, nisi causalitate & virtute à causa principali derivata, spiritualiter passum contingat: agere enim est virtute activa actu dare esse, & ipsa productio & actualis efficientia est virtualis & realis contactus, &c.

Contra 1. Hæc responsio non evacuat argumentum de existentia, cùm non probet instrumentum physicum non debere necessariò existere, ut agat, licèt probet non debere per se

sub-

subjectum attingere. Contra 2. Illa virtus sacramenti quæ attingeret subjectum, deberet esse instrumentum causæ principalis, nempè Dei; aliàs sacramentum nobiliori modo produceret gratiam, dum attingeret subjectum per suam virtutem, quàm dum attingeret illud per se, quod est falsum; sed non potest esse instrumentum Dei, quia Deus decrevit & instituit uti sacramento seu signo sensibili & visibili: ergo si necesse sit instrumentum physicum attingere subjectum, & virtus quæ invisibilis est, non sit electa in instrumentum seu in signum gratiæ, oportet quòd sacramentum attingat per se subjectum. *Deinde*, illa virtus per quam sacramentum attingeret subjectum, esset introducta in subjectum per ipsum sacramentum agens instrumentaliter, alioquin non esset virtus sacramenti: sed non potest produci, nec introduci in subjectum, quin sacramentum attingat illud, vel per se, vel per suam virtutem; non per suam virtutem, quia daretur virtus de virtute: ergo per se & immediatè: & consequenter de ratione instrumenti physici est, ut subjectum in quo debet recipi effectus, physicè contingat, ut in ipso recipiatur virtus instrumenti; sed sunt sacramenta quæ non contingunt subjectum in quo recipitur gratia, ut fatetur Gonet. in argumento de pœnitentia: ergo non possunt introducere virtutem operativam in subjectum; ideoque non sunt instrumenta physica. *Denique*, id quod à sacramentis provenit & nobis communicatur, est gratia, quia instituta sunt ad productionem solius gratiæ (exceptis illis quæ imprimunt characterem) ergo in subjecto non potest recipi virtus sacramenti quæ sit instrumentaliter productiva gratiæ, & consequenter oportet, quòd physicè contingat subjectum.

Prob. 3. Hæc verba consecrationis, *Hoc est corpus meum*, vel saltem species consecra-

tæ panis & vini, quæ sunt sacramentum Eucharistiæ, non causant physicè instrumentaliter corpus Christi ibi, ut advertit Doctor in 4. dist. 1. quæst. 5. §. *contra istam opinionem*: ergo cætera verba Sacramentalia non causant physicè effectum quem significant, seu gratiam quam recipimus. Consequentia patet, si antecedens sit verum. Tum quia corpus Christi, seu gratia subsistens, est primus effectus & primum significatum in Eucharistiæ Sacramento, sicut gratia accidentalis aut augmentum ejusdem, est in aliis Sacramentis. Tum quia sacramentum Eucharistiæ non requirit applicationem aut receptionem, ut sit perfectum & completum, quia si à nemine susciperetur, adhuc esset perfectum & completum Sacramentum significans invisibile corpus Christi. Tum quia hæc verba, *Hoc est corpus meum*, sunt productiva & significativa alicujus rei invisibilis, sicut ista, *Ego te baptizo*; subindeque si ista physicè operentur, etiam illa; & si illa operentur tantùm moraliter, etiam ista. Prob. igitur antecedens, nempè ista verba, *Hoc est corpus meum*, non habere causalitatem physicam: Corpus Christi non potest esse sub speciebus panis sine transubstantiatione panis in corpus; sed sola virtus infinita transubstantiat actione physica, ait Doctor: ergo hæc verba, *Hoc est corpus meum*, non producunt instrumentaliter physicè id quod significant; ideoque nec ista, *Ego te baptizo*. Prob. antecedens: Transubstantiatio est actio conversiva substantiæ panis in substantiam corporis Christi: sed conversio unius substantiæ in aliam, est actio arguens potentiam infinitam, sicut creatio & annihilatio: ergo nulla creatura potest ad illam physicè concurrere, sed tantùm moraliter.

Obj. 1. Gonetus ex verbis illis Christi Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*: ut enim ait

ait D. Thom. illis significatur, per Sacramenta novæ legis causari gratiam instrumentaliter, & per virtutem Spiritus sancti principaliter: ergo sicut Spiritus sanctus principaliter physicè causat gratiam, ita & Sacramenta novæ legis instrumentaliter physicè: instrumentum enim causæ physicæ principalis, etiam physicum esse debet, & physicè causare.

Confirm. ex variis loquendi modis quibus Scriptura utitur ad causalitatem nostrorum sacramentorum significandam: nam Joan. 3. dicuntur homines renasci ex aqua; ad Tit. 3. salvari per lavacrum regenerationis; ad Ephes. 5. mundari lavacro: sed hi modi loquendi, causalitatem physicam indicant: ergo, &c. Minor prob. Nam particula *Ex* communiter indicat causam physicam vel materialem, juxta quod dicitur annulus fieri ex auro, vel efficientem & instrumentalem, sicut animal dicitur gigni ex semine: constat autem homines renasci spiritualiter ex aqua baptismali, non tamquam ex causa materiali: ergo ut ex instrumentali physica, & tamquam ex spirituali semine. Idem indicant particula *Per*, & ablativus casus; cùm enim in communi modo loquendi, causam physicam instrumentalem scriptionis volumus indicare, dicere solemus, quòd hoc scriptum est calamo, vel per calamum: ergo similiter cùm dicimur mundari lavacro, aut per lavacrum, convenientiùs id intelligitur ut per instrumentum physicum, quàm ut per instrumentum solùm morale.

Resp. 1. Gonetum teneri etiam ad solutionem hujus argumenti: nam hic art. 3. §. 2. n. 75. ubi respondet ad istud argumentum, *Baptismus qui in puncto suæ receptionis gratiam non contulit, propter recipientis obicem sive fictionem, recedente postea fictione, eam confert*, ut docent D. Aug. & D. Thomas; *sed tunc eam non causat physicè, cùm tunc non sit, sed transierit: & quod non est*

physicè agere nequeat: ergo solùm moraliter, & relictis variis Thomistarum solutionibus quas ipse adducit, ait n. 81. *Verior tamen ac probabilior est solutio & doctrina aliorum Thomistarum asserentium Sacramenta quæ imprimunt characterem, recedente fictione, non causare gratiam physicè, sed solùm moraliter*. Undè cùm argumentum Goneti specialiter agat de Baptismo, militat contra ipsum: ergo ut salvetur responsio, dicendum est, quòd Scriptura intelligenda est de causalitate morali.

Resp. 2. hæc omnia rectè explicari posse per causalitatem moralem: dicitur enim, *Christus lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo*: & posteà *Per mortem Christi salvi facti sumus*: vulgò dicitur aliquid effici litteris, præceptis, &c. quæ tamen constat morales tantùm causas esse.

Resp. Gonet. n. 14. licèt hoc verum sit, quando constat de morali tantùm causalitate sermonem esse, ut in his exemplis contingit, quia manifestum est ea non posse aliter intelligi; in re tamen adeò dubia, qualis est ea in qua versamur, de qua non apparet, quòd non possit nisi moraliter exponi, quis sibi persuadeat Spiritum sanctum ejusmodi voces quibus vim sacramentorum nostrorum significare voluit, semper minùs propriè, ac præter solitum usum, ad moralem dumtaxat & metaphoricam causalitatem significandam usurpasse, & tamen nuspiam explicuisse se in illo sensu esse locutum?

Contra: nam hæc res de qua loquimur, non est dubia, licèt in Scriptura homines dicantur renasci & salvari per sacramenta; quia pluribus in locis, homines dicũtur etiam generari per Passionem & crucem Christi, tamen certum est, quòd crux est causa moralis. Apostolus dicit, *Per Evangelium ego vos genui*, quod non potest intelligi physicè, sed moraliter: ergo idem

idem dicendum est de locis in argumento adductis. *Deinde*, si res dubia sit, ut fatetur Gonet. & evidenter constet de causalitate morali, quæ sufficiens est, ut concedit suprà de Sacramento cum fictione recepto, frustra igitur recurrit ad causalitatem physicam quæ est difficilior intellectu, & maximas involvit difficultates solvendas. *Denique*, si non liceat nostram sequi sententiam, quia Spiritus sanctus non explicuit se locutum fuisse de causalitate morali, ut ait Gonet. neque licebit ipsi eadem ratione docere sententiam de causalitate physica, quia Spiritus sanctus in locis citatis non explicuit se in illo sensu locutum fuisse.

Obj. 2. ex Trident. quod sess. 7. can. 6. jubet sub anathematis pœna credere Sacramenta novæ legis continere gratiam quam significant, quod etiam asserit Florentinum in Decreto unionis; at hoc verificari nequit de continentia locali & materiali, quomodo aqua v. g. continetur in vase, medicina in pixide, vel pecunia in bursa: gratia enim cùm sit qualitas spiritualis, non occupat locum, ut ait D. Bonavent. in 4. dist. 1. art. 1. quæst. 3. Non potest etiam hoc intelligi de continentia formali per inhæsionem, eo modo quo accidens dicitur contineri in subjecto cui inest; gratia enim cùm sit accidens spirituale, completum & permanens, non inhæret Sacramentis quæ sunt res corporeæ; sed residet in essentia animæ quæ spiritualis est: ergo necessariò hoc debet intelligi de continentia virtuali, quæ propria est causæ efficientis principalis, vel instrumentalis, quo pacto illuminatio & calefactio in sole & igne continentur, & planta in semine, & effectus artis in instrumento artificis. Ex quo facilè intelliges (inquit) quo sensu Sacramenta novæ legis à SS. Patribus & Theologis *vasa gratiæ* interdum appellantur, quia scilicet eam virtua-

liter continent, ut ejus causæ instrumentales; sicut arma vocantur in Scriptura, *Vasa interfectoris*, *Vasa mortis*; & instrumenta musicæ, *Vasa cantici*, eo quòd prædictos effectus, velut causæ instrumentales, virtualiter contineant.

Resp. Concilia loqui contra illos qui negant gratiam dari per Sacramenta, non verò contra modum: unde cùm causalitas aut continentia moralis, salvet quod dicunt Concilia & Patres de causalitate sacramentorum, nostra conclusio non pugnat contra Concilia. Quod verum esse sic evinco: Concilia, Patres & sacra Scriptura dicunt, quòd Sacramenta causant simpliciter gratiam: sed hoc salvatur per moralem causalitatem, quia quod aliquem effectum moraliter causat, etiamsi in illum physicè non influat, dicitur nihilominùs causare illum simpliciter; aliàs causa finalis & causa exemplaris, quæ non influunt physicè in effectum, ut dicunt omnes, non essent causæ simpliciter, quod est contra philosophum; Meritum dicitur causa augmenti gratiæ; quin causet illud physicè: ergo causalitas moralis salvat continentiam & causalitatem sacramentorum respectu gratiæ, in sensu Conciliorum, Scripturæ & Patrum: hinc est, quòd brevitatis gratia omittendæ sunt plures Authoritates Patrum, quibus Gonetus probat Sacramentum causare gratiam physicè; cùm omnes habeant eumdem sensum, & sint præcisè de causalitate, non autem de modo: nam dum loquuntur de sacramentis respectu gratiæ, sicut de instrumentis physicis, scilicet ut de aqua respectu piscium, de semine respectu hominis, de igne respectu calefactionis aquæ, & de aliis similibus quæ causalitatem physicam habent, non intendunt insinuare sacramenta se habere respectu productionis

gratiæ, ſicut illa inſtrumenta phyſica ſe habent reſpectu productionis eorum effectuum, id eſt, cauſare phyſicè; ſed tantùm veritatem effectus ex parte ſacramentorum, id eſt, intendunt probare, quòd ſacramenta producunt infalibiliter & neceſſariò gratiam ſicut ignis emittit calorem in aquam; ac ſi dixiſſent, quòd Sacramenta producunt gratiam inevitabiliter in ſubjecto diſpoſito, ſicut ignis producit calorem, prout *Ly ſicut* non denotat modum producendi, ſed effectum productum ex parte cauſæ producentis: Omitto etiam Authoritates D. Thomæ in §. 4. poſitas, quibus Gonetus probat mentem Doctoris Angelici. Et adduco rationes poſitas in 5. §. quarum prima eſt hæc quæ ſequitur.

Obj. 3. Opinio illa quæ Sacramentis novæ legis cauſalitatem ſolùm moralem attribuit, non ſufficienter ſalvat dignitatem illorum ſupra ſacramenta veteris legis, nec nobiliorem cauſandi modum in illis, quàm in iſtis agnoſcit: conſtat enim moralem cauſalitatem nòn defuiſſe Sacramentis antiquis, cùm enim eſſent ſigna Paſſionis Chriſti futuræ, cujus intuitu Deus in antiqua lege gratiam conferebat, vim quandam moralem excitandi Deum habebant, ad conferendam gratiam, ob merita Chriſti futura; unde ſi Sacramentis novæ legis nulla alia virtus tribuatur, quàm vis illa moralis & excitativa, manifeſtum eſt ea non elevari ſupra ſacramenta vetera, nec ab illis differre quantùm ad modum operandi, ſed tantùm ex parte rei cauſatæ, majoris ſcilicet & abundatioris gratiæ, quam cauſant Sacramenta novæ legis, quatenùs ſignificant Paſſionem Chriſti præteritam, quam Sacramenta vetera repræſentabant ſolùm ut futuram; quod docet D. Thomas.

Con-

Confirm. Sacramenta novæ legis differunt à Sacramentis legis Mosaicæ, eaque superant in hoc, quòd Sacramenta vetera erant tantùm signa gratiæ, nova autem sunt non solùm signa, sed etiam causæ illius; sed hoc intelligi nequit de sola causalitate morali: ergo in Sacramentis novæ legis præter causalitatem moralem, realis & physica admittenda est. Minor prob. Causalitas moralis, si quæ in sacramentis novæ legis intervenit, non excedit rationem signi: ergo quando Sacramenta nostra per hoc dicuntur differre ab antiquis, quòd ista sunt tantùm signa gratiæ, illa verò simul causæ & signa, hoc de causalitate solùm morali intelligi nequit. Consequentia patet: Antecedens prob. Sacramentis nostris non potest competere causalitas moralis, ratione alicujus actus moralis, quem ipsa exerceant & eliciant; sicut meritum aut satisfactio, vel redemptio, sunt actus moralis causalitatis: ergo illis solùm potest competere causalitas moralis secundùm aliquid relictum ab actibus moralibus, ut contineant eorum valorem & efficaciam in effectum; hæc autem continere nequeunt, nisi significando & repræsentando talem efficaciam & valorem; sicut chyrographum repræsentat obligationem debitoris, & denarius plumbeus est signum voluntatis regiæ dandi tale officium, vel dignitatem: ergo omnis causalitas moralis communicata Sacramentis, solùm potest esse per modum signi significantis efficaciam actuum meritoriorum & moralium Christi. Et hujus ratio est, quia non est causalitas moralis in istis inanimatis, nisi in quantùm movent voluntatem aliquam, ut ipsis positis conferat effectum, quæ motio fieri ab eis non potest, nisi ut à signo.

Confirm. ampliùs: Chyrographum est tantùm

tùm causa moralis largitionis pecuniæ, in quantùm excitat memoriam hominis, ut recordetur se debere, & convincatur, si neget; sed non excitatur ejus memoria, nec convincitur per chyrographum, nisi quia illud est signum voluntatis & consensus prioris exhibiti; unde si adessent alia signa quibus probaret non consensisse, rescinderetur contractus, & nulla foret obligatio: ergo causalitas moralis non transcendit rationem signi; subindeque si Sacramenta novæ legis causent tantùm moraliter gratiam, & sint tantùm veluti chyrographa promissionem Dei de largienda gratia, ea ritè suscipientibus significantia, non erunt veræ causæ gratiæ, sed tantùm signa illius; subindeque à sacramentis veteris legis non different.

Resp. negando suppositum, nempe causalitatem moralem sacramentorum non salvare sufficienter illorum dignitatem super sacramenta veteris legis. Tum quia Sacramenta novæ legis gratiam moraliter continent: Christus enim instituens illa, merita sua alligavit ipsis, & Deus cum Christo pactum iniit de tribuenda gratia iis omnibus, quibus ipsius merita per susceptionem Sacramenti applicarentur: At Sacramenta veteris legis non continebant propriè moraliter merita Christi, aut pretium gratiæ: ergo Sacramenta legis novæ sunt nobiliora. Tum quia Sacramenta novæ legis causant gratiam moraliter ex opere operato, & antiqua ex opere operantis: ergo nostra sunt nobiliora, seclusa etiam causalitate physica.

Ad 1. confirm. nego minorem, quia causalitas moralis est vera causalitas, ut patet in Philosophia, quæ inter causas veras & reales ponit moralem. Ad cujus prob. nego antecedens, quia signum nullo modo est causa signi-

fica-

ficati, sed potiùs econtra, ut patet de igne, qui est causa signi, nempè fumi; at Sacramenta novæ legis non solùm sunt signa gratiæ, sed etiam causæ, quemadmodum merita non sunt tantùm signa gloriæ, sed etiam causa. Ratio hujus rei est, quia pura signa nullo pacto movent voluntatem causæ principalis; at sacramenta movent infallibiliter voluntatem Dei ad productionem & collationem gratiæ, sicut merita movent ad colla ionem augmenti gratiæ & gloriæ: ergo excedunt rationem signi. Ad prob. nego antecedens, quia causalitas moralis competit sacramentis, quatenùs sunt verba & operationes Christi, quæ movent Dei voluntatem ob intrinsecam bonitatem moralem: ergo non est solùm per modum signi, sed per modum causæ.

Ad 2. confirm. dico maximum esse discrimen inter sacramenta & chyrographum: Tum quia Sacramenta sunt signa practica rei, seu gratiæ quam significant; at chyrographum & denarius plumbeus, sunt signa merè speculativa; & consequenter non efficiunt id quod significant, sicut sacramenta. Tum quia denarius plumbeus, chyrographus &c. non sunt causa solutionis, nec debiti, nec faciunt, ut rex debeat, sed tantùm ut constet de debito: nam debitum & obligatio ad solvendum, præcedunt chyrographum. Unde chyrographus & denarius plumbeus sunt signa solùm repræsentativa debiti, & ad recordationem aut manifestationem ejusdem dumtaxat, instituta; at Sacramenta nostra non sunt mera signa gratiæ, sed causæ, quæ Deum movent ad productionem ejusdem, sicut mors Christi movet Deum ad remissionem peccati generis humani, & preces ipsius ad operanda miracula, cùm omnia novæ legis sacramenta fiant nomi-

mine Christi, qui per talem ministrum operatur, & illis rebus & vocibus utitur ad loquendum cum Deo, ad producendum effectum sacramentalem: ergo Sacramenta non sunt sicut denarius plumbeus, chyrographus &c. licèt moraliter dumtaxat gratiam causent. Tum quia bonitas morális alicujus operis à rege accepti, & chyrographus ejusdem regis, quo receptio operis firmatur, non se habent eodem modo respectu solutionis debiti: nam bonitas operis movet ut causa ad solvendum, & chyrographus non movet ad solvendum, sed est tantùm signum receptionis operis, & recordationis debiti; at sacramenta sunt signa quæ ob bonitatem moralem movent Deum ad producendam gratiam: ergo non sunt tantùm signa gratiæ communicatæ, sed sunt causa; subindeque non sunt sicut denarius plumbeus &c. Omitto secundam rationem qua Gonetus probat ex causalitate physica instrumentorum divinæ justitiæ, ignis scilicet inferni, quia constat ex dictis in 2. tomo ignem infernalem non torquere dæmones actione physica.

Obj. 3. Sacramentum Pœnitentiæ physicè producit gratiam: ergo & alia Sacramenta novæ legis. Consequentia patet ex paritate rationis. Antecedens prob. primò: Eo modo producit gratiam Sacramentum Pœnitentiæ, quo Sacerdos pœnitentem absolvens; sed hic physicè producit gratiam: ergo. Minor prob. Tum quia ad veritatem horum verborum: *Ego absolvo te*, necessarium est, ut Sacerdos verè & realiter peccata remittat; sed hoc non potest nisi verè & realiter producendo gratiam, atque adeò physicè, cùm causa physica & realis sit illa quæ verè & realiter influit in effectum, & efficientia moralis, sit impropria tantùm & metaphorica causalitas. Tum etiam quia non apparet, quo-

modo

modo Sacerdos verè sententiam proferat, si moraliter tantùm peccata remittat: sicut enim qui chyrographum exhibet, quo oblato debitum solvitur, non dicitur solvere tale debitum; ita si Sacerdos administrando Sacramentum Pœnitentiæ, habeat tantùm offerre Deo Sacramentum, veluti chyrographum, quo oblato & applicato, Deus conferat gratiam, non poterit dici Sacerdos causare gratiam remissivam peccati.

Confirm. Sacramentum Pœnitentiæ se habet per modum judicii, & in eo Sacerdos gerit vices judicis, & pœnitens vices rei; sed judex in humanis, non excitat alium ad absolvendum reum, nec impetrat ejus absolutionem, sed propria authoritate à principe sibi commissa eum absolvit: ergo & Sacerdos in tribunali pœnitentiæ, verba illa, *Ego absolvo te*, proferens, non solùm excitat moraliter Deum ad illi tribuendam gratiam à vinculis peccatorum solventem, nec solùm à Deo impetrat ejus absolutionem, sed authoritate Christi sibi commissa, verè instrumentaliter eum absolvit, & gratiam remissivam peccati, ut divinæ virtutis instrumentum, physicè ei confert, & producit in anima ejus.

Resp. 1. negando consequentiam: Nam ex Goneto, ut patet suprà, Baptismus cum fictione receptus, causat moraliter gratiam recedente fictione; cætera verò physicè: ergo non implicat, quòd Sacramentum Pœnitentiæ causet eam physicè, cætera verò moraliter.

Resp. 2. negando antecedens: Ad prob. concessa majori, nego minorem: Ad prob. dico quòd ut Sacerdos propriè & realiter absolvat & sit judex, non requiritur, quòd producat physicè gratiam, sed sufficit, quòd habeat authoritatem judicandi & proferendi sententiam, qua posita communicet gratiam, & absolvat reum à peccatis, sive physicè, sive moraliter;

quia

quia Deus est qui per Sacerdotem moraliter absolvenrem, physicè absolvit reum: ergo sicuti causa moralis, est causa vera & realis, licèt physicè non influat in effectum, ut patet de causa finali; ita judex moraliter absolvens, & physicè proferens sententiam, est verè & realiter judex, & Sacramentum Pœnitentiæ est verum & proprium judicium, cùm reus sit propriè & physicè absolutus per gratiam remissivam peccati, productam physicè à Deo, & moraliter à Sacramento. Ex his infertur solutio confirmationis. Omitto quartam rationem qua probat Gonet. Sacramenta causare physicè gratiam, ex causalitate physica humanitatis Christi ad productionem gratiæ, quia constat ex dictis in 3. tom. humanitatem Christi esse causam moralem.

Obj. ultimò: Admittendus est in Sacramentis novæ legis, modus producendi gratiam instrumentaliter physicè, si ille sit possibilis, & si non repugnet aliquod corporeum, quale est sacramentum, ad productionem rei spiritualis, qualis est gratia sanctificans, elevari: sed in hoc nulla est implicantia: ergo. Major patet: Minor verò in qua est difficultas, prob. 1. ratione quam innuit S. Doctor: Deus cùm sit rerum omnium Dominus, & ejus actio se extendat ad totam naturam entis creabilis, eique ad nutum omnia obediant, quamlibet creaturam potest assumere ut instrumentum physicum ad producendum quidquid est in potentia, saltem obedientiali alterius creaturæ; sed gratia sanctificans continetur in potentia obedientiali animæ, cùm ex ea educatur: ergo potest Deus elevare quamlibet creaturam, etiam corpoream, ad producendam instrumentaliter physicè gratiam sanctificantem in anima. 2. eadem minor suadetur: Intellectus agens elevat phantasma corporeum, ut instrumentaliter causet species intelligibiles spirituales in intellectu residentes:

ergo

vergo à fortiori Deus qui est agens infinitæ virtutis, potest elevare aquam, & voces sensibiles & corporeas, ut physicè gratiam spiritualem & supernaturalem causent instrumentaliter in anima. Omitto tertiam probationem minoris desumptam ex causalitate ignis inferni, quæ cùm, ut ex dictis in 2. tom. constat, non sit physica, non est hìc brevitatis gratia adducenda.

Resp. negando minorem. Tum quia causalitas physica gratiæ impossibilis est repugnans creaturæ, ut patet ex fundamentis nostræ conclusionis. Tum quia non decet dare sacramentis plusquàm ex institutione Dei obtinuerunt. Tum quia causalitas physica non magis extollit sacramentorum dignitatem, nec meliùs explicat SS. Patrum mentem. Tum quia corporeum non potest elevari ad productionem rei spiritualis. Ad 1. prob. nego majorem. Tum quia ex Goneto tom. 1. Deus non potest elevare intellectum, qui intellectivus est, ad visionem Dei sine lumine gloriæ; nec oculum corporeum ad videndum Deum, qui spiritualis est. Tum quia falsum est dari in omnibus creaturis potentiam obedientialem activam aut passivam ad quodlibet producendum, aut recipiendum, ut dictum est in 1. tom. tract. de visione disput. 3. quæst. 2. Tum quia si probatio valeret, probaret utique Angelum posse recipere albedinem, corpus posse producere spiritum, & naturale supernaturale, quod est falsum. Tum quia gratia non educitur de potentia obedientiali animæ, ut probatum manet in 3. tom. tract. de gratia disp. 4. quæst. 2. Ad 2. prob. nego antecedens, quia nulla potentia potest producere aliquem actum, nisi ad illum habeat virtutem inchoatam, quod dici non potest de Sacramentis respectu gratiæ, quia corporea sunt, & gratia spiritualis est. Omitto quæstionem in qua Gonetus quærit,

An

An Sacramenta novæ legis, Christi & Dei moralia instrumenta ad causandam gratiam, dici possint? cùm constet ex dictis.

QUÆSTIO III.

Quam gratiam causent Sacramenta novæ legis, an primam, vel secundam?

SUppono tamquam certum 1. Theologos per primam gratiam intelligere illam gratiam habitualem, quæ expellit & delet peccatum, & quæ advenit homini in peccato mortali existenti. Per secundam verò intelligere illam gratiam, quæ nullum peccatum mortale expellit, quia advenit subjecto jam grato, quam plures appellant augmentum gratiæ habitualis. 2. Sacramenta novæ legis dividi in Sacramenta mortuorum, & sacramenta vivorum. Sacramenta mortuorum sunt, Baptismus & Pœnitentia, quia sunt Sacramenta, quæ Christus pro mortuis, seu in peccato mortali existentibus instituit. Cætera verò dicuntur Sacramenta vivorum, quia Christus ea instituit pro viventibus vita spirituali animæ, quæ est vita gratiæ: Baptismus enim & Pœnitentia dantur peccatoribus, alia verò non dantur nisi confessis & corde contritis, seu justis. 3. Tandem suppono tamquam certum, primam aut secundam gratiam dupliciter produci posse, per se scilicet & per accidens: Illa Sacramenta dicuntur per se causare gratiam, quæ sunt instituta à Christo ad conferendam talem gratiam: Ea dicuntur causare illam per accidens, dum causant [gra-

tiam,

tiam, ad quam conferendam non sunt instituta.

Dico 1. non omnia Sacramenta novæ legis causare per se primam gratiam. Prob. 1. Sacramenta novæ legis causant gratiam habitualem, quatenùs sunt instituta ad causandam gratiam, & causant solùm illam propter quam sunt instituta; sed non omnia sunt instituta ad causandam primam gratiam: ergo non omnia causant illam per se. Prob. minor: Christus instituit Baptismum ad delendum peccatum originale & actuale dum est cum originali, pœnitentiam ad delendum peccatum actuale; alia verò Sacramenta instituit ad perficiendam, corroborandam & reficiendam animam: sed institui ad delendum peccatum, est institui ad causandam per se primam gratiam, ut patet ex notabili: ergo non omnia sunt instituta ad causandam primam gratiam. 2. Sacramenta mortuorum distinguuntur à Sacramentis vivorum; sed distinguuntur quia per se causant primam gratiam, quam Sacramenta vivorum per se supponunt: ergo. 3. Peccator ut talis nequit dignè suscipere Eucharistiam, sicut potest dignè suscipere absolutionem: ergo Sacramentum Eucharistiæ non causat per se primam gratiam, seu remissivam peccati, sicut Sacramentum Pœnitentiæ.

Dices 1. cum Luthero: Omnia Sacramenta sunt ejusdem rationis, & omnia instituta sunt propter peccatum: ergo omnia causant eamdem gratiam. 2. Quodlibet Sacramentum est causa gratiæ: ergo omnia Sacramenta causant gratiam eodem modo, cùm gratia habitualis sit ejusdem speciei. Resp. ad 1. distinguendo antecedens: Omnia Sacramenta sunt ejusdem rationis quoad effectum & causalitatem in ordine ad causam principalem, concedo; Quoad prærequisita ut causent, nego antecedens: Unde cùm ut Sacramenta vivorum causent gratiam,

exi-

exigant in suscipiente vitam seu gratiam, quam Sacramenta mortuorum non exigunt; sequitur, quòd non omnia causant per se primam gratiam, licèt omnia sint ejusdem rationis, & opponantur peccatis. Ad 2. distinguo consequentiam; Causant eodem modo in ordine ad Deum, qui est causa principalis, concedo; omnia enim Sacramenta causant moraliter: In ordine ad effectum, nego; quia ut dixi, Sacramenta vivorum causant per se secundam gratiam moraliter, & Sacramenta mortuorum causant per se primam gratiam.

Dico 2. Sacramenta vivorum per accidens interdum causare primam gratiam. Ita Doctor in 4. dist. 9. quæst. unica §. *de secundo dico* in fine, ubi habetur: *Dico, quòd diligenti inquisitione facta secundùm possibilitatem nostræ fragilitatis, & præmissa confessione, quantùm videtur homini sufficere, si tunc communicet, non peccat; imò si qua alia peccata lateant, per istud Sacramentum etiam remittuntur*: ergo ex Doctore, Eucharistia quæ est sacramentum vivorum, remittit peccata (quod idem est ac conferre primam gratiam) sed non remittit illa per se, ut constat: ergo per accidens, vel nullo modo remittere potest, quod est contra Scotum & Trident. sess. 13. can. 5. ubi habetur: *Si quis dixerit vel præcipuum effectum Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, anathema sit*; quibus verbis Conc. indicat remissionem peccatorum esse effectum Eucharistiæ, aliàs non diceret *Præcipuum*, si nullatenùs esset in numero effectuum; sed non remittit peccata per se: ergo per accidens.

Prob. Potest quis dignè & fructuosè recipere sacramenta vivorum, etiam si habeat aliquod peccatum mortale: ergo Sacramenta vivorum possunt per accidens delere peccata mortalia, seu

seu conferre primam gratiam. Consequentia patet, quoniam Sacramenta vivorum non suscipiuntur fructuosè, dum suscipiens est in peccato mortali. Prob. antecedens: nam qui factis omnibus diligentiis, putans se esse justificatum, oblitus tamen invincibiliter alicujus peccati mortalis de quo nullum habuisset dolorem, sive perfectum, sive imperfectum, ut contingere potest Sacerdotibus qui non semper confitentur, dum Missam celebrare volunt, nisi conscii sint peccati mortalis; accederet bona fide ad Sacramentum Eucharistiæ, non teneretur ille, supposito examine, confiteri nec elicere actum contritionis, nec attritionis, cùm nullius materiæ conscius esset; sed ille tunc dignè reciperet Sacramentum. Tum quia patet ex Doctore suprà citato. Tum quia ille non ponit obicem, facit enim non solùm id quod ex ipso exigit Apost. 1. Cor. cap. 11. dicens, *Probet autem seipsum homo*, sed etiam quod potuit. Tum quia ponere obicem, idem est ac nolle removere impedimentum, quod in isto casu dici nequit: ergo reciperet gratiam quæ est fructus hujus Sacramenti, sed non reciperet secundam, quia non habebat gratiam, nec erat vivens: nam peccatum cujus erat oblitus, factis omnibus diligentiis, non fuit remissum per Sacramentum, nec per attritionem, nec per contritionem, ut suppono, nec per oblivionem, ut est manifestum: ergo fuit remissum per Sacramentum Eucharistiæ, subindeque causat per accidens primam gratiam.

Confirm. Ecclesia dat Sacramentum Extremæ Unctionis agonizantibus non confessis, nec communicatis: ergo credendum est Ecclesiam ordinasse, ut hoc Sacramentum tunc illis subveniat, & per accidens primam gratiam conferat; & hoc credunt Fideles, cùm adeò solliciti

citi sint non discedere sine Extrema Unctione, licèt non sit Sacramentum tantæ necessitatis, sicut Baptismus & Pœnitentia, quoniam si certò non deleret peccatum mortale, ad quid illud administraret Ecclesia agonizantibus non confessis? ergo Sacramenta vivorum causant per accidens primam gratiam, ut suadent hæc verba Jacobi 5. *Et si in peccatis sit, remittentur ei.*

Prob. 2. Si Sacramenta vivorum non possent per accidens causare primam gratiam, maximè, quia Deus ea instituit ad causandam secundam, & Sacramenta mortuorum ad causandam primam; sed hæc ratio non obstat: ergo. Prob. minor: Non minùs ordinata sunt Sacramenta mortuorum ad causandam primam gratiam, quàm sacramenta vivorum ad causandam secundam: sed hoc non obstante, sacramenta mortuorum per accidens causant secundam gratiam, ut patet in illo qui peccata venialia vel mortalia jam remissa dumtaxat confitetur: ergo sacramenta vivorum possunt causare primam per accidens.

Prob. 3. Causalitas primæ gratiæ in Sacramentis vivorum spectat ad ipsorum excellentiam & dignitatem, saltem dum suscipientes bona fide accedunt, nullumque obicem ponunt: ergo asserendum est, quòd Sacramenta vivorum possunt per accidens, in aliquo casu causare primam gratiam. Consequentia patet: Antecedens prob. 1. Sacramenta novæ legis sunt instrumenta moralia gratiæ, ut dictum est cum omnibus Scotistis, id est, sunt instrumenta quibus debitè positis, Deus confert gratiam, & in hoc consistit Sacramentorum excellentia & finis: ergo si Sacramenta vivorum haberent virtutem causandi gratiam primam, saltem per accidens & in aliquo casu, essent excellentiora.

2. Si Sacramenta vivorum non possent causare nisi secundam gratiam, sequeretur, quòd Sacramenta mortuorum essent excellentiora, quia causant per se primam gratiam, & per accidens secundam: ergo ad sacramentorum vivorum excellentiam spectat, causare per accidens primam gratiam. 3. Magis extollit misericordiam Dei, & firmat spem fidelium: certi enim sunt, quòd modò faciant quod possunt, gratiam recipient & peccatorum remissionem consequentur: ergò &c.

Dices 1. Ex nullo sacræ Scripturæ, aut Patrum, aut Conciliorum loco constat, Sacramenta vivorum causare primam gratiam: ergo non est asserendum; quia de his quæ à divina voluntate pendent, juxta Scripturas loquendum est. Resp. negando antecedens, constat enim ex Scriptura Jac. 5. suprà, ex Trident. suprà citato; & constat adhuc ex D. Aug. serm. 28. de verbis Domini dicente: *Qui vulnus habet, medicinam requirit; vulnus est, quia sub peccato sumus; medicina est, cæleste & venerabile Sacramentum*, scilicet Sacramentum Eucharistiæ, quod venerabile dicitur. D. Ambr. lib. de benedict. Patriarch. cap. 9. ait: *Panis hic remissio peccatorum*; quod si nequeat intelligi de per se, saltem de per accidens intelligi debet. Unde dum Scriptura, Patres & Concilia asserunt sacramenta vivorum primam gratiam causare non posse, loquuntur regulariter, & juxta ordinariam sacramentorum causalitatem, non verò de omni modo causandi, nimirum tam per se, quàm per accidens.

Instabis: Sacramentum Eucharistiæ institutum fuit à Christo per modum cibi & potus: ergo sicut cibus corporeus nequit nutrire nec resuscitare mortuos, ita neque cibus spi-

spiritualis, qualis est Eucharistia, poterit causare gratiam resurrectionis, sed tantùm augmentum vitæ spiritualis, nimirum gratiæ. Resp. negando consequentiam & paritatem, quia cibus corporeus non habet vitam in semetipso, nec est formaliter principium vitæ; ideòque non potest tribuere vitam, nisi quatenùs per actionem viventis convertitur in substantiam aliti; at Eucharistia est cibus habens vitam in semetipso, & est principium vitæ, *Ego* (inquit Christus) *sum panis vivus*; & quemadmodum homo, dum panem manducat, convertit panem in suam substantiam per actionem viventis, ita Christus in Eucharistia hominem in se, ut inquit August. *Crede, & manducabis me, & non me converses in te, sed te convertes in me*: ergo non implicat, quòd cibus spiritualis det vitam mortuis.

Dices 2. Sacramenta mortuorum distinguuntur à sacramentis vivorum, quia illa causant primam gratiam, ista verò secundam: ergo ut salvetur distinctio, asserendum est sacramenta vivorum non posse causare primam gratiam. Resp. Sacramenta mortuorum non distingui à sacramentis vivorum præcisè quia causant primam gratiam, sed quia causant illam per se & ex vi institutionis; unde cùm sacramenta vivorum causent illam solùm per accidens, & numquam per se, salvatur distinctio. *Deinde*, ex adversariis, Sacramenta mortuorum causant secundam gratiam per accidens, quin sint Sacramenta vivorum: ergo sacramenta vivorum possunt per accidens causare primam gratiam, quin sint sacramenta mortuorum. *Instabis*: ergo sacramenta causare possunt præter intentionem Christi, quod falsum est. Resp. negando instantiam. Tum quia licèt prima intentio Christi sit de gratiæ augmento, secundaria tamen est de pri-

ma gratia; aliàs Sacramenta mortuorum numquam causarent augmentum gratiæ, quod est contra fidem Ecclesiæ. Tum quia dum dicimus Sacramentis vivorum competere per accidens productionem primæ gratiæ, per Ly *per accidens* non intelligimus: *fortuitò & absque consilio*, nec independenter à divina voluntate; sed tantùm, quòd non competit illis ex vi primariæ institutionis: ergo dum causant primam gratiam, non causant illam præter intentionem Dei.

Dices 3. Sacramenta novæ legis nullum effectum causant, dum ponitur obex, ut docet Trident. sed dum in subjecto non præcedit prima gratia, datur obex, cùm detur peccatum: ergo Sacramenta vivorum nullam gratiam causant, dum in subjecto non præcedit prima. Resp. negando minorem, quia per obicem, Concilium non intelligit peccatum non remissum præcisè; sed peccatum volitum seu cognitum, & positivè non retractatum: ergo dum homo putat se justificatum esse & absque ullo peccato, factis omnibus diligentiis ad examen & cognionem peccati necessariis; licèt peccatum aliquod habeat, nullum obicem ponit; ideòque primam gratiam recipit per Sacramentum Eucharistiæ.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

Quid addat gratia Sacramentalis supra gratiam habitualem?

SUppono Sacramenta aliquam gratiam addere à gratia habituali distinctam. Tum quia gratia habitualis ex se non est Sacramentalis, cùm ille qui extra Sacramentum justificatur, habeat gratiam habitualem absque Sacramentali. Tum quia sacramenta, cùm sint diversa, diversas gratias causant: ergo gratia sacramentalis non est ipsamet gratia habitualis quæ est ejusdem speciei in omnibus: unde hìc examinandum est illud superadditum. D. Bonavent. & alii existimant gratiam Sacramentalem nihil addere supra gratiam habitualem, nisi connotationem extrinsecam, aut respectum ad Sacramentum tamquam ad causam. Paludanus & alii docent gratiam Sacramentalem esse habitum particularem à gratia habitual. distinctum.

Dico igitur, quòd gratia Sacramentalis addit supra gratiam habitualem jus ad specialia auxilia, ad actiones Sacramentales exercendas necessaria. Prob. 1. Gratia Sacramentalis non addit supra gratiam habitualem, quam sacramentum causat, solum respectum ad ipsum sacramentum tamquam ad causam, nec habitum realiter distinctum: ergo addit tantùm jus ad specialia auxilia ad actiones Sacramentales exercendas necessaria. Prob. antecedens quoad 1. partem: Sacramenta vivorum non distinguuntur in ratione causæ, comparativè ad effectum, putà ad gratiam habitualem, cùm quodlibet eorum causet moraliter secundùm gratiam, & omnia dicant eumdem spe-

cificè respectum ad sacramenta ; sed gratiæ sacramentales distinguuntur ad distinctionem sacramentorum. quatenùs sunt signa : ergo gratia sacramentalis non est tantùm respectus ad sacramentum tamquam ad causam. Prob. 2. pars: Nulla est necessitas admittendi alium habitum à gratia sanctificante distinctum, ut est evidens : ergo &c.

Prob. 2. Per Sacramentum Baptismi, homo præter gratiam habitualem, peccati originalis remissivam, recipit jus quoddam ad auxilia, ad dignè alia sacramenta suscipienda, necessaria. Per Confirmationem præter augmentum gratiæ sanctificantis, recipit jus ad specialia auxilia ad fidem constanter profitendam necessaria ; *Per Confirmationem*, ait D. Bernard. serm. de Cœna Domini, *datur robur ad resistendum tentationibus infidelitatis*, & sic de cæteris : ergo sacramenta præter gratiam habitualem, producunt jus aut congruam exigentiam ad auxilia specialia ad actiones sacramentales exercendas necessaria.

Dices 1. Baptismus nullum effectum habet præter gratiam sanctificantem & characterem : ergo gratia Sacramentalis nihil aliud addit supra gratiam habitualem, quàm respectum ad Sacramentum tamquam ad causam Respond. negando antecedens, quia gratia sanctificans, quamvis sit jus ad gloriam ex se, non est tamen jus ad auxilia specialia ad suscipienda alia Sacramenta necessaria, hoc enim advenit illi per sacramentum Baptismi.

Dices 2. Gratia Sacramentalis sanctificat : ergo nihil aliud est, quàm gratia sanctificans seu habitualis. Resp. distinguendo antecedens: gratia sacramentalis sanctificat concomitanter & denominativè, concedo ; formaliter, nego : Hoc etenim spectat ad gratiam habitualem,

quæ

quæ per sacramentum confertur simul cum gratia sacramentali.

Dices 3. Omne auxilium divinum datur gratis, quia ponitur in genere gratiæ; ac proindè nullum potest dari jus ad auxilia Dei specialia, & consequenter gratia sacramentalis non potest esse jus additum gratiæ habituali ad specialia auxilia ad actiones sacramentales exercendas necessaria.

Respondeo negando consequentiam: nam gratia habitualis est gratis data, nihilominus includit jus ad gloriam, seclusis propriis operibus, reverà non tamquam ad præmium, sed tamquam ad hæreditatem: ergo gratia sacramentalis potest esse jus ad auxilia specialia non immediatè ordinata ad gratiam, aut gloriam, sed ad exercendas actiones sacramentales, ut congruit illi qui sacramentum dignè suscepit. Nec implicat, quòd quis recipiat gratis, seu sine jure aliquod munus, & quòd eo recepto habeat jus ad auxilia necessaria ad exercẽdas actiones ad quas munus obligat illum; munus enim potest dari gratis, & ea quæ exigit, ut exerceatur, possunt dari necessariò.

Quæres, an gratiæ Sacramentales dari possint extra sacramenta? Respondeo negativè, quippe cùm gratia Sacramentalis addat suprà gratiam habitualem jus ad specialia auxilia ad actiones sacramentales exercendas necessaria v. g. Gratia Sacramentalis Baptismi, jus ad auxilia ad dignè recipienda alia Sacramenta; certum enim est, quòd non baptizatus (& sic de cæteris) non potest habere tale jus, quia non potest recipere alia sacramenta, quin sit baptizatus: nam jus datur propter auxilia necessaria, auxilia dantur propter actiones exercendas, & actiones sacramentales sunt exercendæ propter sacramentum receptum. *Deinde*, gratia sacramentalis quatenus est jus ad auxilia specialia de quibus agitur, fundatur in

gratia quatenus est effectus Sacramenti in re, vel in voto: ergo dari non potest independenter à sacramentis.

Dices: Actuale auxilium gratiæ non exigit statum gratiæ sanctificantis, ut certissimum est apud omnes Theologos; alioquin peccatores non haberent illud, quod est falsum: ergo &c. *Respondeo* negando consequentiam; quia auxilium de quo agit antecedens, est in ordine ad gratiam sanctificantem obtinendam immediatè, & dubium est de auxilio necessario ad exercendas actiones Sacramentales, quæ cùm non obligent nisi eos, qui gratiam receperunt cum Sacramentis, hi solùm habere possunt hujusmodi jus.

Hinc est, quòd qui gratiam habitualem non recepit cum Sacramento Matrimonii, verbi gratia, non acquisivit jus ad auxilia specialia, quæ sanctos conjuges juvant ad sustinenda onera matrimonii, ut notat etiam noster Frassenius. Nec inde tamen sequitur Deum non dare illi tale auxilium, dum petit illud; sed dat illud ex mera liberalitate & misericordia, sicut dat peccatoribus gratiam actualem, ut agant pœnitentiam; non verò ex aliquo jure seu debito acquisito, quale est illud quod acquiritur in susceptione sacramentorum.

DIS-



DISPUTATIO IV.

De charactere Sacramentali.

VIso principaliori & primario Sacramentorum effectu, qui est habitus gratiæ sanctificantis; modò examinandus est alter, puta character.

QUÆSTIO I.

An & quæ Sacramenta novæ legis imprimant characterem?

CHaracter varias significationes patitur. Apud Græcos importat figuram, ut patet ex illo ad Hebr. 1. ubi habetur: *Figura substantiæ ejus*, in Græco ponitur *Character*. Significat etiam notas, scripturas &c. Tandem apud Theologos & SS. Patres significat aliquod signum spirituale & indelebile à Deo impressum suscipienti Sacramentum, initerabile, quo Fideles Christo consignantur, & ad ipsius cultum destinantur.

Dico per tria Sacramenta imprimi characterem, nimirum per Baptismum, Confirmationem & Ordinem; non verò per alia quatuor, nempè per Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem & Matrimonium. Tum

quia definitum fuit in Trident. sess.7. can. 9. de Sacramentis in genere: *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.* Tum quia Christianus tripliciter dumtaxat distinguitur ab alio. 1. Ut Christianus simpliciter à non Christiano. 2. Ut fortis miles ab infirmo. 3. Ut perfectus à non perfecto: sed hi tres characteres habet Christianus per Baptismum, Confirmationem & Ordinem: ergo hæc tria dumtaxat Sacramenta imprimunt characterem.

Dices 1. Sacramenta vetera non causabant characterem: ergo nec nova. 2. Sunt aliqua Sacramenta novæ legis, quæ non imprimunt characterem: ergo nullum imprimit. Prob. consequentia: Ea quæ non imprimunt illum, sunt perfectiora: ergo signum est, quòd nullum Sacramentum imprimit illum Respon. ad 1. negando antecedens, quia circumcisio imprimebat characterem in suscipiente, ut colligit Brancatus ex Scoto. Ad 2. nego consequentiam; ad cujus prob. concesso antecedente, cùm Sacramentum Eucharistiæ, quod characterem non imprimit, sit nobilius, nego consequentiam; quia character non est signum nobilitatis, nec perfectionis, nec necessitatis, sed tantùm distinctionis aut officii, juxta Dei institutionem.

Resp. 2. gratis concesso antecedente, negando consequentiam. Tum quia per Sacramenta novæ legis, homines specialiter deputantur cultui divino, adscribuntur militiæ Christi in terris militanti, & habent efficaciorem potestatem circa cœlestia & divina: illud enim Christi ad Petrum: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*, omnibus

bus successoribus ejus dictum fuit: ergo baptismus, confirmatio & ordo debent causare characterem; quamvis in lege veteri, nullum Sacramentum impresserit illum. Ad secundum, nego consequentiam; ad cujus probationem nego antecedens absolutè sumptum nam Extrema unctio, Pœnitentia & Matrimonium non sunt perfectiora Baptismo; Sacramentum Eucharistiæ dumtaxat est nobilius: ergo argumentum nihil concludit contra nos.

Dices 2. Ideò dicimus Sacramenta causare gratiam sanctificantem, quia hoc reperitur in sacra Scriptura; sed non reperitur, quòd baptismus, confirmatio & ordo causent characterem: ergo non causant illum.

Respondeo 1. concedendo antecedens & negando consequentiam; quia id constat ex Concilio Tridentino suprà citato, & ex Florentino in Decreto Eugenii: & hoc sufficit ut dicamus tria Sacramenta causare characterem, quia Concilii generalis authoritas, si legitimum sit, & confirmatum, est velut authoritas Evangelii dist. 15. cap. *Sicut sancti Evangelii*.

Respondeo 2. negando secundam partem; nam de baptismo ait Apostolus ad Ephes. 4. versic. 30. *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis*: ibi non loquitur de signo adoptionis filiorum Dei, quod est gratia, cùm loquatur ad improbos, ut notant ibi plures expositores: sed de charactere baptismi, quo sumus fideles & denominamur baptizati. De Confirmatione constat ex 2. Corinth. cap. 1. vers. 21. & 22. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*: ubi à pignore Spiritus sancti,
quod

quod est gratia, distinguit signaculum permanens in baptizatis, etiam amissa gratia. De Ordine autem constat ex illo 2. ad Timoth. 4. versic. 14. *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum presbiterii*: Ibi Apostolus loquitur de dono permanente in quocumque ordinato, quod non potest esse gratia, quæ sæpè amittitur & recuperatur: ergo est character, & consequenter ex sacra Scriptura constat baptismum, confirmationem & ordinem causare characterem.

Quantùm ad rationem ob quam hæc tria Sacramenta imprimunt characterem, est quia homo debet recipi in familiam Christi, & hoc fit in Baptismo: in militiam ad defensionem fidei Christianæ, & hoc fit in Confirmatione: tandem in familia Christi debent esse pastores qui alios dirigant, & in Ecclesiam introducant, & hoc fit in Ordine. Ita Scotus in 4. dist. 6. quæst. 10. Igitur tria dumtaxat imprimunt characterem; alia autem quatuor nullum gradum specialem, & distinctivum constituunt in Ecclesia Dei, quia ex seipsis nihil indissolubile causant, quo adveniente, homo remaneat irrevocabiliter in aliquo gradu Ecclesiæ Dei ad ipsius utilitatem.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Quid sit character Sacramentalis?

SUppono cum Goneto contra Durandum, characterem non esse solam relationem rationis, aut denominationem extrinsecam. Tum quia est signum impressum animæ, ut colligitur ex Conciliis, & præsertim ex Trident. sess. 7. can. 9. Tum quia est ens physicum ab anima realiter distinctum, ut docet Doctor. Tum quia est principium agendi, & terminus actionis realis. Unde difficultas est, an sit quid relativum, vel absolutum? Gonetus existimat Scotum in 4. dist. 6. qu. 10. docuisse characterem esse aliquid reale, non absolutum, sed relativum; at omnes Scotistæ, tum veteres, tum recentiores, dicunt Doctorem in hac materia esse problematicum, quod est certissimum, ut patet ex eodem Doctore loco citato §. *ad quæstionem*, dicente, *Utrumque salvari potest, quòd sit scilicet forma respectiva, sicut jam ostensum est, vel quòd sit forma realis absoluta*: quo non obstante Maironius, Bassolius, Vorrillon, & alii veteres Scotistæ; Hyquæus, Aretinus, Poncius & alii quos citat & sequitur Mastrius, Frassen & Cavellus docent characterem esse formam absolutam in doctrina Scoti.

Dico igitur characterem esse formam absolutam, ad secundam speciem qualitatis pertinentem. Hæc conclusio est probabilior in doctrina Scoti in 4. dist. 6. quæst. 10. §. *ad*

qua-

quæstionem, litt. D. ubi ait, *Respondeo ergo quòd si character ponatur accidens absolutum, potest poni in secunda specie qualitatis, vel etiam in prima; nec alterum istorum potest evidenter improbari*. Præterea, Doctor in eodem §. evidenter & expressè probat characterem esse in genere qualitatis: ergo ex doctrina Scoti probabilius est characterem esse formam absolutam, quàm relativam; cùm apud Scotistas, qualitas & relatio distinguantur.

Prob. 1. pars: Si character esset relatio, haberet terminum absolutum & correlationem, extra fundamentum ipsius characteris existentes; cùm omne relativum in doctrina Scoti terminetur ad absolutum, & in doctrina omnium Philosophorum habeat correlativum: sed nihil cognoscitur extra animam Christianam existens, quod possit terminare characterem, & ad ipsum referri: ergo character non est quid relativum, sed absolutum. Prob. minor: Si esset aliquid, maxamè Christus sub ratione capitis & peculiaris Domini, ut dicunt adversarii; sed hæc ratio non valet: ergo. Prob. minor 1. Illud non est terminus relationis, quo subato relatio remanet; quippe cùm relatio à termino dependeat, debet destrui destructo termino; sed in triduo mortis, Christus non erat existens, nihilominùs character Baptismi & ordinis Apostolis erat impressus: ergo signum est, quòd Christus non est terminus characteris; subindeque cùm nullus possit assignari terminus, dicendum est ipsum esse formam absolutam. 2. Omne relativum resultat ex natura extremorum, seu fundamenti & termini; sed character non resultat ex anima & Christo, sed imprimitur & à Deo infunditur; aliàs omnis anima haberet characterem: ergo non est relatio. 3. Si Christus esset characteris

ter-

terminus, omnes characteres essent ejusdem speciei, cùm unitas specifica relationis ab unitate termini proveniat; sed hoc est falsum, quia character Sacramenti Baptismi, non est character Sacramenti Ordinis: ergo character est forma absoluta.

Dices 1. Caracter quo quis deputatur à rege ad aliquod ministerium, non est realis, nec forma absoluta, sed relatio rationis: ergo character quo Deus deputat Christianos ad aliquod ministerium in Ecclesia exercendum, est relatio rationis. Resp. negandò paritatem; hæc enim est differentia inter Deum & homines, quòd homines eligunt & deputant, absque nova electi aut deputati mutatione, quia rex aut princeps dum eligit, non constituit hominem idoneum ad officium; at Deus intrinsecè mutat, & idoneum constituit illum quem ad officium aliquod exercendum eligit; ideoque imprimit aliquam formam realem & intrinsecam.

Dices 2. Ratio signi est relativa, cùm sit respectus significati ad significans; sed character est signum, ut dicunt SS. Patres & Concilia: ergo est quid relativum. Resp. distinguendo majorem: Ratio formalis & constitutiva signi, est relativa, & respectus significati ad significans, nego; fundamentalis & materialis, concedo majorem. Distinguo pariter minorem: Character est signum fundamentaliter, concedo; Formaliter, nego minorem & consequentiam: Nam causa entitativè sumpta & formaliter, est ens absolutum, licèt dicat respectum ad effectum; hædera suspensa, est signum vini venalis; voces sunt signa conceptuum; & Sacramenta sunt signa gratiæ: tamen nemo dicit hæc omnia esse formaliter relationes; licèt quatenùs sunt signa, relationem connotent.

Di-

Dices 3. Omnis forma absoluta accidentalis, est delebilis à subjecto in quo est, & suscipit magis & minùs, cùm sit accidens, quod habet contrarium, & qualitas quæ est capax intentionis: sed character est indelebilis, ut dictum est quæst. præced. & est in omnibus æqualis; nullus enim est magis baptizatus, nec magis confirmatus quàm alius, nec magis Christianus ratione characteris: ergo character non est forma absoluta, sed relativa.

Resp. 1. argumentum militare etiam contra adversarios, quia relatio prædicamentalis est separabilis à subjecto, ut dicunt omnes Philosophi nostri, & capax intentionis: possibile enim est, quòd album A, sit magis simile albo C, quàm album B.

Resp. 2. distinguendo 1. partem antecedentis: Forma absoluta accidentalis est delebilis à subjecto in quo est, si sit forma naturalis & educta, concedo; si sit supernaturalis & creata, qualis est character, nego: quia tales formæ, licèt accidentales sint, per annihilationem tantùm à subjecto separantur; ideoque non habent contrarium, nec oppositum, nec delentur physicè nisi Deo sic volente, quod etiam de charactere fatemur, cùm de potentia absoluta deleri possit, id est annihilari. Nec valet dicere gratiam esse formam creatam, spiritualem & supernaturalem; Non valet, quia gratia non deletur, nec à subjecto physicè separatur per oppositum seu peccatum, sed per annihilationem, ut dictum est in 3. tomo, quia decrevit Deus annhilare & auferre gratiam, interveniente pecccato; sic enim instituere potuit de charactere: nam gratia physicè sumpta, est etiam ex natura sua indelebilis sicut character, & character est anihi-

nihilabilis sicut gratia. Ad 2. partem antecedentis, dico characterem esse intentionis capacem, quamvis secundùm gradualem latitudinem sit æqualiter in omnibus: hoc enim provenit ex divina voluntate ordinante, omnes qui Baptismum, Confirmationem & Ordines suscipiunt, ad æqualem denominationem Christiani, Sacerdotis & Confirmati; quia character est intentionis capax sicut gratia; sed non est necessitas augendi characterem sicut gratiam: ergo licèt character sit indelebilis, & in omnibus æqualis, nihilominùs est forma absoluta, sicut gratia habitualis; ut suadet responsio nostra.

Prob. 2. pars conclusionis, nempè characterem pertinere ad secundam speciem qualitatis. 1. Qualitas quæ est formaliter principium operationis, pertinet ad secundam speciem qualitatis, quæ est potentia; sed character est qualitas ex divina ordinatione ad aliquam operationem ordinata: nam character ordinatur ad cultum Dei, & ad aliqua munera pro Christo & Ecclesia exercenda: ergo reponitur in secunda specie qualitatis. 2. Character causat notitiam Christiani, vel Sacerdotis, aut Confirmati, in intellectu proportionato: Angelus enim cognoscit & distinguit ratione characteris animam Sacerdotis ab anima laici: ergo est potentia.

Dices; Character est qualitas supernaturalis: ergo non potest pertinere ad secundam qualitatis speciem, quæ est potentia naturalis. Resp. cum Doctore supra citato dicente, *Tamen potentia supernaturalis, si est absoluta, & accidentalis, & spiritualis, bene potest pertinere ad idem genus intermedium cum habitu naturali*: ergo character, licèt sit supernaturalis, in secunda qualitatis specie poni potest.

Entia supernaturalia ut spes, fides, charitas

tas & unio hypoſtatica, quam Scotiſtæ dicunt eſſe ens reale relativum ab extremis unitis diſtinctum, ut probatum manet in tertio tomo tract. de incarnat. diſp. 5. quæſt. 3. ſunt in aliquo prædicamento; cùm Philoſophi reponant in cathegoriis omnia entia realia, excepto ente infinito, quod eſt Deus: igitur quamvis character ſit ſupernaturalis, poteſt nihilominus dici potentia, ſicut gratia habitualis dicitur qualitas; quia potentia prædicatur in recto de omni potentia creata; ſicut qualitas prædicatur de omni qualitate creata, quin ſupernaturalitas impediat.

QUÆSTIO III.

Quodnam ſit ſubjectum proximum & immediatum characteris Sacramentalis?

SUppono tamquam certum, animam eſſe ſubjectum remotum characteris, ut definitum fuit in Trident. ſeſſ. 7. can. 9. *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam indelebile, unde ea iterari non poſſunt, anathema ſit*: non autem proximum & immediatum. Ratio eſt, quia character immediatè ordinatur ad operationem; ideoque in ſubjecto operativo ſubjectari debet. Unde difficultas eſt, in quanam ex potentiis animæ ſubjectetur immediatè?

Dico igitur, quòd ſubjectum proximum & imme-

mediatum characteris non est intellectus, sed voluntas. Ita Scotus in 4. dist. 6. quæst. 11. §. *dico ergo ad quæstionem*. Prob. 1. ex Doctore dicente, 1. *Character autem si ponatur in esse, convenienter ponitur dispositio ad gratiam Sacramentalem: ergo congruum est ponere characterem in voluntate*. 2. Character & gratia sunt in eodem subjecto; sed gratia sanctificans, quæ est à charitate indistincta, est in voluntate: ergo character est etiam in voluntate, in sententia Scoti.

Prob. iterum ex Doctore: Character est signum vel fundamentum obligationis animæ ad Deum: ergo rationabile est, quòd ponatur in illa potentia, cujus est primò obligari; talis autem est voluntas, quia præcisè per ejus actum aliquis se obligat principaliter: illa enim quæ concurrunt ibi ex parte intellectus, vel alterius potentiæ in homine, non sunt nisi quædam præambula ad firmum velle, quod est rationabiliter proponere, vel vovere; vel quædam signa manifestantia illud esse firmum. Ita Scotus: ergo ex Doctore character est in voluntate.

Confirm. Homo charactere insignitus, cognoscit se in familia Christi adscriptum, & ad observantiam legis divinæ & fidei defensionem obligatum per characterem; sed character non potest obligare hominem ad tanta munera exercenda, nisi sit in voluntate. Tum quia voluntas est potentia libera, cujus virtute, observantia legum fit meritoria, honesta & laudabilis. Tum quia obedientia est actus voluntatis. Tum quia qui obligat alium; intendit sibi voluntatem illius subjicere: ergo character est in voluntate.

Prob. denique: Character Sacramentalis, qui per se ordinatur ad exhibendum cultum Deo,

in ea potentia immediatè subjectari debet, ad quam pertinet exhibitio talis cultus; sed exhibitio cultus divini pertinet ad voluntatem: in ea enim residet virtus religionis, quæ divinum cultum habet pro suo objecto: ergo in voluntate, non verò in intellectu, character existit.

Resp. Gonet. distinguendo majorem: In ea potentia subjectari debet immediatè character, ad quam pertinet exhibere cultum Deo, abstrahendo ab hoc, quòd exhibitio talis cultus benè vel malè fiat, concedo majorem; ad quam pertinet exhibere cultum Deo, benè & religiosè, nego majorem. Similiter distinguo minorem (inquit) ad voluntatem pertinet exhibere cultum Deo, secundùm quòd benè & religiosè debet fieri, concedo majorem: absolutè, & abstrahendo ab hoc quod benè vel malè fiat, nego minorem & consequentiam. Sic enim sumptus divinus cultus, non pertinet ad virtutem religionis, sed ad virtutem fidei in intellectu residentem, & ad characterem ut dirigentem habitum fidei, & imperantem actiones illas quibus Dei cultus perficitur.

Contra 1. Congruentius est characterem subjectari in ea potentia ad quam pertinet exhibere cultum benè & religiosè, quàm ad potentiam ad quam pertinet exhibere cultum Deo, abstrahendo ab hoc, quòd talis exhibitio benè vel malè fiat, cùm character ordinetur ad exhibendum cultum Deo benè & religiosè. 2. Exhibitio cultus divini, aut exhibere cultum Deo, in se est elicitivè à voluntate: exhibere enim, idem est ac reddere, dare, assentiri &c. quæ omnia à voluntate eliciuntur: ergo exhibitio cultus absolutè, & abstrahendo ab hoc, quòd benè vel malè fiat, pertinet ad voluntatem. 3. Exhibitio cultus formaliter sumpta, non pertinet ad

vir-

virtutem fidei, sed ad virtutem religionis, quæ est in voluntate. Tum quia beati in quibus nulla est fides, exhibent cultum Deo. Tum quia exhibitio cultus est formaliter actus liber & meritorius; stante enim fide, voluntas denegare potest cultum Deo: ergo exhibitio cultus ex natura sua pertinet ad voluntatem. Tum quia exhibitio cultus divini præsupponit fidem, & producitur ex amore: ergo est actus voluntatis.

Obj. 1. Gonetus; cum enim character per se primò ordinetur ad actus divini cultus, quibus fit protestatio fidei, debet habere pro subjecto immediato illam potentiam in qua immediatè subjectatur habitus fidei; sed habitus fidei immediatè subjectatur in intellectu: ergo & character.

Confirm. Sicut fides est radix totius ædificii spiritualis; ita etiam character est fundamentum omium actionum & passionum hierarchicarum quæ sunt tradere divina & recipere: ergo debet constitui in eo subjecto in quo est fides.

Resp. negando majorem 1. Quia licèt fides sit actus intellectus, tamen protestatio fidei est actus imperatus à voluntate; voluntas siquidem est primum principium actus credendi: quia ergo character ordinatur ad actus quibus fit protestatio religionis, est in voluntate, sicut fides in intellectu. *Præterea* ex Goneto, dispositio non debet esse in subjecto in quo est forma ad quam est dispositio; aliàs concederet characterem esse in voluntate, quia gratia Sacramentalis ad quam est dispositio, est etiam in voluntate: ergo à fortiori quamvis character ordinetur ad actus divini cultus, quibus fit protestatio fidei, tamen ex hoc non debet esse in subjecto in quo est fides. Ad confirm. nego consequentiam, quia comparatio chara-

cte-

cteris cum fide, est tantùm in ordine ad effectus & munera, non verò in ordine ad subjecta: nam character residens in voluntate, potest tradere divina & recipere, sicut fides residens in intellectu, est radix omnium virtutum spiritualium.

Obj. 2. ex D. Dionys. cap. 2. de Ecclesiast. Hierarch. ubi ait characterem esse *Lumen divinum illuminans nos, & configurans Christo*; at lumen & configuratio, non pertinent saltem immediatè ad voluntatem, sed ad intellectum; lumen quidem, quia volunta est potentia cæca; configuratio verò, quia figura seu imago Dei, cui nos configurat character, est in intellectu, & non in voluntate, nisi ratione intellectus, & ex consequenti; propter quod Filius Dei qui in divinis per intellectum procedit, vocatur figura substantiæ Patris: ergo character est in intellectu, non verò in voluntate.

Resp. D. Dionys. loqui in sensu comparativo, non verò in sensu formali; aliàs character esset formaliter fides, quod est falsum. Tum quia ille qui recipit Sacramentum Ordinis, non recipit habitum fidei, & recipit characterem: & ille qui recipit Baptismum cum fictione, recipit characterem & non recipit fidem. Tum quia character dicitur lumen, quia sigillando hominem, indicat illum deputatum esse & electum per tale signum in Christi domesticum, militem & ministrum, quo pacto character servi dicitur etiam lumen, quia illuminat alios ut illum cognoscant esse servum. Tum quia gratia sanctificans in variis sacræ Scripturæ locis dicitur etiam lumen: ergo cùm character non sit lumen formaliter, sed tantùm metaphoricè, sicut Christus est leo, agnus &c. non debet esse in intellectu in quo est formale

male lumen, cùm in voluntate residendo, valeat indicare hominem esse militem Christi &c. Idem dico de configuratione, quia character configurat nos Christo, quatenùs nos obligat ad imitandum vitam ipsius; & de configuratione morali, quæ in voluntate consistit.

Obj. 3. Qualitates quarum subjectum immediatum est voluntas, per se determinant ad bonum vel malum morale, ita ut non possit voluntas eis uti indifferenter ad bonum vel malum morale; at character non determinat per se ad bonum vel malum morale, sed relinquit indifferentem voluntatem ad utendum ipso ad bonum vel malum morale: ergo non subjectatur immediatè in voluntate, sed in intellectu.

Resp. negando minorem: Character enim est qualitas quædam supernaturalis, quæ inclinat & determinat voluntatem ac professionem fidei externam, ad exhibendum Deo cultum, ad ministranda vel recipienda Sacramenta, & ad alios religionis actus exercendos, quemadmodum spes determinat voluntatem ad sperandum, & charitas ad diligendum &c.

Obj. denique: Illa potentia in homine debet esse subjectum immediatum characteris Sacramentalis, quæ suo actu ut elevato per characterem, debet alias potentias movere & dirigere ad actiones, vel passiones pertinentes ad cultum Dei; sed intellectus practicus est talis potentia, utpote qui per actum imperii sibi proprium debet movere & dirigere alias omnes facultates ad opus: ergo intellectus practicus immediatum subjectum characteris Sacramentalis esse debet. Gonetus fusè probat majorem, sed omitto probationes, quia nulla probatione indiget; unde

Resp. concessa majori, cùm character esse debeat in potentia quæ movet & dirigit ad actiones, vel passiones pertinentes ad cultum Dei, negando minorem: quia ut fusè dixi in tract. de actibus humanis, agendo de actu imperii, voluntas est illa potentia quæ per actum imperii sibi proprium, movet alias facultates ad opus, putà intellectum ad credendum, ad inferendam mediis aliis potentiis actionem ex officio protestativam fidei contra hostes Christi, & sic de cæteris: ergo character immediatè subjectatur in voluntate.

Quæres, an character insit animæ indelebiliter? Resp. affirmativè. Tum quia constat ex Conciliis, Patribus & omnibus Theologis. Tum quia character non habet contrarium, cùm sit potentia. Tum quia est compatibilis cum omni peccato. Tum quia datur ut signum distinctivum: ergo oportet, quòd existat, existente subjecto; sed subjectum, quod est anima, est incorruptibile: ergo. Tum quia remanet in beatis & in damnatis: ergo.

Dices: Post mortem nulla est necessitas, nullave capacitas administrandi, aut recipiendi Sacramenta, atque exhibendi Deo cultum exteriorem: ergo character non debet remanere. *Nego* consequentiam, quia character alium habet finem præter assignatos, nimirum distinguere fideles ab infidelibus, milites Christi ab inimicis ejus, & ministros aut dispensatores mysteriorum Dei ab aliis: ergo debet remanere in alia vita, in bonis ad ornatum, & in damnatis ad confusionem & ignominiam. Nec valet hìc reponere damnatos esse indignos omni dono supernaturali, & omni effectu Sacramentorum esse privandos; quia hoc de dono ad solatium conducente intelligendum est.

Dices

Dices iterum: Character ordinis non est indelebilis, sed est amissibilis; constat enim ex historia Ecclesiastica, ordinationes & Ecclesiastica munia plurimorum præsulum, utpote Photii Episcopi Constantinopolitani, Maximi Cynici ejusdem civitatis antistitis, & Proculi Episcopi Massiliensis, prorsus irrita ac nulla declarata fuisse: ergo &c. *Respondeo* negando antecedens, ad cujus probationem dico ordinationes horum præsulum & aliorum quæ afferri possunt, non fuisse irritas & nullas, sed solùm illicitas, ut ex eadem historia compertum est: ergo habuerunt characterem & authoritatem Episcopalem, qua privari minimè possunt, quamvis privari potuerint honoribus, gradibus & officiis. Idem dico de aliis ordinatis.



DISPUTATIO V.

De Sacramentorum Institutore, Ministro, numero, & ordine.

GRatia brevitatis cui studemus, tres disputationes sub uno & eodem titulo conjunctim examinandæ sunt; ponenda est igitur

QUÆSTIO I.

An potestas ministerialis instituendi Sacramenta, & potestas excellentiæ quæ fuit in Christo, homini puro communicari potuerit?

OMitto quæstionem in qua Gonetus quærit, *An Christus omnia legis novæ Sacramenta immediatè instituerit?* Tum quia certum est apud omnes Catholicos. Tum quia definitum fuit in Conc. Trident. sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere, ubi dicitur, *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta, anathema sit*. Tum quia Christus est caput Ecclesiæ, & author legis Evangelicæ: ergo est institutor instrumentorum Ecclesiæ, & author Sacramentorum. Unde difficultas nostra est, an aliqua pura creatura possit divinitùs habere virtutem & potestatem instituendi Sacramenta, ex commissione, seu ministerialem & participatam quam habuit Christus in quantùm homo? At ponderatis utriusque Doctoris, Angelici scilicet & Subtilis rationibus, existimo cum Poncio quæstionem esse de nomine: nam Gonetus concedit Deum non posse communicare puro homini potestatem principalem & authoritativam instituendi Sacramenta, seu signa efficacia gratiæ, sed solùm commissionem aut authoritatem ministerialem & delegatam, ut possit determinare signa sensibilia, ad quorum præsentiam, ipse Deus infundat & creet gratiam, quod Scotus, nullusque Scotista negat: Doctor enim in 4. dist. 1. qu. 3. §. *De secundo dico* litt. D. ait, *In quantùm*

autem absolutè est signum practicum (loquitur de Sacramento) *posset instisui ab aliquo alio*: igitur ut advertunt Suares, Delugo, Poncius & alii, D. Thomas & Scotus conveniunt in re, & in modo loquendi tantùm differunt.

Dico igitur, quòd potestas ministerialis instituendi Sacramenta potuit homini puro communicari. Prob. Purus homo potuit à Deo accipere virtutem satisfaciendi pro omnibus de condigno, & esse verè & propriè Redemptor, sicut Christus, ut dictum est in 3. tomo cum Scotistis: ergo purus homo potuit accipere à Deo commissionem eligendi signa sensibilia, ad quorum præsentiam Deus promisisset conferre gratiam; qui quidem homo esset Sacramentorum institutor, sicut alius esset hominum Redemptor. Prob. consequentia 1. Ideò Christus ut homo est causa & author Sacramentorum, quia est causa principalis meritoria gratiæ, quæ est effectus Sacramenti; sed ille purus homo, qui de potentia absoluta de condigno satisfecisset, fuisset causa principalis meritoria gratiæ: ergo ex commissione potuisset esse causa efficiens sicut Christus ut homo fuit. 2. Sacramenta sunt causæ morales gratiæ, ut dixi supra cum Scotistis, id est producunt gatiam, quia movent divinam voluntatem ad conferendam gratiam, quam Christus nobis in passione meruit; sed ille purus homo de potentia absoluta meruisset nobis gratiam, quam Deus nobis conferre promisisset per signa sensibilia (si sic disponere voluisset) ab ipsomet homine eligenda: ergo instituere potuisset Sacramenta.

Confirm. Christus ut homo meruit instituere Sacramenta, quia Deus acceptavit mortem & Passionem; & virtute mortis acceptatæ, qua Deus se obligavit infallibiliter concurrere ad

productionem gratiæ, cum signis sensibilibus quæ Christus ad conferendam gratiam determinare voluit, Christus est verè Sacramentorum author; sed Deus opera illius hominis acceptare potuisset ac se obligare ad conferendam gratiam, & ad productionem ejusdem concurrere cum quibuscumque signis sensibilibus: ergo fuisset author Sacramentorum ex commissione, & Deo delegante, sicut Christus. Nec hoc implicat ex parte Dei qui est omium Dominus, nec ex parte hominum qui subjiciuntur Deo omnes æqualiter, nec ex parte Sacramentorum, aut gratiæ.

Prob. 2. Institutio Sacramentorum nihil aliud est quàm destinatio alicujus rei sensibilis in signum efficax gratiæ, ad cujus præsentiam, Deus infallibiliter dat gratiam; sed purus homo posset ex potestate sibi à Deo delegata ad instituendum aliquod signum (quam Christus habuit) instituere aliquam rem sensibilem, in signum efficax gratiæ, efficax & infallibile ex vi promissionis divinæ illi puro homini factæ: ergo non implicat, quòd purus homo, Deo sic ordinante, Sacramenta instituat. Prob. Christus ut homo non habuit ex se illam potestatem instituendi Sacramenta; sed Deus, ex Doctore, potest eligere purum hominem ad omne ministerium & officium ad quod elegit Christi humanitatem: purus enim homo potuit nos redimere, esse caput Ecclesiæ &c. quæ Christus homo habuit ex electione speciali, & quæ potuit non habere, etiam stante unione; hinc est, quòd cùm Christus ut homo Sacramenta instituerit ex commissione & electione, potueritque, Deo sic volente, ea non instituere stante unione, Deus potuit eligere purum hominem ad Sacramenta instituenda.

Insta-

Instabis: In hoc casu ille homo non esset author, nec institutor Sacramentorum; sed tantùm causa instrumentalis, aut declarativa. Resp. negando instantiam, quia ut aliquis dicatur author & institutor alicujus rei, non requiritur, quòd nullo modo acceperit ab alio potestatem id instituendi, aliàs D. Franciscus non esset Institutor Ordinis nostri Seraphici, quia à summo Pontifice accepit potestatem; sed sufficit, quòd pro nutu voluntatis suæ juxta authoritatem illi concessam, eligat istud medium præ alio, & constituat illud signum significativum & moraliter productivum gratiæ, quæ omnia in in illo puro homine essent. *Præterea*, instantia probat hominem illum non esse causam principalem & authoritatis, non autem causam commissionis, delegatam & ministerialem: nam summus Pontifex instituere potest in Ecclesia nonnullas ceremonias, & esse authorem ipsarum; licèt valeat eas instituere ex vi potentiæ quam à Deo accepit: ergo ut aliquis sit author Sacramentorum, non requiritur, quòd nullo modo potestatem acceperit ab alio.

Dices 1. cum Mastrio: Illius propriè est Sacramentum instituere, cujus est non tantùm signum imponere, sed etiam efficaciam illi ad producendum id quod significat, conferre; sed solus Deus hoc potest: ergo solus Deus potest propriè Sacramentum instituere. Resp. distinguendo majorem: Illius est propriè Sacramentum instituere, absolutè, authoritativè & magis principaliter, cujus est non tantùm signum imponere, sed etiam efficaciam illi ad producendum id quod significat, conferre, concedo; Authoritate delegata, & virtute commissionis à Deo emanatæ, nego. Similiter distincta minori, nego consequentiam; quia homo institueret authoritate delegata, & ex com-

missione à Deo emanata; ideòque ut esset propriè author, non deberet conferre Sacramentis virtutem efficacem producendi gratiam: nam Christus ut homo præcisè non habet à se authoritatem, nec virtutem conferendi rebus sensibilibus efficaciam ad producendam gratiam; hoc enim à divinitate hypostaticè accepit; nihilominùs est verè author; idem igitur dicendum esset de puro homine, à Deo ad hujusmodi institutionem deputato.

Dices 2. cum Vasquez: Instituere propriè, est rem primò statuere & incipere; sed soli Deo primò convenit statuere & incipere Sacramenta: ergo solus Deus potest ea instituere. Resp. negando majorem: ille enim qui rem primò statuit & incipit, est causa primaria & authoritativa, & ille qui ex commissione statuit, dicitur etiam verè statuere. Justitiæ præfectus instituit res in Provincia, quarum dicitur verè & propriè author, quamvis eas instituat authoritate regis, & tantùm ex vi commissionis.

Dices 3. Deus non potest communicare homini virtutem creandi: ergo nec virtutem instituendi Sacramenta, cùm ex D. August. justificatio impii sit quid majus quàm creatio cœli & terræ. Resp. negando consequentiam & paritatem. Tum quia licèt justificatio sit major ex parte facti, tamen ex parte modi, creatio est difficilior & major, ut ait D. Thomas. Tum quia creatio arguit virtutem infinitam, quæ creaturæ communicari non potest; at virtus instituendi Sacramenta non est infinita: ergo potest communicari puræ creaturæ.

Præcipua hujus disparitatis ratio est, quia Sacramenta sunt instrumenta moralia, seu moraliter operativa gratiæ, ut suprà dictum est, ad quorum positionem Deus largitur gratiam, ut in-

inquit Divus Ambrosius de dignitate Sacerdotali: hinc est, quòd ut quis ex divina ordinatione instituat hujusmodi gratiæ instrumenta, non est necesse, quòd habeat virtutem creandi, quam reverà nemini Deus dare potest; sed sufficit, quòd Deus promittat ei se gratiam largiturum ad quodcumque signum voluerit eligere pro gratia conferenda, cùm ipsa gratia sanctificans creetur immediate à Deo, & ab ipsomet detur ad positionem signi sensibilis, quod Christus destinavit. Idem dicendum est de potentia eminentiali aut excellentiæ, quæ fuit in Christo ad instituenda Sacramenta: cùm possit etiam communicari puro homini: quia purus homo de potentia Dei absoluta potest constitui caput omnium hominum, & habere omnem gratiam quam habuit humanitas Christi, ut dictum est in tract. de Incarnat. ubi probatum manet purum hominem potuisse satisfacere de condigno, qui quidem homo potuit mereri de condigno causalitatem quam Sacramenta habent circa gratiam sanctificantem. Ita docet divus Thomas asserens potestatem excellentiæ convenire Christo quatenus est caput totius Ecclesiæ, & quatenus est Deus convenire ipsi potestatem authoritatis, quæ incommunicabilis est creaturæ, sicut incommunicabilis est illi essentia divina; hæc quippe potestas & essentia divina identificantur. Nec valet objicere Christum habuisse potestatem excellentiæ ratione unionis, quia hoc est falsum; habuit enim eam per eamdem rationem per quam est caput Ecclesiæ, de qua ostendimus in tractatu de incarnatione.

QUÆSTIO II.

Quinam ſint Sacramentorum Miniſtri?

GOnetus exiſtimat Scotum in 4. diſt. 6. qu. 1. affirmare Angelos etiam de lege ordinaria, poſſe eſſe Sacramentorum Miniſtros; at aliter de mente Doctoris ſentiunt Fraſſen, Maſtrius, Brancatus & alii Scotiſtæ: nam loco citato Litt. D. ait, *Generaliter etenim congruum eſt ab homine viatore conferri Baptiſmum, & non ab Angelo aliquo. Tum quia Chriſtus qui inſtituit, homo fuit. Tum quia in Sacramento eſt aliquid ſenſibile, & aliquid ſpirituale, & per conſequens magis congruit Miniſtro, utenti ſenſu & intellectu, quàm purè intellectuali*: ergo ex Scoto ſolus homo eſt Miniſter ordinarius Sacramentorum.

Dico igitur 1. Quòd de lege ordinaria, ſoli homines ſunt Sacramentorum Miniſtri. Tum quia colligitur ex Apoſt. 1. ad Cor. 4. *Sic nos exiſtimet homo ut Miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Tum quia ſolis viatoribus conceſſa fuit Sacramentorum miniſtratio, ut colligitur ex his verbis Chriſti Apoſtolos alloquentis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Et Joan. 20. ℣. 23. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Tum quia ordinarius ſuſceptor Sacramentorum, eſt ſolus homo viator: ergo & Miniſter.

Dico 2. De potentia & lege extraordinaria, Angelos poſſe Sacramenta conficere & adminiſtrare. Ita Doctor in 4. diſt. 6. quæſt. 1. ubi ſic ait, *Simpliciter ergo nullum ſuppoſitum natu-*

naturæ intellectualis excluditur à posse baptizare, quibus verbis Doctor probat Angelum non esse Ministrum ordinarium, sed posse esse Ministrum absolutè loquendo, ut denotat illa particula *Simpliciter*, & paulò post addit; *Dixi autem generaliter suppositum naturæ intellectualis, quia si bonus Angelus baptizaret in corpore assumpto cum omnibus prædictis conditionibus, tunc supponendum esset, verum esse ejus Baptismum, quia non fieret nisi de præcepto Dei, nec esset ille baptizatus ab Angelo iterum baptizandus, sicut Michael prohibuit Episcopo dedicare Ecclesiam suam in Monte Gargano, asserens eam à se dedicatam fuisse*: ergo ex Doctore, Angelus de lege extraordinaria potest esse Minister Baptismi.

Prob. iterum: Tum quia Angeli in corporibus assumptis possunt proferre verba sensibilia cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Tum quia ita liberum est Deo committere Angelis ministerium Sacramentorum, sicut hominibus, cùm Deus non necessitetur ab hominibus, ut ipsis dumtaxat Sacramentorum ministerium committat. Tum quia legimus in nostris Chronicis, Angelum, Eucharistiam sua manu porrexisse D. Bonaventuræ Doctori Seraphico: ergo Angeli possunt divinitùs Sacramenta conficere & administrare. *Instabis*: Paulus ad Hebr. 5. ait: *Omnis Pontifex*, id est, Minister Sacramenti, *debet assumi ex hominibus, ut offerat dona & sacrificia*. Dico Apostolum loqui de Pontifice ordinario & juxta institutionem, non verò de lege extraordinaria.

Dices 1. Sacramenta constant veris verbis; sed verba ab Angelis in corporibus assumptis prolata, non essent vera verba: ergo Angeli etiam de potentia extraordinaria non

possunt conficere vera Sacramenta. Resp. negando minorem, nam ut verba sint vera, id est verè Sacramentalia, non requiritur absolutè, quòd sint vera vitaliter & verè humana; sed sufficit, quòd sint significativa, & cum debita intentione prolata. Unde cùm verba ab Angelo in corporibus assumptis prolata, essent verè significativa cum intentione, essent Sacramentalia, quamvis non essent vitalia nec humana.

Dices 2. Angeli non possunt suscipere Sacramenta: ergo nec conficere nec administrare. Resp. negando consequentiam. Tum quia in Angelis nulla est infirmitas: ergo nullam suscipere possunt medicinam, licèt possint eam conficere. Tum quia in suscipiente requiruntur dispositiones, quæ non requiruntur in administrante: ergo.

Dico 3. Quòd homo etiam comprehensor, sive beatus, est de lege ordinaria, sive ex vi institutionis Christi; absque ulla alia commissione nova Minister idoneus Sacramentorum. Tum quia character qui est signum quo Christus Ministros Ecclesiæ & milites ejusdem, signare voluit, remanet post hanc vitam; cùm sit indelebilis, ut dictum est: ergo beati in patria conservant potestatem ordinariam, quam habebant in via, ad Sacramenta conficienda & administranda: Et consequenter si beatus, Deo permittente, descenderet de cœlis, & corpus proprium assumeret, ut puerum baptizaret, Baptismus ille esset à Ministro idoneo ex vi institutionis Sacramenti & ordinario, licèt casus esset extraordinarius. Tum quia status viæ & status patriæ non variant Sacramentorum institutionem: ergo si homo in via sit Minister ordinarius, etiam in patria.

Dices:

Dices: Sacramenta ex vi institutionis, sunt instrumenta ordinaria Ecclesiæ visibilis: ergo ipsorum Ministri ordinarii debent esse membra ejusdem Ecclesiæ; sed beati sunt membra Ecclesiæ triumphantis: ergo. Resp. distinguendo consequentiam. Ministri ordinarii quantum ad actualem administrationem ordinariam, debent esse membra Ecclesiæ militantis, concedo; Ministri ordinarii quantum ad jus & idoneitatem administrationis, nego: Unde cùm beati sint in jure, & sint idonei, sunt Ministri ordinarii; licèt non sint membra actualia Ecclesiæ militantis. *Tandem*, sufficit, quòd sint membra Christi, qui est Sacramentorum author & princeps: sed beati sunt membra Christi: ergo &c.

His addo, quòd Angelus potest de potentia extraordinaria administrare Sacramenta. Tum quia constat ex dictis in secundâ conclusione. Tum quia lex antiqua ordinata fuit per Angelos in manu Moysis mediatoris, ut legimus Actuum 7. vers. 38. & ad Galat. 3. vers. 19. & ideò poterunt novæ legis Sacramenta per eosdem ministrari, cùm non sit major ratio de Sacramentis conferendis, quàm de lege communicanda: ergo beati possunt, saltem de potentia absoluta, administrare sacramenta, cum non sint magis comprehensores, quàm Angeli.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An ad valorem Sacramenti requiratur intentio Ministri, qua intendat Sacramentum perficere?

SUppono intentionem Ministri esse omninò necessariam ad validitatem Sacramenti, ut expresse sanciunt Concilia Florent. in Decreto unionis, & Tridentin. sess. 7. can. 11. Unde difficultas est, quæ & qualis debeat esse hæc intentio? Plures Theologi dicunt cum Catherino intentionem faciendi actum externum præcisè, & quatenùs est actus materialis & sensibilis, sufficere ad validitatem Sacramenti, absque alia intentione interna conficiendi Sacramentum; contra quos

Dico 1. Ad valorem Sacramenti non sufficit in Ministro intentio faciendi solum actum externum, sed requiritur insuper intentio faciendi illum ut sacramentalem. Hæc opinio est probabilior altera. Prob. *Primò* Concil. Tridentin. sess. 7. can. 11. requirit in Ministro intentionem faciendi, quod facit Ecclesia; sed hæc intentio non est solùm intentio adhibendi materiam & proferendi formam, materialiter sumpta, quia dum Concilia definiunt intentionem faciendi quod Ecclesia facit, damnant hæreticos asserentes sacramentum esse validum, quamvis jocosè & per ludum ministretur ejus forma, ut liquidò constat ex Trident. sess. 14. can. 9. sed est intentio adhibendi materiam, & proferendi formam, quatenùs sunt partes essentiales Sacramenti, &

ut

ut ex ipsis fiat sacramentum verum & integrum.

Secundò, Si intentio faciendi tantùm actum externum esset intentio faciendi, quod facit Ecclesia; id est, si intentio adhibendi tantùm res & dicendi verba, sufficeret, sequeretur 1. quòd dum Sacerdos intendens & volens consecrare decem hostias, quas præsentes habet, & post consecrationem reperit duodecim, omnes essent consecratæ, quia adhibuit duodecim hostias & actum externum; sed hoc est falsum, quia in hoc casu nulla hostia est consecrata: ergo hoc provenit ex defectu intentionis internæ determinantis materiam, & faciendi Sacramentum ex materia præsenti; cùm si dixisset, *Hoc est corpus meum*, cum intentione conficiendi sacramentum ex materia consecrabili sibi præsente, omnes hostiæ essent consecratæ. 2. Sequeretur, quòd mater lavando puerum in balneis, dicens ex devotione: *Ego te lavo in nomine Patris &c.* baptizaret; similiter dum lector in mensa Religiosorum profert hæc verba Apost. *Hoc est corpus meum*, consecraret panem; sed utrumque est falsum: ergo ad valorem sacramenti requiritur intentio conficiendi Sacramentum.

Tertiò, Non potest aliquis nomine & potestate principis operari validè, nisi velit & intendat, quod vult princeps, cujus nomine & potestate operatur; aliàs nomine proprio, propriaque authoritate operaretur, & absolutè independenter ab influxu & ministerio principis, quod est contra suppositum; sed Minister] Sacramentorum operatur ut Minister Christi & Ecclesiæ: ergo ut operetur validè, oportet, quòd faciat & intendat, quod Christus intendit & fecit; aliàs id quod faceret, non esset actio Christi; sed dum Christus Sacramenta instituit, habuit in-

intentionem conficiendi Sacramentum : ergo.

Quintò, Necessariò requiritur ad valorem Sacramenti certa verborum forma, ut determinetur indifferentia materiæ : certum enim est, quòd si Sacerdos panem præ manibus habens & consecrare intendens, diceret, *Ego te absolvo*, non consecraret: ergo requiritur etiam aliquid quo determinetur indifferentia formæ; hæc siquidem verba, *Ego te baptizo*, aut *Ego te absolvo*, varias significationes habere possunt; cùm baptizare idem sit ac lavare; absolvere idem sit ac dispensare &c. sed verba non possunt determinari nisi per intentionem conficiendi Sacramentum, & determinandi verba sensibilia ad conferendam gratiam, aut augmentum ejusdem: ergo necessariò requiritur.

Dices 1. Alexander Patriarcha Alexandrinus approbavit Baptismum datum à puero Anastasio ludente cum aliis pueris : ergo intentio interior Ministri non est absolutè necessaria. Resp. Anastasium habuisse intentionem baptizandi & faciendi quod facit Ecclesia, licèt acceperit illam actionem pro materia ludi; quia non intendebat primariò ludere, nec animus jocandi ferebatur in substantiam Sacramenti. Tum quia interrogatus, cur id fecisset? respondit se voluisse facere quod Episcopus Alexandrinus faciebat. Tum quia non baptizabat quosvis pueros, sed Catechumenos: ergo habebat intentionem baptizandi, non autem jocandi.

Dices 2. Baptismus ab ebrioso datus, est validus, ut suadet Doctor in 4. dist. 6. q. 5. in fine ubi ait cum D. August. *Non timeo assuetum generationem ad ebrietatem; quia illa consuetudo mala non prohibet* : ergo intentio non requiritur, quia ebriosus intentionem habere nequit. Resp. Doctorem loqui de ebrioso assueto, ut suadent

dent

dent hæc verba *Quia illa consuetudo*, qui potest habere intentionem, ideòque validè baptizare; non verò de ebrio actuali, qui dum baptizat, invalidè baptizat, quia ebrietas actualis impedit usum rationis & intentionem. Unde nego consequentiam; cùm Doctor non approbet Baptismum ab ebrio actuali datum, sed ab ebrioso assueto.

Dices 3. Minister potest sine fide conficere Sacramentum: ergo etiam sine intentione; cum fides sit intentionis radix. Prob. antecedens: Dum hæreticus baptizat cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia Genevensis, vel Anglica, validè baptizat: ergo. Resp. concesso antecedente cum probatione, quia dum hæreticus baptizat cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia Genevensis, habet virtualem intentionem faciendi, quod facit Ecclesia Romana; negando consequentiam cum probatione: quia non implicat, quòd homo intendat facere, quod Ecclesia facit, licèt non habeat fidem Ecclesiæ.

Dices 4. Positis materia & forma, quæ sunt partes essentiales Sacramenti aut compositi Sacramentalis, debet poni Sacramentum: ergo sufficit intentio exterior ponendi partes, seu materiam & formam. Resp. negando consequentiam. Tum quia sicut partes non sunt totum sine unione & actione ex parte causæ efficientis, ita similiter materia & forma non sunt Sacramentum sine intentione Ministri, qui est causa efficiens ministerialis; unde licèt Sacramentum non includat intentionem Ministri tamquam partem, includit tamen illam tamquam conditionem omninò necessariam. Tum quia materia & verba non sunt partes Sacramenti quomodocumque considerata, sed tantùm quatenùs Sacramentalia, seu quatenùs ponuntur & proferuntur ab habente intentionem faciendi, quod facit Ecclesia.

Dices

Dices tandem : Sequeretur , quòd Sacramenta essent incerta & dubia, quia non possumus esse certi de intentione Ministri: ergo intentio ponendi actum externum debet sufficere , ut Sacramentum sit validum . Resp. negando consequentiam, quia licèt sacramenta non sint certa certitudine fidei , cùm non nobis constet per revelationem de intentione Ministri, nec certitudine physica, cùm intentio non appareat sensibus nostris ; sunt tamen certa certitudine morali , quæ sufficit ad pacandos animos , & ad justificationem & salutem.

Quæres 1. An deficiente intentione Ministri ad valorem Sacramenti requisita , Deus suppleat illius defectum, & conferat sine vero Sacramento, effectum Sacramenti, v.g. si Minister ex malitia non intendat baptizare puerum, an Deus ex sua infinita misericordia conferat illi gratiam sine vero Baptismo ?

Resp. Gonet. negativè . Patet enim (inquit) ex illa lege generali Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Et ex D. August. epist.1.28. ad Jeronym. dicente ; *Quisquis dixerit, quòd in Christo vivificabuntur parvuli, qui sine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt , hic profectò contra Apostolicam prædicationem venit , & totam damnat Ecclesiam* : At hoc esset falsum, si puer ille effectum Baptismi, scilicet gratiam, sine vero Baptismo reciperet: ergo &c.

Confirm. Puer sine debita materia vel forma baptizatus, ex malitia vel ignorantia Ministri, gratiam non recipit, ut omnes concedunt: ergo nec ille, qui sine debita intentione baptizatur . Consequentia manifesta est ; nam tam benè deficit sacramentum ex defectu intentionis Ministri, sicut ex defectu formæ vel materiæ, ut definit Florentinum in Decreto unionis , ubi dicitur omnia sacramenta tribus perfici, nimirum

rum materia, forma & intentione Ministri, quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum. Ita Gonetus.

At hæc responsio, salva reverentia tanti Doctoris, non plenè satisfacit; unde ad illud Joan. 3. dico, quòd hæc verba, *Nisi quis renatus fuerit &c.* intelligi possunt de necessitate Baptismi in re ipsa, aut in apparentia, & in facie Ecclesiæ suscepti, seu quando vitium intentionis exteriùs non proditur, & parentes moraliter præsumunt puerum esse baptizatum, & si baptizatus esset adultus, crederet se baptizatum esse. Ita exponunt authores gravissimi; unde cùm puer ille Baptismum suscepisset in facie Ecclesiæ, ita ut parentes, imò & ipse, si esset adultus, essent in certitudine morali de validitate Baptismi, validitas hujus Baptismi multùm congruit divinæ misericordiæ. Ad D. August. dico, quòd loquebatur de puero absque Baptismo tam in re ipsa, quàm in facie Ecclesiæ suscepto, decedente, quod est certum apud omnes, nullumque consortium habet cum nostro casu. Ad confirm. concesso antecedente, consequentia negari potest; quia intentio Ministri quam Concilium exigit, se tenet ex parte causæ efficientis, nempè Ministri; materia verò & forma sunt causæ intrinsecæ & essentiales; unde cùm Deus nequeat supplere defectum causarum intrinsecarum essentialium & formalium, & possit supplere defectum causæ efficientis, ut patet in omni Philosophia, credendum est, quòd in hoc casu, dum agitur de salute hominis, suppleat id quod deficit, dum potest supplere illud via ordinaria, & servatis instrumentis & modis quibus Ecclesia visibilis utitur, & consequenter supplet defectum intentionis, licèt non suppleat defectum materiæ aut formæ, quæ sunt causæ essentiales Sacramenti.

Resp. affirmativè. Tum quia Christus, qui tam-

tamquam summus Sacerdos & Ecclesiæ caput, nunquam in necessariis deest, supplet defectum intentionis Ministri. Tum quia facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam: ergo cùm puer in persona parentum faciat, quod in se est, Deus dat illi gratiam sanctificantem. Tum quia cùm Deus sit causa instituens principalis, & causans salutem hominum mediis Sacramentis, congruum est, quòd in eo casu in quo Sacramentum est nullum absque ulla suscipientis culpa, sed solùm conferentis, suppleat misericordia sua defectum in iis quæ ad salutem sunt necessaria. Tum quia intentio Ministri in isto casu subordinatur intentioni Christi Domini, ut applicatio Sacramenti sit efficax; quia injustum videtur punire aliquem pro iniquitate alterius, cujus ipse non est particeps, nec physicè, nec moraliter: ergo licèt intentio Ministri deficiat, intentio Christi qui author Sacramentorum est, sufficit.

Dico 2. Intentionem actualem non esse absolutè necessariam ad valorem Sacramenti, habitualem verò non esse sufficientem, benè tamen virtualem. Prob. 1. pars: Intentio actualis est ea qua Sacerdos Sacramentum conficiens, actu & de facto intendit conficere illud quod Ecclesia facit; vel est illa quam Sacerdos habet, dum sacramentum conficit: sed hæc intentio non est absolutè necessaria: ergo. Prob. minor: Tum quia in actionibus moralibus & meritoriis, non est absolutè necessaria intentio actualis, sed sufficit virtualis; aliàs nemo posset recitare Officium divinum sine intentione actuali: ergo etiam in sacramentalibus. Tum quia Deus non obligavit hominem ad impossibile; imò nec ad nimis difficile.

Prob. 2. pars: Intentio habitualis est illa qua Sacerdos est expeditus, v.g. ad baptizandum,

quæ

quæ quidem promptitudo oritur ex habitu acquisito; vel est illa intentio causata ex actibus administrandi Sacramenta, inclinans Sacerdotes ad eosdem actus; sed hæc intentio non sufficit: ergo. Prob. minor: Tum quia talis actus non est omninò deliberatus, cùm possit esse in dormientibus, qui multa faciunt ex habitu in quibus non laudantur, nec vituperantur: ergo non sufficit; quia Minister in Sacramento debet operari humano modo, hoc est cum deliberatione & judicio. Tum quia est indifferens, & consequenter non potest influere in sacramentum.

Prob. 3. pars: Intentio virtualis est, quando propter distractionem, Minister non intendit actu facere, quod fecit Christus; sed anteà voluit, & ex vi illius intentionis non interruptæ, nec revocatæ per actum contrarium, actionem Sacramenti perficit; sed hæc intentio sufficit ad valorem sacramenti: ergo. Prob. minor. Tum quia influit in effectum. Tum quia actualis est difficillima, & habitualis est nulla, ut dictum est: ergo virtualis debet esse sufficiens. Tum quia licèt actu transierit, manet tamen in virtute, ratione primi propositi, quo quis se ad agendum applicuit humano modo. Tum quia intentio virtualis sufficit ad actionem meritoriam & demeritoriam: ergò etiam ad actionem sacramentalem.

Quæres, an sit verum Sacramentum, ubi error erga personam cui confertur, intervenit? v. g. dum putat aliquis se baptizare puerum, & nomen Petri illi imponit, & baptizat puellam. Resp. quòd si Minister sit ita dispositus, ut velit nedum illi personæ præsenti, sed cuicumque sibi objectæ conferre Sacramentum, verè conficit Sacramentum: Si autem Minister sit ita dispositus, ut velit tantùm illi personæ in individuo & præsenti, & non alteri conferre Sacramentum, si alius supponatur, tunc non conficit

ficit verum Sacramentum. Idem dicendum est si Sacerdos putans & intendens se audire confessionem Petri dumtaxat, audiat confessionem alterius, & absolvat, & in aliis Sacramentis similiter.

Dices: Error circa substantiam personæ in Matrimonio reddit Sacramentum nullum; certum enim est, quòd error personæ dirimit & invalidat Matrimonium, ut dicemus in proprio loco: ergo etiam alia Sacramenta. *Respondeo* negando consequentiam: ratio disparitatis est, quia error in Matrimonio tollit consensum contrahentis, in quo specialiter consistit, sicque supposito tali errore, tollitur consensus seu forma Sacramenti: at in aliis Sacramentis, error personæ nihil tollit, quod sit sacramento essentiale, modò minister sit ita dispositus, ut velit nedum illi personæ præsenti, sed etiam cuicumque sibi objectæ, conferre sacramentum, & persona velit suscipere illud non obstante ministri errore: quod suaderi potest facto Isaac Genes. 27. qui benedictionem dedit Jacob cùm eam Esau dare intenderet; quæ benedictio fuit grata Deo, & Jacob verè eam suscepit, non obstante errore personæ, quia Isaac reverà habebat intentionem benedicendi unum ex filiis suis, eumque primogenitum instituere volebat in domo sua, quamquam erraverit in persona.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

An per malos Ministros, validè possint Sacramenta conferri?

DIco breviter contra Donatistas, peccatores & infideles, validè Sacramenta conficere, si adhibeant omnia ad illorum valorem requisita; ita omnes Catholici. Prob. tum ex Tridentin. sess. 7. can. 12. & can. 4. de Baptismo, ubi habetur: *Si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, anathema sit.* Tum quia Ecclesia Catholica non rebaptizat baptizatos ab hæreticis. Tum quia Minister operatur authoritate & potestate à Deo accepta; sed Deus non aufert hanc potestatem propter peccatum aut infidelitatem Ministri: ergo validè baptizat, licèt sit hæreticus, vel schismaticus, vel peccator, dummodò reliqua necessaria concurrant. Prob. minor: Potestas conficiendi Sacramenta non est gratia gratum faciens, sed gratis data; nec datur in utilitatem Ministri, sed aliorum: ergo non tollitur per peccatum.

Dices 1. D. Ambr. lib. de initiandis, ait, quòd Baptismus perfidorum non sanat, sed polluit, ut refert Scotus in 4. dist. 5. quæst. 1. in principio, quod confirmat Apost. ad Rom. 14. *Quod non est ex fide, peccatum est*: ergo. *Resp.* quòd Patres per Baptismum perfidorum, intelligunt Baptismum perfidum, seu datum sine forma & sine intentione; non autem verum Baptismum cum omni requisito datum à Ministro perfido & hæ-

hæretico. Ad Apost. dico intelligendam esse per *fidem*, conscientiam: ac si dixisset, quod non est ex conscientia recta, peccatum est, ut dixi in 3. tomo.

Dices 2. Nemo dat, quod non habet; sed infidelis non habet gratiam: ergo non potest eam dare per sacramentum; nam *ab immundo quis mundabitur?* at Eccl. 34. Resp. distinguendo majorem: Nemo dat, ut causa principalis, concedo; ut causa instrumentalis moralis, nego. Unde concessa minori, nego consequentiam; quia Minister non dat gratiam, nec mundat, ut causa physica principalis, sed ut causa ministerialis: ergo non est necesse, quòd habeat id quod dat: nam Medicus infirmus dat aliquando sanitatem ægrotis, quam non habet.

Dices 3. Christus influit gratiam in membra seu in suos fideles, per Ministros tamquam per membra sui & Ecclesiæ: sed hæretici & infideles non sunt membra Ecclesiæ: ergo per ipsos non potest Christus gratiam in suos Fideles influere. Resp. negando 2. partem majoris, nempè quòd Christus influat gratiam in suos fideles per Ministros tamquam per membra unita corpori & viventia, sed tantùm tamquam instrumentum divinæ misericordiæ & providentiæ, quo Christus uti potest, etiam si sit inanimatum, modò sit ipsi conjunctum per quandam actionem: artifex enim operatur per manum quæ vivit, & per securim quæ non vivit: ergo Christus potest influere gratiam in suos fideles, per Ministros sine vita spirituali seu gratia.

Dices 4. Deus declarat Levit. 21. vers. 16. & 17. & 18. se nolle in ministerium suum, hominem maculam habentem: ergo per ministros malos non potest validè conferri Sacramentum. Nego consequentiam, quia Deus hoc

hoc declarat, ut nos doceat malum ministrum non debere accedere ad ministerium, non quòd Sacramentum aut Sacrificium sit invalidum, sed illicitum, cùm de facto peccet minister, qui Sacramenta solemniter administrat in peccato mortali. Sic intelligendæ sunt omnes authoritates Scripturæ, quibus adversarii impugnant nostram conclusionem quam expressè definivit Concilium Constantiense sess.8. ubi damnatur hæc propositio Joannis Vuiclef, *Si Episcopus vel Sacerdos est in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat*: unde Concilium non exigit fidem nec probitatem in ministro, ita ut Sacramentum non possit esse validum, quin minister sit fidelis & bonus; aliàs sequeretur, inquit Scotus, quòd nullus posset esse certus, an sit baptizatus, vel non; cùm nemo possit esse certus de fide & bonitate alterius.

Inferebis: Nemo potest esse certus de intentione ministri quæ ad validitatem Sacramenti requiritur, tamen Christianus credit se baptizatum. Resp. Scotus negando paritatem de intentione, & bonitate ministri: ratio discriminis est, quia probabiliter præsumi potest quòd ministri talem actum exercentes, intendant facere illud, ad quod actus secundùm se ordinatus est; sed non ita posset haberi certitudo de bonitate. Ita Doctor subtilis in 4. dist.5. quæst.1. §. *veritas quæstionis*, ubi expressè tractat & probat nostram conclusionem, quam defendunt etiam sancti Patres, & præsertim Divus Augustinus tract.5. in Joan. relatus in cap. *si justus* 1. quæst.1. ubi legitur, *Si justus fuerit minister, computo eum cum Paulo qui gloriam suam non quærit dicens, Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit. Qui verò fuerit superbus minister, cum diabolo computatur; sed non contaminatur donum Christi. Quia per illum purus fluvius transit, & venit ad fertilem terram*;

& cap. *neque* & cap. *nonne.* declaratur hominum malitia non prophanari Sacramenta.

QUÆSTIO V.

An Ministri Sacramenta in peccato mortali ministrantes, semper peccent mortaliter?

ADvertendum est cum Goneto, ministrum Sacramentorum esse duplicem, scilicet ex officio, sive solemnitatis, & necessitatis. Primus dicitur ille qui conficit Sacramenta, speciali consecratione ad ea conficienda deputatus, qualis est Sacerdos celebrans Missam, absolvens à peccatis, & cum ritu & solemnitate baptizans. Secundus verò, sine aliqua speciali consecratione & deputatione Sacramenta ministrat.

Dico 1. quòd Minister solemnitatis, Sacramentum conficiens vel administrans in peccato mortali, peccat mortaliter. Prob. Tum quia transgreditur mandatum; Deus enim ait Isa.52. *Mundamini qui fertis vasa Domini*. Tum quia *Malis non est fas tangere symbola, id est, Sacramenta*, ait D. Dionys. cap.2. Eccl. Hierarch. Tum quia debet se conformare Christo cujus est Minister, ut colligitur ex illo Levit.19. *Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum*. Tum quia Sacramentorum administratio, dum fit à Ministro, qui est in peccato mortali, est quædam Dei irreverentia, & ipsorum Sacramentorum contaminatio; sancta enim, sanctè sunt tractanda: ergo dum Minister ex officio administrat Sacramentum in peccato mortali, peccat mortaliter. Unde sequitur, quòd si Minister existens in peccato mortali, debeat aliquod Sacramentum ministrare, antequàm administret ipsum, de-

bet

bet confiteri peccata sua, si adsit confessarii oportunitas; quæ si non adsit, debet elicere actum contritionis.

Dices 1. Conjuges sunt Ministri Sacramenti Matrimonii, tamen dum conjuges reddunt aut petunt debitum in peccato mortali, non peccant: ergo nec Ministri aliorum Sacramentorum. Resp. negando consequentiam, quia debitum conjugale non est actio Sacramenti, nec Sacramentalis, sicut administratio Eucharistiæ, Confirmationis, &c.

Dices 2. Recipiens Sacramentum Pœnitentiæ, non debet esse in gratia: ergo nec Minister qui illud administrat. Resp. negando paritatem. Ratio est, quia Minister habet rationem agentis respectu gratiæ, suscipiens verò rationem patientis; ideòque non requiruntur ex parte patientis aut subjecti conditiones, quæ requiruntur ex parte agentis.

Dico 2. quòd Minister necessitatis & non consecratus, ministrans in peccato mortali, non peccat mortaliter. Tum quia Minister necessitatis non tenetur ad præceptum, sicut Minister ex officio, & solemnitatis. Tum quia necessitas dispensat à lege: ergo qui ex necessitate confert Baptismum puero moribundo, non peccat, etiamsi ipse sit in peccato mortali.

Inferes. 1. Sacerdotem in peccato mortali celebrantem, duplex peccatum committere, unum quia conficit Sacramentum, & alterum quia illud recipit; quia conficere & recipere sunt duo actus, & consequenter dum mali sunt, duo peccata sunt. 2. Ministrantem Sacramentum Pœnitentiæ in peccato mortali, peccare mortaliter. 3. Esse peccatum mortale audire confessiones in peccato mortali, tametsi Minister habeat animum confitendi, vel habendi actum contritionis, antequàm pœnitentem absolvat à peccatis; quia audire confessiones, est actio Sacramentalis, & ordinatur ad Sacramentum: ergo

ut sit licita, exigit gratiam in audiente. 4. Ministrare Eucharistiam in peccato mortali, esse peccatum mortale. Tum quia est actio Sacramentalis. Tum quia tangere corpus Christi in peccato mortali, est peccatum mortale: *Quicumque enim exhibet se in aliquo actu ut ministrum Ecclesiæ, mortaliter peccat, si sit in peccato mortali*, ait Div. Thom. sed dum Sacerdos ministrat Sacramentum Eucharistiæ, tangit corpus Christi: ergo.

Inferes 5. Probabilius esse peccare mortaliter Diaconos & Subdiaconos solemniter sua officia exercentes in peccato mortali. Tum quia cantare Euangelium, & in vasis sacris Eucharistiæ materiam præparare, eamque tradere Sacerdoti consecrandam, quæ sunt Diaconi & Subdiaconi officia, sunt actiones Sacramentales & ad Sacramentum ordinatæ. Tum quia 1. ad Timoth. 3. vers. 8. dicitur: *Diaconos similiter esse pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probantur primùm, & sic ministrent, nullum crimen habentes.* Excusantur tamen à peccato mortali minoribus Ordinibus initiati, si in peccato mortali sua officia exerceant. Tum quia materia est levis. Tum quia actus illi remotè tantùm ad Sacrificium & Sacramentum ordinantur.

Quæres 1. An licitum sit petere & accipere Sacramenta à malo Ministro? *Resp.* affirmativè, si sit toleratus ab Ecclesia, & paratus ad ministrandum, dum aliqua necessitas urget. Patet tum ex Decreto Nicolai I. ut refertur q. 8. cap. *Sciscitantibus*, ubi respondens ad consulta Bulgarorum scribit: *Sciscitantibus vobis, si à Sacerdote, qui sive comprehensus in adulterio, sive de hoc fama sola respersus est, debeatis Communionem suscipere, nec ne? Respondemus... Ab eo, donec Episcoporum judicio reprobetur, Communio percipienda est.* Tum quia petens & aci-

cipiens ab illo Sacramentum, non cooperatur peccato ipsius.

Quares 2. Quam dispositionem teneatur habere malus Minister in prædictis casibus Sacramenta ministrando? Resp. cum Goneto, quòd debet facere quod in se est ad veram contritionem habendam, quamvis aliquando in re non sit contritus, sed in sua solùm probabili æstimatione, quia sola attritio non tollit malitiam peccati mortalis, etiam in æstimatione peccantis, sicut contritio.

Confirmatur: Minister mortaliter peccat, dum Sacramenta ministrat in peccato mortali. Tum quia constat ex dictis. Tum quia dum agens morale non agit juxta regulas præscriptas, seu sicut oportet, peccat contra regulas, & legi divinæ contradicit; sicque qui Sacramenta ministrat in peccato mortali, non agit sicut oportet, & peccat: ergo malus minister, dum tenetur ministrare Sacramenta, debet ita se disponere, ut non sit in peccato, sed ut sit sanctus: atqui non potest extra confessionem ad hoc se disponere, nisi per actum contritionis; cùm attritio sine Sacramento non perducat ad justificationem, ut declarat sacra Tridentina Synodus sess. 14. cap. 4. ergo tenetur elicere actum contritionis.

QUÆSTIO VI.

De numero & ordine Sacramentorum.

DIco 1. septem esse novæ legis Sacramenta, nec plura, nec pauciora. Ita omnes Catholici cum Trid. sess. 7. can. 1. Constat 1. ex pluribus locis sacræ Scripturæ, in quibus habetur specialis institutio uniuscujusque Sacramenti:

ti: sed ex sacra Scriptura colligitur tantùm institutio Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis, Ordinis & Matrimonii: ergo ex sacra Scriptura sunt tantùm septem Sacramenta. 2. Constat ex figuris veteris testamenti: nam Deus septem diebus præcepit comedi azima, septem lucernæ erant in Sanctuario, septem instituit tubas Jubilæi.

3. Constat ex congruentia vitæ spiritualis cum corporali: nam homo in vita corporali ex parte sui requirit per se generationem, augmentationem & nutritionem, & per accidens requirit remedia sanativa contra morbos, & remedia confortativa contra morbi reliquias: & ex parte Reipublicæ cujus est membrum, requirit duo, scilicet parentes qui vitam corporalem hominum propagare possint, & magistratus qui eam gubernent & ordinent: ergo etiam in vita spirituali, requirit regenerationem, quæ fit per Baptismum; augmentationem, quæ fit per Confirmationem: nutritionem, quæ fit per Eucharistiam; remedium contra morbum peccati, quod fit per Pœnitentiam; & remedium contra peccatorum reliquias, quod fit per Extremam Unctionem: & ex parte Reipublicæ spiritualis cujus est membrum, requirit alia commembra, aut compartes, quod licitè fieri non potest, nisi per Matrimoniũ. *Tandem*, requirit Principes & Magistratus spirituales, qui per Ordinem constituuntur: idcircò ex congruentia, septem dumtaxat debent esse Sacramenta.

Dico 2. Quantùm ad ordinem naturæ seu generationis, Sacramenta convenienter sic ordinari, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo & Matrimonium. Ita in Conc. Florent. sess. ultima, & Trident. sess. 7. can. 1. & in Catechismo Romano jussu Pii V. edito. Colligitur etiam evidenter ex comparatione vitæ corporis cum vita spirituali in homine.

Dico

Dico 3. Ordine perfectionis, Eucharistiam primum locum tenere inter omnia Sacramenta. Tum quia continet realiter & substantialiter Christum ipsum sub speciebus Eucharisticis. Tum quia consistit in esse permanenti. Tum quia est veluti finis cæterorum Sacramentorum, fons, & Sacramentum omnium Sacramentorum, ut ait D. Bern. Tum quia habet rationem Sacrificii & Sacramenti.

Dico 4. Baptismum esse priorem ordine necessitatis: & immediatè post, sequi Pœnitentiam, quoniam sunt Sacramenta simpliciter necessaria, seu necessitate medii; cum hoc tamen discrimine, quòd Baptismus est omnibus necessarius pro culpa originali delenda, Pœnitentia verò solis adultis peccatoribus pro culpa actuali remittenda, si post Baptismum susceptum contingat illos peccare. *Deinde* sequuntur Confirmatio, Eucharistia, Extrema Unctio, Ordo & Matrimonium.

Ex dictis inferes, lotionem pedum non esse propriè Sacramentum, quia non numeratur inter Sacramenta novæ legis, nec potest reduci ad Baptismum, quia non est signum efficax gratiæ: Christus enim instituit eam, ut Apostolis exemplum præberet humilitatis & ad internam animi munditiam hortaretur eos. Nec valet objicere illud Joan. 13. ad Petrum, *Si non lavero te, non habebis partem mecum*; quia his verbis Christus noluit ostendere lotionem esse necessariam ad salutem, ut ostendit de Baptismo his verbis, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in Regnum Cœlorum*: sed ut Petrum ad debitam obedientiam comminatione sua excitaret, ut exponunt D. Basilius lib. 1. de Baptismo cap. 2. Chrisostomus, & Cyrillus. Nec valet objicere aliquos Sanctos, qui docent lotionem pedum esse observandam in Ecclesia, quod necessarium esse inferunt ex illo Christi ad Apostolos, *Et vos debetis alter alterius*

lava-

lavare pedes; exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis: quia volunt lotionem pedum servari in Ecclesia in memoriam actionis Christi erga Discipulos suos, & ut fideles gratiam obtineant ratione humilitatis, & Pastores ratione imitationis Christi; non autem ratione lotionis. Vel dico, quòd sancti Patres loquuntur de Sacramento generaliter sumpto, & impropriè nominato, scilicet quatenus est signum aliquod sacrum significans.

FINIS QUARTI TOMI.

